Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

a 5386

~~66 - 3 - A = N. 26~~

90-4-44
MED Rev. 1

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM
ANNO
MDCCLXXVI
publicata

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Olyſſiponae apud BORELLUM, MARTINUM, et Socios: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG: Lugduni Batauorum apud LUCHTMANSIOS.

MDCCLXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTO ET AEQVO LECTORI

S.

MENKENIANI HEREDES.

Quod Tibi tradimus, *Lector, Actorum Eruditorum Volumen, abſoluit adhuc, qui per longum tempus eorum curam habuit, Carolus Andr. Belius, nupero huius menſis die IV. exſtinctus. Eſt illud quidem non ſolum optimorum librorum ex omni doctrinarum genere copia inſigne, ſed etiam rerum magna cum diligentia ex iis excerptarum praeſtantia Te, vti ſperamus, non indignum. Tarditatem, qua prodire haec Acta multi Lectorum queruntur, etſi vix excuſare audemus, hoc tamen certiſſime affirmare poſſumus, eius culpam non nos, ſed nuperum editorem ſuſtinere, (de qua re nihil omnino, quam aliquid dicere praeſtat.) Quae quidem tarditatis criminatio cum nobis non plane ingrata ſit, propterea, quod niſi liben-*

libenter legerent, tarditatem profecto non accuſarent: dabimus omnem operam, vt, ſi fieri poſſit, quae hactenus turbata et luxata ſunt, inpoſterum in ordinem redigantur, et tarditas diligentia atque bonitate compenſetur. Atque ita Tu, Lector, qui per ipſum integrum ſeculum ſtudia haec noſtra iuuandis litteris, ſummorumque virorum memoriae commendandae atque conſeruandae impenſa, beneuolentia Tua fouiſti, excitaſti, confirmaſti, (cuius fauoris, etiam inter exteros, multa habemus et nobis valde honorifica teſtimonia) non Tu nunc demum deſciſces a vetere Tuo ſenſu, gratamque Tuae in nos voluntatis memoriam nobis eripies. Neque ſic verendum eſt, deſertum iri haec Acta, vt potius ſperare liceat, veterem, qua in orbe litterario gauiſa ſunt, exiſtimationem receptura. Vale, Lector, et ſtudia noſtra fauore Tuo ſuſtentare perge. Scr. Lipſiae a. d. XXV. m. April. A. S. MDCCLXXXII.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Ianuarii Anno MDCCLXXVI.

DEMONSTRATIO THEOREMATIS STUDENIANI pro reductione aequationum, quae radices habent aequales: Auctore Archidiacono IO. FRANCISCO DE TUSCHIS a Fagnano, ex S. Honorii Marchionibus, Patricio Romano et Senogailienſi.

Clariſſimus Vir, *Nicolaus de Martino*, in ſuae Algebrae Geometria promotae Elementis, Tomo II. huius Theorematis exhibet Demonſtrationem; ſed quia haec incompleta mihi videtur, non ſecus ac illa P. *Reyneau*, Analyſeos demonſtratae Tomo I. placuit, illorum veſtigiis inhaerendo, claram, et ſimul generalem Theorematis Demonſtrationem exhibere.

Digitized by Google

LEMMA I.

Denotet a quantitatem poſitiuam, vel negatiuam, vti libuerit Binomium $(x+a)^n$, ſiue

$$(x+a) \times (x+a)^{n-1}$$
$$=(x+a)\left\{x^{n-1}+\frac{(n-1)}{1}x^{n-2}a+\frac{(n-1)}{1}\times\frac{(n-2)}{2}x^{n-3}a^2 + \frac{(n-1)}{1}\times\frac{(n-2)}{2}\times\frac{(n-3)}{3}x^{n-4}a^3\ldots\right.$$

Ergo diuidendo vtramque Partem per $(x+a)$, et multiplicando per $p\,n\,a$.

$$(1)\quad p\,n\,a(x+a)^{n-1}=$$
$$p\,n\,a\left\{x^{n-1}+\frac{(n-1)}{1}x^{n-2}a+\frac{(n-1)}{1}\times\frac{(n-2)}{2}x^{n-3}a^2 + \frac{(n-1)}{1}\times\frac{(n-2)}{2}\times\frac{(n-3)}{3}x^{n-4}a^3\ldots\right.$$

LEMMA II.

Si termini Binomii $(x+a)^n$ per ordinem diſpoſiti, hoc eſt

$$(A)\left\{x^n+\frac{n}{1}x^{n-1}a+\frac{n}{1}\times\frac{(n-1)}{2}x^{n-2}a^2+\frac{n}{1}\times\frac{(n-1)}{2}\times\frac{(n-2)}{3}x^{n-3}a^3+\frac{n}{1}\times\frac{(n-1)}{2}\times\frac{(n-2)}{3}\times\frac{(n-3)}{4}x^{n-4}a^4\ldots\right.$$

multiplicentur per progreſſionem Arithmeticam o, p, 2 p, 3 p, 4 p......

Productum erit idem Binomium $(x+a)$ eleuatum ad dignitatem $(n-1)$ ductum in $p\,n\,a$.

Nam

Nam ſeries (A) euadet

$$(B)\ 0\,x^n + p\,n\,a \left\{ x^{n-1} + \frac{(n-1)}{1} x^{n-2} a + \frac{(n-1)}{1} \times \frac{(n-2)}{2} x^{n-3} a^2 + \frac{(n-1)}{1} \times \frac{(n-2)}{2} \times \frac{(n-3)}{3} x^{n-4} a^3 \ldots\ldots \right.$$

quae non differt a ſecunda parte aequationis (1), erit ergo ſeries (B) aequalis $p\,n\,a\,(x+a)^{n-1}$. Q. E. D.

LEMMA III.

Binomium $(x+a)^n$ ductum in progreſſionem Arithmeticam

(C) $p,\ p+q,\ p+2q,\ p+3q,\ p+4q \ldots\ldots$

deprimi poteſt ad dignitatem $(n-1)$, hoc eſt diuidi per $(x+a)$. Progreſſio (C) aequatur progreſſionibus

$p,\ p,\ p,\ p \ldots\ldots$

(D) $0,\ q,\ 2q,\ 3q,\ 4q \ldots\ldots$

Denotet p omnem numerum poſitiuum, vel negatiuum atque etiam Zero, q omnem numerum poſitiuum, vel negatiuum, integrum, ſiue fractum.

Binomium $(x+a)^n$ ductum in progreſſionem (C) aequatur $p\,(x+a)^n + D\,(x+a)^n$; ſed $p\,(x+a)^n = p(x+a) \times (x+a)^{n-1}$, et per Lemma II. $D\,(x+a)^n = n\,q\,a\,(x+a)^{n-1}$; ergo $C\,(x+a)^n = (p\,(x+a) + n\,q\,a) \times (x+a)^{n-1}$. Q. E. D.

 Scho-

Digitized by Google

SCHOLIVM I.

Si loco p ſumatur p + r m, denotante tam r, quam m numerum quemcunque poſitiuum, patet, Demonſtrationem ſubſiſtere, ſed tunc loco aequationis praecedentis haberetur $C (x + a)^n ((p + r m)(x + a) + n q a) \times (x + a)^{n-1}$.

SCHOLIVM II.

Similiter liquet, quae dicta ſunt de Binomio $(x + a)^n$ ſibi locum vindicare, ſi pro Binomio $(x + a)^n$ ſumatur Binomium $(a + x)^n$.

THEOREMA STVDENIANVM.

Si per quamlibet progreſſionem Arithmeticam (C) multiplicentur Termini per ordinem diſpoſiti aequationis, quae plures radices aequales habet, ſed non omnes, productum erit aequatio, quae omnes, vna dempta, retinebit Radices aequales.

DEMONSTRATIO.

Aequatio, cuius ſecunda Pars = o, et quae radices habet aequales, et inaequales, concipi poteſt, veluti orta, multiplicando aequationem, quae radices omnes habet aequales, per aequationem cuius radices omnes inaequales ſunt.

Aequatio ergo partialis quae omnes radices habet inaequales, poterit apte deſignari per $b + c x + d x^2 + f x^3 \ldots.$

Aequa-

Aaequatio vero, quae radices omnes habet aequales, deſignabitur per Binomium $(x + a)^n$ vel Binomium $(a + x)^n$ harumque productum erit aequatio conſtans, ex radicibus inaequalibus, et aequalibus, vt ſequitur, diſpoſita.

(2) $(b + c x + d x^2 + f x^3 \ldots\ldots) \times (a + x)^n$ $= 0$ quae euoluendo Binomium $(a + x)^n$, et recte ordinata dabit

$$(E)\ b a^n + \frac{n}{1} b a^{n-1} x + b \frac{(n (n-1)}{1 \cdot 2} a^{n-2} x^2 + b \frac{(n}{1} \frac{(n-1)}{2} \frac{(n-2))}{3} a^{n-3} x^3 \ldots\ldots$$

$$(F) + c a^n x + \frac{c n}{1} a^{n-1} x^2 + c \frac{(n}{1} \frac{(n-1))}{2} a^{n-2} x^3 \ldots$$

$$(G) \qquad + d a^n x^2 \qquad + d \frac{(n)}{1} a^{n-1} x^3 \ldots$$

$$= 0$$

ſeries ergo (E) multiplicabitur per progreſſionem

p, p + q, p + 2 q, p + 3 q, p + 4 q......

ſeries (F) per progreſſionem

p + q, p + 2 q, p + 3 q, p + 4 q.......

ſeries (G) per progreſſionem

p + 2 q, p + 3 q, p + 4 q......

Ergo per Lemma III. et per *Scholium* I. et II. Binomia $b (a + x)^n$; $c x (a + x)^n$; $d x^2 (a + x)^n$, non ſecus ac Binomia $b (x + a)^n$; $c x (x + a)^n$; $d x^2 (x^n + a)^n$ diuidi poterunt per $(a + x)$ vel $(x + a)$. Conſequenter ae-

aequatio (2) multiplicata per ſeriem (C) caeteras retinebit, vna dempta, radices aequales.

Hoc Theorema non ſolum in calculo differentiali, ſed etiam in integrali vſum habet non contemnendum.

EIVSDEM AVCTORIS PROBLEMA.

Denotante tam r, quam n, quemcunque exponentem poſſibilem: Eleuare Binomium $(a^r \pm x^r)$ ad poteſtatem n.

SOLVTIO.

Praemittendum ducimus, quod ex poteſtatum formatione patet, quod primus Terminus Binomii ſic eleuati erit a^{rn}; deinde, quod omnes Termini poſt primum, poſthabitis coefficientibus, hoc ordine procedunt

$x^r + x^{2r} + x^{3r} + x^{4r} \ldots\ldots$, et ſic in infinitum.

Demum, quod omnes coefficientes quantitatis x^r eleuatae ad poteſtatem, cuius index ſit numerus par, ſunt ſemper poſitiui. His praemiſſis fiat

$$(1)\quad (a^r \pm x^r)^n = a^{rn} \pm B\, x^r C x^{2r} \pm D x^{3r} \pm E x^{4r} \ldots$$

quae differentiata dabit

$$\pm n r x^{r-1} dx (a^r \pm x^r)^{n-1} = \begin{cases} \pm r B x^{r-1} dx + 2 r C x^{2r-1} dx \\ \pm 3 r D x^{3r-1} dx + 4 r E x^{4r-1} dx \ldots\ldots \end{cases}$$

et multiplicando per $(a^r \pm x^r)$

$$\pm n r x^{r-1} dx$$

(2)

$$(2)\quad (a^r \pm x^r) = \begin{cases} \frac{B a^r}{n} + \frac{2 C a^r x^r}{\pm n} + \frac{3 D a_r x^{2r}}{n} \\ + \frac{4 E a^r x^{3r}}{\pm n} \ldots\ldots + \frac{B x^r}{\pm n} \\ + \frac{2 C x^{2r}}{n} + \frac{3 D x^{3r}}{\pm n} \\ + \frac{4 E x^4}{n} \ldots\ldots \end{cases}$$

ergo per aequationem *(1)* *Pars Secunda eiusdem aequationis aequalis erit ſecundae Parti aequationis praecedentis;* ideoque facta terminorum homologorum collatione, inuenietur $a^{rn} = \frac{B a^r}{n}$; conſequenter

$$(3)\quad \frac{n a^{rn-r}}{1} = B$$

ſimiliter inuenietur B *(n — 1)* = 2 C a^r, et per aequationem praecedentem.

$$(4)\quad \frac{n (n-1) a^{rn-2r}}{1 \times 2} = C$$

Pariter erit C (n — 2) = 3 D a^r, et per praecedentem aequationem

$$(5)\quad \frac{n (n-1)(n-2) a^{rn-3r}}{1 \times 2 \times 3} = D.$$

Non ſecus erit D (n — 3) = 4 E a^r, et per aequationem praecedentem.

$$\frac{n (n-1)(n-2)(n-3) a^{rn-4r}}{1 \times 2 \times 3 \times 4} = E.$$

Ea-

Eadem methodo caeteri poterunt coefficientes inueniri. Factis igitur debitis ſurrogationibus in ſecunda parte aequationis (1), obtinebitur

$$(6)\quad (a^r + x^r)^n = \begin{cases} a^{rn} + \frac{n a^{rn-r} x^r}{1} + \frac{n(n-1) a^{rn-2r} x^{2r}}{1 \times 2} \\ + \frac{n(n-1)(n-2) a^{rn-3r} x^{3r}}{1 \times 2 \times 3} \\ + \frac{n(n-1)(n-2)(n-3) a^{rn-4r} x^{4r}}{1 \times 2 \times 3 \times 4} \ldots \end{cases}$$

SCHOLIVM I.

Si loco Binomii $(a^r + x^r)$ eleuandum eſſet ad poteſtatem n Binomium $(x^r + a^r)$, nil aliud agendum erit, quam in Terminis aequationis (6) loco a ponere x, et pro x ſcribere a.

SCHOLIVM II.

Cum ſit (T) $(a^r + x^r)^n =$

$$\begin{cases} x^{rn} + \frac{n a^{rn-r} x^r}{1} + \frac{n(n-1) a^{rn-2r} x^{2r}}{1 \times 2} \\ + \frac{n(n-1)(n-2) x^{rn-3r} x^{3r}}{1 \times 2 \times 3} \\ \qquad + \frac{n(n-1)(n-2)(n-3) a^{rn-4r} x^{4r}}{1 \times 2 \times 3 \times 4} \ldots \end{cases}$$

et

Digitized by Google

et (Z) $(a^r - x^r)^n =$

$$\left\{\begin{array}{l} a^{rn} - \frac{n a^{rn-r} x^r}{1} + \frac{n(n-1) a^{rn-2r} x^{2r}}{1 \times 2} \\ - \frac{n(n-1)(n-2) a^{rn-3r} x^{3r}}{1 \times 2 \times 3} \\ + \frac{n(n-1)(n-2)(n-3) a^{rn-4} x^4}{1 \times 2 \times 3 \times 4} \ldots \end{array}\right.$$

Liquet, *quod ſumma Binomiorum* (T + Z) id eſt $(a^r + x^r)^n + (a^r - x^r)^n$ *aequalis ſit omnibus terminis* imparibus ſecundae Partis aequationis (6) in binarium ductis.

Ex aduerſo differentia Binomiorum (T — Z), hoc eſt $(a^r + x^r)^n - (a^r - x^r)^n$ aequalis erit omnibus terminis paribus ſecundae Partis eiusdem aequationis (6), ſed ſigno poſitiuo effectis, et per binarium *multiplicatis*.

Vt vero *habeatur* productum quantitatum (T), et (Z), ſiue $(a^{2r} - x^{2r})^n$ ſufficit, vt in ſecunda parte aequationis (6) loco r ponatur 2 r; et in ſigno ambiguo locus detur inferiori.

SCHOLIVM III.

Ex praecedentibus patet, coefficientes Terminorum Binomii $(a^r + x^r)^n$, *poſita tam* a, quam r = 1, facillime haberi poſſe.

Ad hoc: Differentietur Binomium, eritque differentiale

(M) $\pm n\, dx\, (1 \pm x)^{n-1}$, et $\frac{n}{1}$ erit coefficiens ſecundi Termini.

Rurſus differentietur quantitas (M), poſita d x conſtante, et habebitur

(N) $n\, (n-1)\, dx^2\, (1 + x)^{n-2}$

eritque tertii Termini coefficiens $n\, \frac{(n-1)}{2}$ ſimiliter differentiata quantitate (N), poſitaque d x conſtante obtinebitur

(O) $\pm n\, (n-1)\, (n-2)\, dx^3\, (1 \pm x^{n-3}$

et quarti Termini coefficiens erit $\frac{n}{1}\ \frac{(n-1)}{2}\ \frac{(n-2)}{3}$.

Rurſus poſita d x conſtante, differentiale quantitatis (o) erit $n\, (n-1)\, (n-2)\, (n-)\, 3\ dx^4\ (1 + x)^{n-4}$, ideoque quinti Termini coefficiens $\frac{n}{1}\ \frac{(n-1)}{2}\ \frac{(n-2)}{3}\ \frac{(n-4)}{4}$ eademque methodo caeteri coefficientes inuenientur.

SCHOLIVM IV.

Lex, qua inuicem ſibi ſuccedunt coefficientium denominatores, me non monente apparet.

Exponens differentialis x, id eſt, d x dat coefficientis ſecundi Termini denominatorem, nempe 1.

Exponens differentialis x d x (poſita d x conſtante) hoc eſt d x^2 ductum in denominatorem praecedentis, dat de-

denominatorem coefficientis tertii Termini, id eſt 1 X 2.

Exponens differentialis $x\,dx^2$, ideſt, dx^3 ductum in denominatorem termini praecedentis denominatorem dabit coefficientis quarti Termini, qui erit 1 X 2 X 3, et ſic de caeteris.

XENOPHONTIS HISTORIA GRAECA.

Recenſuit, animaduerſiones et Indicem adiecit, SAM. FRID. NATHAN. MORVS, Gr. et Lat. ling. Profeſſor Lipſ. Accedit Leunclauiana verſio.

Lipſiae, ſumtu Schwikerti, Alph. 1. pll. 18. octonis.

Incrementis aeque ac commodis rei litterariae expedit, ſi antiquae et grauis doctrinae cupidis copia eſt, magnorum operum, Graecorum in primis Latinorumque Scriptorum, partes quasdam ſeorſim editas conſequendi, quo et ſumtus in comparandis omnibus operibus minuitur, et terendorum ſpiſſiorum voluminum moleſtia tollitur, et cupiditas ex aliquo ſpecimine reliqua ſcripta legendi incenditur. Quin etiam quid integri Operis vel lector in intelligendo, vel editor in illuſtrando, ſequi et ſpectare debeat, optime hoc *partiti laboris genere cognoſcitur.* Quod, cum intellectum ſit, de Plutarchi quidem ſingulis quibusdam ſcriptis illuſtrandis, praeclare meriti viri quidam docti fauore et plauſu excepti ſunt; et Xenophontis librorum lectionem adiuuare conati ſunt, quicunque adhuc eius quaedam ſeparatim publicari curaſſent, et nuper admodum Cyropae-

 diam,

diam, expeditionem Cyri, de re equeſtri libellum, vel primi, vel ſecundi expoliuiſſent. In Graeca vero eiusdem ſcriptoris Hiſtoria ſeorſim edenda, nunc primus, ex quo Henr. Valeſii conſilium effectu caruit, elaborauit, qui litterarum Graecarum, reique criticae et antiquitatiae peritiam aliis iam dudum documentis comprobauit, Cel. Morus. Videbat autem optime ſe in hoc opere eſſe verſaturum, ſi hiſtoriae antiquae cupidis, rerum, temporum, locorum, cauſſarum, et totius nexus euentorum ſcientiam praeberet; rei criticae amantibus veram textus indolem, et rationem de varietate lectionis iudicandi, declararet; tironibus denique aliquid adminiculi ad orationem graecam ſubtilius intelligendam exhiberet. Hinc tria fecit animaduerſionum genera. Nam quae ad ipſam hiſtoriam et Geographiam pertinent, et comparandis aliorum ſcriptorum locis explicantur, ea in infima quauis pagina poſita ſunt. Quae lectionis varietatem, emendationesque et coniecturas virorum doctorum continent, ea medium intra verba auctoris Graeca et animaduerſiones hiſtoricas locum occupant; quae vero verba ſingula, aut ritus quosdam, aut aliquam antiquitatis partem illuſtrant, in Indicem Graecitatis collata ſunt, qui facile, vbi opus fuerit, ſuppleri poteſt ex Indice in Cyropaediam, cuius crebra fit mentio, ab eodem Cel. Auctore confecto. Sed vbi longior de chronologia, geographia, antiquitate, aliisque rebus diſputatio eſſet inſtituenda, ſeorſim tractare ſuſcepit, et quidquid reperiſſet, tradidit in examine locorum quorundam hiſtoriae graecae Xenophonteae, huic editioni praemiſſo. Continet id enim nouem illa capita. I.) Ad plures libri primi et ſecundi locos diſſeritur de annis belli Peloponneſiaci numerandis. II.) Ad I, 5. 10. diſſeritur de decem praetoribus Athenienſibus, qui ad Arginuſas pugnarunt. III.) Ad I, 7. 10. de pſephismate Canoni. IV.) Ad II, 1. 6. de nomine Dariaei, regis Perſarum, et genealogia hoc loco tradita. V.) Ad II, 3, 17. de The-

Theramenis cognomine Cothurnus. VI.) Ad III, 1, 1. quaeritur vtrum Xenophon an Themiſtogenes fuerit auctor commentariorum de expeditione Cyri minoris, qui hodie in *operibus* Xenophontis exſtant. VII.) Ad III, 1, 6. diſſeritur de Dercyllidae cognomine Siſyphus. VIII.) Ad VI, 1, 19. quaeritur de inſulis Sphagiis. IX.) Ad VII, 5, 9. proponitur coniectura de Pellene aut Pallene, Arcadiae aut Laconicae oppido. Attenti lectores his excurſibus adducentur et adiuuabuntur ad iſtarum quaeſtionum vlteriorem contemplationem, vbi opus videbitur, adhibendam. Neque vero *conſilio optimo prorſus ſatisfactum eſſe* quisquam *negabit qui*, quantumuis bono apparatu, variorum eruditorum obſeruationibus, interpretationibus, animaduerſionibus, hanc in rem congeſto, Cel. Editori vti licuerit; plurimis tamen accurate intelligendis nunc demum viam muniendam fuiſſe perſpexerit, atque adeo hanc editionem caeteris ſuperioribus vberiorem repererit. Adiumenta ab editionibus antiquis et verſionibus, in hac editione adornanda, haec fere habuit: *Editionem Aldinam* vtramque, *Venetiis 1503. et 1525* curatam, quarum prior eſt princeps operum Xenophontis editio, altera illius mera *repetitio*; Iuntinam ſecundam anni 1527. Florentiae editam, quae mera eſt Aldinae, ſeruatis etiam vitiis, iteratio. Caruit tamen ea quae 1517. prodiit, atque ab aliis memoratur, cui probabile eſt ineſſe lectiones quas Stephanus et Leunclauius ſe in libris inueniſſe iactant; Brylingerianam, hoc eſt Baſileenſem, anno 1555. proditam, quae verbotenus recuſa eſt *in eadem officina 1568.* habet optimas lectiones, ad eamque pariter *Steph. et Leuncl. recenſuiſſe* Xenophontem videntur; Editionem Leunclauianam, Stephanianam ſecundam a. 1581. priori enim non vſus eſt, Welſianam de quarum indole et vſu, cum aliorum monitis, tum Erneſtii ad Memorabilia Xenophontis Praefatione, diſputatur. Vſus eſt Latinis verſionibus Pirckhemeri, Aretini, huius tamen

Digitized by Google

non tam verſione quam excerptis, Leunclauiana, quam et ſeorſim addere placuit, et Goldhagenii, Scholae Magdeburgenſis Rectoris, Germanica: cuius ſimplex nec affectata dictio, intelligenterque vertendi peritia, eo valuit, vt conſulentem plerumque adiuuaret et edoceret. Ope Codicum Manuſcriptorum caruit. At Codiciis tamen Veneti in bibliotheca d. Marci lectiones adhibuit eas, quae pro ſpecimine e quatuor capitibus libri primi excerptae exſtant paucae in Catalogo bibliothecae d. Marci, qui Venetiis a. 1740. prodiit.

Ad Criticarum Animaduerſionum genus refertur, quidquid ad reſtituendos librariorum culpa corruptos locos, cum ex aliis rationibus, tum ex citationibus Grammaticorum et Gloſſographorum veterum, pertinet. Non omnia quae illi habent, aut libuit, aut licuit vſurpare, alioqui multo plura huius generis videbantur colligi poſſe, cum ex editis illorum magiſtrorum ſcriptis, tum ex ineditis, vbi adhuc longe plura recondita latent, ad quae referanda ſcilicet iis eſt via, quibus Pariſinis et Lugdunenſibus bibliothecis vti licet. Sed vel ex iis, quae prolata ſunt, ſtatui et decerni poterit, non infimo, vt fere fit vulgo, loco et pretio monita iſtorum hominum eſſe habenda. Sic *συνασπιδῶν* vindicatur VII, 4, 23. auctore Phauorino. *Ἀμίππων* pro *ἀνίππων* recipitur VII, 5, 23. ex Harpocratione. Moeridem tamen nolimus erroris accuſatum eſſe, ideo quod *εἴσεται*, quo vſus eſt Xenophon VII, 3, 6. Atticum, *γνώσεται* commune eſſe ſcribat; cum *γνώσεται* quoque ſaepius in Xenophontis adhibitum reperiatur libris. Mentem Grammatici praeclare demonſtrauit Pierſonus, in illa eruditiſſima bonaeque frugis pleniſſima ad Moeridem praefatione p. 33. verbo, quid ſequendum ſit, admonuit ad eundem p. 415. „Licuit omnibus ſcriptoribus Atticis „formam vulgarem adhibere. Fruſtra ſunt, qui ex his „exem-

Digitized by Google

„exemplis Grammaticos erroris conuincere conantur.“ Variorum doctorum coniecturae et ſententiae paſſim, propriae quaedam etiam interdum memorantur, in quibus quaedam viſae ſunt mutationes non omnino neceſſariae. Cuiusmodi illam eſſe putamus, quae fit in verbis IV, 3, 17. his: Ἀγησίλαος μὲν ἐς Δελφοὺς ἀφικόμενος δεκάτην τῶν ἐκ τῆς λείας τῷ θεῷ ἀπέθυσεν, in quibus ἐκ τῆς Ἀσίας in locum ἐκ τῆς λείας ſubſtituitur, collato Plutarcho Ageſ. c. 19. hoc ſenſu, vt τὰ ἐκ τῆς Ἀσίας ſint τὰ λάφυρα ἐκ τῆς Ἀσίας. Sed quid neceſſe erat locum, vnde eſſet *praeda capta*, nominare, ſufficiebat dicere *ex praeda, vnuecunque parta, fuiſſe*, quibus templum Delphicum honoraſſet. Μενοῦν, quamquam pro certa emendatione in Indicem quoque relatum, explicatur *atqui*, tamen non apparet quid commodi lucretur locus VI, 3, 6. ſi pro μὲν οὖν, quod ibi legitur, diuiſim recipiatur, cum praeſertim nihil frequentius ſit apud Xenophontem illa forma: Ὅτι μὲν οὖν, πάνυ μὲν οὖν. Quo ipſo quoque explicatur a Suida: μενοῦνγε — τὸ ἀληθὲς, μᾶλλον μὲν οὖν. Nec vero quisquam interpretum, *ſi a Leunclanio ad reliquos argumentari licet*, quorum certe nemini de his mutandis in mentem venit, ideo minus ſententiam verborum perſpexit, aut minus accurate vertendo reddidit. Porro VII, 4, 23. vbi verba ſunt: οἱ δὲ Ἀρκάδες ἀθρόοι συνασπιδοῦντες, includitur ἀθρόοι, tanquam interpretamentum verbi συνασπιδοῦντες. At ex verborum vicinia videtur intelligi, hanc vocem non facile abeſſe poſſe, praecedit enim κατὰ κέρας, cui, vi oppoſitorum, reſpondet ἀθρόοι. Iam ἀντεπυνθάνετο III, 4. 10. quidni defendatur ex vſu verborum ἀνταναπληροῦν Col. I, 24, ac ſimilium, Thucydidisque et aliorum locis obſeruatis a Fiſchero, Animaduerſ. ad Gramm. Well. p. 369. et Bauero in Philologia Thucydideo Paullina p. 219. in quibus praepoſitiones ἀντὶ et ἀνὰ, in compoſitione peculiari vi carent. Tum vero VII, 4, 38. οὐδένα ἀξιοῦντες ἦσαν ὅτε δεδέχθαι pro *dignum et aequum cenſebant*, cur non potius vertatur: *nolebant*,

bant, vetabant quemquam vinciri, quandoquidem ἀξιῶν ſimpliciter eſt *velle* Act. XV, 38. Sed haec leuicula, ne cui tantum aliquid carpere voluiſſe videamur, omittamus, et illuc, vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Laudauimus autem huius editionis bona, commendauimus vſum eius, quem etiam obtinebit, etiamſi de ea refingenda et augenda editor ipſe iam quoque cogitat.

DE SVBTILITATE ORATIONIS PHILOſophicae: Auctore CAROLO ANDREA BELIO, *Poeſ. Prof. Publ. Ordin. in Acad. Lipſienſi.*

Saepe multos audiui, qui, quum in Philoſophiae mentionem incidiſſent, veluti quodam furoris afflatu correpti, nihil niſi ſummam eius ſublimitatem in ore haberent, et vsque aſſeuerarent Philoſophiam non communi hominum ſermone tradi poſſe nec debere, ſed caeleſtem quandam requirere orationem. Quod quoniam mihi mirum videbatur, inprimis quia non eos ſolum, qui fere a diſciplina academica recentes eſſent, ſed illorum quoque nonnullos, qui Philoſophi et eſſe et haberi vellent, vocibus iſtis vti memineram; ſaepius ex iis quaeſiui, quam ſuae ſententiae vim rationemque eſſe putarent; ſed nunquam vllam aliam vocem exprimere ex iis potui, niſi quae vulgaria quaedam, atque omnibus et lippis et tonſoribus nota, de diuina Philoſophiae praeſtantia, balbutiret. Enimuero quum intelligerem, iſtorum hominum opinionem, ex fonte peſtilenti hauſtam, latius manare, et per plerorumque noſtris tempo-

po-

poribus litterarum ſtudia aemulantium ſocordiam, placidaeque et a laboribus vacuae vitae amorem, vt vniuerſae doctrinae, ita praeſertim verae Philoſophiae, perniciem minari: rem non negligendam, ſed diligentius inſpiciendam, et, hac temporis opportunitate oblata, in lucem proferendam cenſui. Conſtat enim, hanc noſtram litterarum Vniuerſitatem, omni fere tempore, barbariei ingruenti et graſſanti fortiter reſtitiſſe, eamque a ſuis certe finibus repuliſſe; quamuis mutato ſemper vultu, variisque formis, monſtrum illud ſaepius recurriſſet. Hac igitur mente, hoc animo, *nobis imbuenda videbatur iuuentus generoſa, quae litteris, potiſſimum ab humanitate dictis,* operam eſſet olim nauatura, vt, quidquid verae eruditioni officeret, id repudiandum, et ab hac antiqua bonarum litterarum ſede arcendum iudicaret.

Neque vero dubito, quin omnes periti rerum iudices perſpiciant, quantum detrimenti iſta peruerſa plurimorum opinio, de ſingulari quadam *Philoſophiae* ſublimitate aut ſubtilitate, quam ipſi explicare non poſſunt, omnibus omnino litteris doctrinisque afferre poſſit, et iam coeperit. Nam quum apud omnes, haec ſententia recte atque vere obtineat, ſine iuſta Philoſophiae cognitione, in reliquis doctrinae partibus nil profici: mirum ſit, ſi quis a Philoſophia peruerſe inſtructus harum cultum cupiat. In Theologia quidem, ſatis conſtat, tam corruptam quandam orationem, ab hac ipſa origine profectam inualuiſſe, vt eruditiſſimi et humaniſſimi Theologi neceſſe ducerent, iuuenes certe ab iſta peruerſitate auocare, et ad honeſtius dicendi genus cohortari. Equidem haud ignoro, iam alios olim bonarum litterarum ſtatores, in his *Erneſtium*, Virum ſummum, vnicum omnis verae doctrinae adhuc columen, et voce, et ſcriptis, maxime *Proluſione de Philoſophia populari*, iſtum errorem ex animis hominum euellere ſtuduiſſe: verum

Digitized by Google

rum, quum erroneae opiniones apud plurimos impreſſae altius reperiantur, quam vere dicta, multi adhuc in iſto errore ſuo perſeuerare maluerunt, quam

ἄλλων μῦθον ἀκούειν
Οἵ μεν φέρτεροί εισι.

Quid? quod nonnullorum, ſublimium dicam an obſcurorum Philoſophorum, ſtulta audacia eo progreditur, vt alios, qui elegantius de rebus philoſophicis diſſerant, atque vere ſubtiles ſint, non odio ſolum perſequantur, ſed calumniis quoque petant. Nec deſunt boni adoleſcentes, more ſeculi, ſcholarum fere abortus, qui coeco quodam impetu in horrida iſta dumeta ruant, carduisque agreſtibus alere mentem velint. Sed ne querendo, aut accuſando, tempus perdere, aut operam lectorum eludere videar, quaerere nunc placet, quid de illa vulgo iactata ſublimitate in tradenda philoſophia ſtatuendum ſit.

Primum vero illud intelligimus, nomen ſublimitatis male hic vſurpari, et haud dubie, vti fieri ſolet, ex lingua theotiſca vim ſuam habere. Nam quae Ariſtoteles, Longinus, Cicero, aliique veteres et recentiores doctiſſimi rhetores, de ſublimitate orationis tradunt et praecipiunt, eorum ſane non maior meliorue in docenda Philoſophia, quam in alia quauis doctrinae parte, vſus erit; vel potius nullus erit. Verum, quum ne ipſi quidem ſublimioris cuiusdam orationis philoſophicae auctores et defenſores certam eius rationem tenere videantur, certe explicare eam aut nolint, aut nequeant; vel ex eorum ſcriptis, vel ſermonibus, tota illa orationis ſublimitas erit diiudicanda. His vero cognitis, tantum abeſt, vt vllam veram in eorum oratione ſublimitatem perſpicias, vt potius eorum dicendi genus humi repere videatur. Nam eos commemorare propemodum pudet, quorum tamen nonnullos cognoui, qui exi-

Digitized by Google

exiſtimarent, ſublimitatem ineſſe in vocabulis artis, quos terminos technicos dicunt. Quo certe nihil ſtultius dici poterat. Nam huiusmodi vocabula in qualibet arte neceſſitas inuenit et protulit, ad rem, aut rei notionem, breuiter et diſtincte ſignificandam et determinandam: quae eorum neceſſitas vbi nulla apparet, ibi nec vſus eorum probandus eſt. Stoicorum vero exemplum, qui nouo, et a communi ſermone abhorrente dicendi genere, in Philoſophia delectati, eoque auctoritatem ſibi conciliare conati ſint, nemo ſanus laudet, aut imitandum putet. Nam ne *veteres quidem illorum differendi rationem hoc nomine probarunt, ſed potius vel irriſerunt vel contemſerunt.* Ac licet *Cicero* eorum placita, libris ſuis philoſophicis, interdum explicet, deque iis latius diſputet: non tamen illorum dicendi genus ſequitur, ſed res atque ſententias ab iis ſumtas ſuae orationis filo format. Nec vero vnquam aliquis idcirco Stoicos ſublimitatis reos fecit, quod vel in vocabulis diſcernendis nouandisque, vel in *poteſtatibus* eorum definiendis, arguti eſſent, *ſed doctiſſimus* quisque eos ſuo abundare *ſenſu paſſus eſt.*

At, dicet aliquis, nonne in iſto Stoicorum more philoſophandi aliqua certe ſubtilitas cernitur, quam noſtri, nominis vi non intellecta, aſſequi ſtudent? *Fi ri poteſt,* auctore *Cicerone* Tuſcul. I, 3 *vt recte quis ſentiat, et id, quod ſentit, polite eloqui non poſſit.* Videmus igitur, quomodo iſti, gloria ſublimitatis deſperata, ſubtilitatis laudem tueantur. Eſt enim profecto propria quaedam Philoſophis ſubtilitas, ea quidem orationis virtus, quae omnia via ac ratione docet, nihil ſuperfluum, nihil curtum, nihil *falſum,* omnia recte dicit atque perſpicue, nec modo ſine vitio ſententiarum verborumque, ſed etiam cum elegantia quadam de rebus diſſerit. Atque haec ſubtilitatis forma, quemlibet, puto, philoſophiam profitentem, ita capiet, vt nemi-

nem eorum fore exiſtimem, quin illius in complexu et ſinu conquieſcere cupiat. Nam hodie quidem nullum eſt genus Philoſophorum, quales *Cicero* ſe noſſe teſtatur, Tuſcul. II, 3. *qui ipſi profit-antur, ſe neque diſtincte, neque diſtribute, neque eleganter, neque ornate dicere et ſcribere.* Vercor autem, ne plurimi, qui ſuae doctrinae ſubtilitatem tribuant, veram eius rationem aut prorſus non teneant, aut certe miſere deſerant. Stet igitur fides penes auctorem quemque. Nos quidem iſtam ſolam, in Philoſophia agnoſcimus; eam veram Philoſophi ſubtilitatem eſſe breuiter demonſtrare inſtituimus.

Atque in eo omnis erudita antiquitas, recentiorque aetas illius veſtigia premens, conſentit, Philoſophiam eſſe pabulum animi, quo hominum ingenia ad omnem veritatis cognitionem, humanitatisque cultum, alantur. Quam ipſam ob cauſam ſingulae quoque Philoſophiae partes, rectiſſime, humanitatis diſciplinae et habentur, et dicuntur. Quodſi ope Philoſophiae ali facultas intelligendi, diiudicandi vis acui, et animus cognitione rerum magnarum vtiliumque, et imbui honeſtatis ſenſu debet, ea ſane diſputandi ratio requiri a Philoſopho videtur, quae et ſubtilitate et elegantia ſe commendet. Hanc vero admiratur doctiſſimus quisque in illis antiquis Graecorum Latinorumque Philoſophis, quos ne noſtri quidem, illorum ceteroquin obtrectatores, omnis Philoſophiae principes, et locupletiſſimos auctores eſſe negent. Horum autem libros ſi quis diligenter cognouerit, et cum recentiorum plerorumque ſcriptis philoſophicis contulerit, tantam orationis diſſimilitudinem, quanta poſſit eſſe maxima, deprehenderit. Ergone dubit bit, vtra philoſophandi ratio ſit ſubtilior? Nullo modo putem, niſi omni humanitatis ſenſu careat. Quis enim illam ſubtilitatis vmbratilis ſiccitatem, quam in Scholaſticorum, et recentiorum, ad illorum exemplum ſcriptis

li-

libris, vbique, cum quodam ſemper faſtidio ſentimus, Graecorum et Latinorum ſermonibus de Philoſophia, copioſis et praedulcibus, anteponat?

Eſt igitur, hoc loco excipiet aliquis, ſubtilitas etiam quaedam eorum, qui ulla adhibita differendi elegantia, ratione ac via philoſophantur? Sit ſane, ſi nomine ſubtilitatis abuti velis, et ad orationem transferre, quam peritiſſimi dicendi magiſtri aridam potius atque ieiunam appellari iubent. Forſitan vero haud pauci me iniquitatis inſimulent, qui nullam doctrinae philoſophicae ſubtilitatem eſſe contendam niſi cum aliqua orationis elegantia coniuncta ſit. Equidem non ſum neſcius, apud Veteres etiam, tum Graecos, tum Latinos, genus Philoſophorum fuiſſe, qui non tam elegantiae in dicendo, quam diligentiae in diſputando, ſtudioſi eſſent: qui accurate omnia definire, certa capita ac genera rerum ponere, et ſub his formas ac partes ſingulas ordinare, denique generum formarumque cauſas exponere, et omnino artis dialecticae tenaciſſimi, vera a falſis, magno cum labore, nec ſine proſpero ſucceſſu, diſcernere ſtuderent, de verborum autem ſententiarumque elegantia minime laborarent. Idem vero illud etiam ſcio, ſcripta illorum neminem praeter ſuos legiſſe, et ſplendidiſſimo quemque ingenio ea niſi contemſiſſe, certe tamen neglexiſſe. Sed Platonem, reliquosque Socraticos, auctore *Cicerone* Tuſcul. II, 3. et deinceps eos, qui ab his profecti erant, legerunt omnes, etiam qui illa non approbarent, aut non ſtudioſiſſime conſectarentur. Cauſam vero, cur illi iacuerint neglecti, hi vero ab omnibus doctrinae eruditionisque cupidis fuerint cum delectatione lecti, facile quivis intelligit.

Ceterum haec ipſa res effeciſſe videtur, vt ſubtilitatis, quae vero et natura eſſet vna, induceretur diſtinctio,

 et

et alia in ſcholarum vmbris deliteſcens, triſtis ac tetrica, alia, cui prodire in lucem liceret, elegans atque erudita diceretur. Illam igitur priorem, nonnullis eorum, qui me in laude ſubtilitatis ipſis eripienda iniquiorem putabunt, facile concedam; modo mihi dent, veriſſimum eſſe, quod *Cicero* contendat, *hanc demum perfectam eſſe Philoſophiam, quae de maximis quaeſtionibus copioſe poſſit ornateque dicere.* Quid? copioſe atque ornate, non autem ſubtiliter? Legat, quicunque tam ruſtice vrget, libros iſtos Tuſculanarum Quaeſtionum a Cicerone Philoſopho conſcriptos; iisque lectis et intellectis pronunciet, quid ſubtilitatis in iis deſiderarit. Tum vero e ſuis ſcriniolis vnam modo quaeſtionem proferat, ſubtilius explicatam iſtis quinque dierum ſcholis, quas in totidem libros Cicero contulit.

Quodſi illa Dialecticorum diligentia non abhorret ab orationis elegantia, ſed vtraque potius recte vtiliterque coniungitur; quaerendum deinceps videtur, quae cauſae ſint, cur haec ab illa a plurimis non modo ſeiungatur, ſed etiam prae ea contemnatur. Etſi vero plures huius peruerſitatis cauſas reperiri arbitror, tres tamen, quae mihi videntur praecipuae, commemorare modo placet. Prima haud dubie eſt neglecta a noſtris veterum Graecorum Latinorumque librorum lectio, vel propter ingenii tarditatem, vel propter delicatiſſimum inertiſſimae ſegnitiei faſtidium. Quidquid enim vel ſeueri noſtri morum magiſtri, vel delicati et otio abutentes homines, bellae, inquam, animae, contradicant, nunquam tamen vincent, eos falli, qui putent atque contendant, celeres animi ingeniique motus, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque ſint copioſi, non alio modo certius excitari et acui, niſi Graecarum Latinarumque litterarum monumentis diligenter atque aſſidue legendis. Quod ipſe vſus et experientia quotidiana ſatis docere atque confirmare videtur. Nam

in

Digitized by Google

in omnibus doctrinae partibus eos fere et intelligendi prudentia, et eloquendi celeritate, excellere conſtat, qui Graecorum Latinorumque litteris ſubacta habent ingenia. *Ceteros vero*, qui non ita liberaliter inſtituti, ſine iuſta iſtarum litterarum cognitione ad quascunque doctrinae partes acceſſerint, vix apud mediocres homines dicere ſatis acute atque dilucide poſſe vidimus. Imperitae enim plebeculae admirationem, vel potius ſtuporem, obſcure aut ambitioſe dicendo iniicere, is quidem plane nullus doctrinae fructus eſt putandus, qui in eo potius cernitur, vt, quae ſentias de *omni litterarum genere, ea ſubtiliter perſequendo, audientium legentiumue animos l berali quadam voluptate* perfundas, et diſſerendo, quo velis, adducas.

Altera cauſa, quae nonnullos, qui Philoſophiam profitentur, doctae illius et antiquae ſubtilitatis negligentiores reddat, ab eorum quadam obſcuritatis affectatione videtur arceſſenda. Sunt enim, qui obſcuriori ſcientia delectentur, et obſcuriſſima quaeque *homine docto digniſſima* exiſtiment. Verum, *etſi* magnam ingeniorum diuerſitatem eſſe, et *alium alia* mentis facultate pollere, inter omnes conſtat; vereor tamen, vt *iſti* obſcuri viri magnam *ingenii* laudem vindicare ſibi poſſint. Nam nobis nunc non eſt ſermo de *Neutonis*, *Leibnitiis*, *Wolfiis*, ſimilibusque philoſophis, qui res obſcuras, tamen valde vtiles atque neceſſarias, indagant, et mente ſcientiaque comprehendere ſtudent: ſed cum illis potius nobis res eſt, qui res notas, et ab aliis *dilucide* atque ſcienter explicatas, ita argutiis ſuis perſequuntur, vt eas *obſcuritate inuoluere laborent*. Nemo enim ſanus dubitet, quin vnicum philoſophiae munus ſit, vt res obſcuriores clare et explicate tradat. Multi vero recentiorum philoſophorum illud ſibi propoſuiſſe videntur, vt Kabbaliſtarum more, nomina nota notionibus obſcuris et reconditis exponerent, et ſedulitate male argua, ex philo-

ſo-

Digitized by Google

ſophia, quae maxime popularis eſſe deberet, myſticam quandam doctrinam conficerent. Quis paullo humanior eorum ſtudium operamque probet? *Cicero* quidem de Orat. III, 19. dicit: *vt ea, quae dicamus, intelligantur, aſſequi poſſumus dicendo verbis vſitatis, ac proprie demonſtrantibus ea, quae ſignificare volumus.* Illorum vero oratio, tantum abeſt vt lumen adhibeat rebus, vt obſcuritatem potius ac tenebras afferat. Nec vnquam tales philoſophi, qui obſcuri et eſſe et haberi vellent, neque apud Graecos, neque apud Romanos, neque apud aliam gentem politiorem, ſunt laudem, quam peterent, conſecuti; quum ceteri, qui perſpicuitati et ſubtilitati eleganti ſtuduerint, et viui ſummo in honore fuiſſent, et mortui cummaxime floreant. Etſi enim vulgo exiſtimant, in philoſophia res ſpectari, non verba pendi; plurimum tamen intereſſe quisque intelligit, quemadmodum de iſtis rebus dicatur. Atque id eo magis in tradenda philoſophia ſpectandum videtur, quo certius conſtat, eam per reliquas omnes doctrinae partes diffundere lucem debere. Igitur hic inprimis illud *Ariſtotelis* praeceptum, Rhetor. III, 2. tenendum erit: Λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι· σημεῖον γὰρ, ὅτι ὁ λόγος, ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον.

Neque tertium illud, ad excuſandam triſtem et ſiccam plerorumque inter recentiores ſubtilitatem valet, quod volunt, multas philoſophiae partes tam ſubtiles et acutas eſſe, vt hominum plerorumque captum excedant. Fac enim, vt *natura multarum rerum veritatem,* auctore *Democrito, in profundo penitus abſtruſerit*, enimuero philoſophus doctus et ſapiens eam non limo obductam, ſed perpurgatam, et nitori ſuo naturali reſtitutam, producere in conſpectum hominum debet. Atque id fieri poſſe, omnis philoſophiae inuentores Graeci, eosque ſecuti Latini, exemplo ſuo oſtenderunt. Nec audiendi erunt, qui aliud eſſe di-

dicent, familiari ſermone, de rebus ad philoſophiam pertinentibus, diſſerere, quod Cicero aliique veteres fecerint; aliud, quod in ſcholis fiat, diuerſas philoſophicae doctrinae partes in arte tradere. Nam ea quoque, quae in ſcholis philoſophorum via ac ratione docentur, ſermonis elegantiam ſubtilitati coniunctam capere, praeter Veteres quosdam, *Erneſtius* noſter, editis ſolidioris doctrinae initiis, oſtendit, eoque ab ipſa philoſophia gratias iniit immortales. Omnino autem non intelligo, quid noſtri, vitioſae ſuae orationis culpam in rerum ipſarum difficultatem ſubtilitatemque conferentes, ſibi velint. Nam *nullas res nouas*, ſed *antiquitus plerasque inuentas, et dudum explicatas ac demonſtratas*, tradere eos conſtat. In his vero repetendis, et vel voce vel ſcripto tradendis, nullae aliae iis ſunt partes datae, quam vt ſubtiliter de iis diſſerendo, aditum ingeniis diſcendi cupidis ad ea, quae recondita ſint atque interiora, cognoſcenda patefaciant. Nonne vero in re difficili atque ſubtili, licet ſermone facili et perſpicuo vti? Cur igitur ſcholas philoſophicas habent, ſi obſcura non niſi obſcure interpretari et explicare poſſint, nec limati atque vere ſubtiles philoſophi, qui res explicent propriis perſpicuisque verbis, eſſe velint. Bene *Arminius*, in Epiſtola quadam ad *Ioannem Vytenbogardum* ſcripſit: *ineruditi eſt, imo incogitantis, non curare quibus verbis ſententiam veram enuntiet*. Mihi vero ii, qui tetricae ſuae ſubtilitatis hanc afferunt cauſam, quod philoſophia in obſcuris, et quae ſint ſupra plerorumque captum, rebus verſetur, fateri potius videntur, ne ſua quidem ipſorum ingenia eſſe talia, quae iſtas res capere, et ſuper iis via ac ratione philoſophari queant. Nam veriſſime profecto *Quintilianus*, Inſtitutt. II, 3. dicit: *plerumque accidit, vt faciliora ſint ad intelligendum, et lucidiora multo, quae a doctiſſimo quoque dicantur.* Paulo poſt: *erit ergo etiam obſcurior, quo quisque deterior.*

D Tum

Tum vero non magnam, aut potius nullam vtilitatem, ex iſta ieiuna recentiorum philoſophandi ratione, nec ad reliquas doctrinae partes, nec ad reipublicae gubernationem, nec ad hominum ſocietatem, nec ad vitae cultum redundare poſſe, omnes intelligent. Nam ſi ea nil prodeſt ad apte ſubtiliterque de re quauis dicendum, et ſcribendum, quis eius non ſpernendus erit vſus in docendis artibus atque doctrinis, in rebus pace belloque gerendis, in ſalute ſocietatis humanae tuenda, denique ad bene beateque viuendum? Nemo vero miretur, me de tali philoſophiae vtilitate ponere quaeſtionem. Hanc enim inde ab antiquiſſimis temporibus laudem philoſophiae eſſe, vt mentes animosque rerum plurimarum et optimarum cognitione alat, atque vitam publicam et priuatam pulcherrimis inſtitutis regat, nemo eſt qui ignoret. *Aelianus* quidem Varr. Hiſt. III, 17. magnum philoſophorum, quorum ſapientia prudentiaque magnae ciuitates ſtetere, numerum refert. Atque *Plato* quum auctor ſit, optime gubernari rempublicam, quae philoſophis ſit commiſſa, nulla ſane modo tetricis illis et vmbraticis philoſophiae doctoribus gubernacula ciuitatum regendarum vult tradi, ſed hominibus potius doctis atque eruditis, qui vniuerſam omnium rerum naturam plane perſpectam habeant, luculenterque explicare poſſint.

Nec obiiciat aliquis, hodie neminem eorum, qui philoſophiam profiteantur, capeſſere rempublicam. Nam ex horum tamen ſcholis tales euadere iuuenes debent, qui vtilem aliquando operam reipublicae nauent. Quod an ipſis ſuum philoſophandi genus, fortaſſe acutum, ſed abhorrens ab vſu publico, obſcurum, exile, ieiunum, praeſtet, ipſi viderint. In reliquis vero doctrinae partibus recte cognoſcendis, riteque tractandis, quantum illa vulgaris philoſophandi ratio proſit, vel potius obſit, plerique tum, quanquam ſero, ſentiunt, cum dicere de iis aut ſcribere coguntur.

tur.

tur. Quis enim huius, de qua loquimur, philoſophiae vſus in eloquentia? *Cicero* quidem in omnibus ſuis Rhetoricis libris hunc philoſophiae fructum ita oſtendit vt e philoſophorum ſcholis optimos Oratores euadere obtineret. An vero idem illud de noſtris plerorumque ſcholis gloriari liceat? Mihi quidem ſaepiſſime hac de re cogitanti, locus nobilis e *Gellii* Noctib. Att. V, 15. in mentem venit, vbi poſt relatam huiusmodi quaeſtionem acutam, ita concludit: *Hos aliosque tales argutae delectabilisque deſidiae aculeos quum audiremus, vel lectitaremus; neque in his ſcrupulis, aut emolumentum aliquod ſolidum, ad rationem vitae pertinens, aut finem vllum quaerendi videremus: Ennianum Neptolemum probabamus, qui profecto ita ait:*

Philoſophandum eſt paucis. Nam omnino haud placet.

Neque vero miror, ſi multis, qui hanc de philoſophia diſſerendi rationem ſequuntur, idem accidat, quod Pacuuiano Amphioni euenit, auctore *Cicerone* de Diuinat II, 64. qui cum obſcurius dixiſſet, Attici reſpondent: *non intelligimus, niſi aperte dixeris.* Neceſſe enim eſt, vt totum illud philoſophandi genus, auditoribus ſubinde oſcitantibus, diſpliceat, quum magno verborum apparatu, magnaque animi contentione, friuola quaeque, et in nullam partem vtilia, vnius cuiusdam placita, ſubtilius, vt putant, id eſt obſcurius, explicentur. Sed de hoc mox deinceps plura dicemus. Nunc de vtilitate huius philoſophiae quaerimus. Quis autem Hiſtoricus, quis Orator, quis Poeta, quis denique ſanus, iſtam ei laudem tribuat, quam a *Cicerone* Tuſculan. V, 2. ſqq philoſophiae tributam ſumma cum voluptate legimus.

At vero certe exiſtimandum erit, illam vulgarem philoſophandi rationem cum quadam animi oblectatione coniunctam eſſe, quae pluribus eam commendet. Iam ſupra men-

Digitized by Google

mentionem fecimus, qualia fere ingenia eſſent, quae obſcuritate magis, quam perſpicuitate tenerentur. Hoc loco illud modo tenendum eſt, non id quaeri, vtrum ingenua et liberaliter inſtituta mens, ex inueſtigatione atque cognitione rerum abditarum, percipere voluptatem poſſit et debeat: ſed potius illud, an docti et prudentis philoſophi ſit, adoleſcentes philoſophiae addiſcendae cupidos, horrido atque inculto philoſophandi genere, a vere philoſophiae ſuauitate arcere? Ille fortaſſe non iniucundus labor nonnullis fuerit, haec autem conſuetudo ab omni humanitate abhorrere videtur. Alia enim contemplandi exercitatio, alia docendi ratio eſſe debet. Nos quidem induſtriae, quam quisque in vero inueſtigando conſumit, modum non ſtatuimus: attamen hac ſemper cautione opus eſſe iudicamus, ne quis putet, omnia, quae magno cum labore ipſe cognouerit, omnibus aeque ſcitu neceſſaria atque iucunda, adeoque per omnes ambages eodem ſtudio, eadem virium contentione, indaganda eſſe.

Iam vero reſtat, vt de via ac ratione, veram illam, quam diximus, orationis philoſophicae ſubtilitatem comparandi et obtinendi, nonnulla praecipiamus. Nam noſtris quidem temporibus eo maiorem philoſophis adhibendam eſſe curam arbitror, vt eam in docendo ſubtilitatem ſequantur, quae maxime perſpicuitati, iuſtaeque breuitati inſeruiat, quo magis plerique noſtrorum philoſophiae ſtudia aemulantium ordine locoque et aetate, Graecis Romanisque philoſophicae diſciplinae operam dantibus ſunt diſpares. Primum igitur, idque non nouum quidem, ſed vulgo neglectum, ideoque ſerio philoſophiam diſcentibus atque docentibus inculcandum praeceptum eſt, vt ab iis lectioni veterum Scriptorum plus temporis et operae tribuatur, quam fieri a plerisque ſoleat. Huius librorum graecorum latinorumque lectionis contemtum, ſupra in cauſis com-

Digitized by Google

commemorauimus, cur plurimos de ſubtilitate philoſophica peruerſe iudicare putaremus. In quo nos minime falli certiſſime perſpiciet, ſi quis Veterum illorum philoſophandi rationem cum recentiorum plerorumque doctrina contulerit. Si igitur Graecorum Latinorumque inſtituto, quod omnium Seculorum grauiſſimi doctiſſimique homines probarunt atque commendarunt, tractare philoſophiam placet, ex eorundem monumentis cognoſcendum erit, qualis eorum philoſophandi ratio fuerit, cuius ope hanc aſſecuti ſint laudem, quod et in definiendis rebus, et in explanandis, *ſemper preſſi eſſent atque elegantes.* *Neque vero ſolos philoſophorum veterum libros aſſidue diligenterque ab iis,* qui cum laude in philoſophia verſari velint, legendos eſſe arbitror, ſed Oratorum quoque, Hiſtoricorum, atque Poetarum ſcripta, diurna nocturnaque manu futuro philoſopho verſanda. Quibus legendis quantum in ipſa philoſophia cognoſcenda proficere poſſint, non eſt huius loci diſputare, quum eorum lectionem nunc modo commendemus, vt inde vera de rebus *ſubtiliter* doctèque differendi ratio diſcatur. (*Sed ſubeſt periculum*, ita aiunt iſti ſubtiles *philoſophi*, ne talibus gentilium libris legendis, ſenſim transfundatur in animos legentium paganismus; tectum eſſe venenum, exitiale homini chriſtiano. Nugae! *) Sed ne hoc quidem latius ediſſerendum videtur, quia ſuus quemque ſenſus docere poteſt, res bonas magnasque, verbis electis grauiter ornateque dictas, maiori cum voluptate, atque etiam vtilitate, fere ab omnibus audiri, legi, atque cognoſci. Nam etſi *Cicero* de Fin. B. et M. I, 5. fate-

 tur,

*) Confutata haec leges in Commentariolis noſtris, *de barbarie fanaticismi filia: de optimis contra fanaticos, in litteras graſſantes, remediis: de lectione Scriptt. vett. Grecor. et Latinor. ad ſenſum honeſti et morum probitatem referenda.*

Digitized by Google

tur, oratione Epicuri, minus culta atque terſa, ſe non magnopere offendi: tamen paullo infra addit, *vellem equidem, aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior, (eſt enim non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent eruditi appellantur,) aut ne deterruiſſet alios a ſtudiis.* Ego vero nollem, vtrumque hodie in complures de noſtris dici poſſe. Hi tamen ipſi intelligent, quantum aſſiduae diligentique Veterum lectioni tribuendum ſit, ſi modo agnoſcere volent, eſſe naturalem quandam orationis pulchritudinem, a qua philoſophum minime omnium abhorrere deceat. Verum hanc doctrina vſuque, et inprimis conſuetudine atque familiaritate cum Graecorum Latinorumque libris comparari, doctis omnibus conſtat.

Alterum, quod hac de re praecipiendum videtur, eſt, vt, qui philoſophiam profitentur, inſtituant, more Veterum, non modo ſaepe familiares de rebus ad ipſorum doctrinam pertinentibus, habere ſermones, ſed ſaepius de iis ſcribere, ita quidem, vt ab omnibus, etiam diſſentientibus, ſua non ſolum libenter legi, ſed facile etiam intelligi velint. Veriſſimum enim certiſſimumque eſt, dicendi atque ſcribendi conſuetudinem et exercitationem, cum intelligendi prudentiam acuere, tum eloquendi facultatem celeritatemque incitare. Nec dubitandum eſſe videtur, ſi ii, qui omnem orationis cultum in philoſophia negligunt, in hac exercitatione ſe ſuosque continerent, quin eſſent facilius intellecturi, multa ſibi obſcura, nec ſatis dilucida eſſe, quae ſe dudum cognita perſpectaque habere putaſſent. Nam rectiſſime magnus *Eraſmus* ſtatuit, non melius percipi, num quis aliquid ſatis teneat, quam experiundo, num aliis illud perſpicue planeque tradere poſſit. Verum ſi plane docere velis, non tibi tuaeque familiae propriis vtendum eſt verbis, et loquendi formulis, ſed, auctore *Cicerone* de Inuent. II, 17. *opinio hominum ſequenda, conſiderandumque,* quem-

quemadmodum, et quibus in rebus, homines, in conſuetudine ſcribendi aut ſermocinandi, iis verbis vti ſoleant. Quod non eo valere volumus, vt plebeius quilibet, et rudis homo, *philoſophum* docentem intelligat; ſed vt ii, qui ingenio ad *philoſophiam* apto, et litteris bonis ſubacto ſint praediti, obſcura doctoris diſſerendi ratione non impediantur, quo minus ea, quae in philoſophia tradantur, capiant. Quod nunc fere ſecus fieri videmus. Nam ſaepe ſtupidiſſimi, et optimarum artium plane expertes, ſe doctoris obſcuri φιλοσοφούμενα penitus percepiſſe gloriantur, quum optimo *quisque ingenio ſe ex eadem diſciplina nullo cum fructu diſceſſiſſe* queratur. Cuius rei *ſane* non alia videtur eſſe cauſa, quam quod in tradenda philoſophia a populari orationis genere, atque a conſuetudine communis ſenſus, plurimorum diſſerendi ratio nimis abhorret. Atque hoc ipſi ſentirent, ſi crebriori ex communi vſu, atque ex hominum politiorum more, dicendi et ſcribendi exercitatione vterentur.

Huic praecepto tertium, cum illo maxime coniunctum, addimus, vt philoſophi in ſcholis, quibus ſuorum ſcientiam philoſophiae tentant, et facultatem de rebus cognitis diſſerendi explorant, philoſophiae ſtudioſos conſuefaciant, non ſola magiſtri dictata repetere, ſed res atque placita ſuis potius verbis definire, diſtinguere, explicare, et demonſtrare. Deinde in ſcholis, quae ſolent haberi vt iuuenes diſputando ſcribendoque exerceantur, videndum erit, vt doctor, qui iſtiusmodi exercitationibus praeeſt, quaeſtiones, de quibus diſputetur, aut ſcribatur, vel ipſe proponat, vel eas certe, quae a familiaribus proponuntur, diligenter percenſeat, atque grauiſſimas et vtiliſſimas eligat. Quantopere enim Iuuenes plerumque in hoc delectu errent, opiniones fere paradoxas et inutiles, ſi modo ingenioſae vulgo putentur, certioribus melioribusque praefe-

ren-

Digitized by Google

rentes, non opus eſt pluribus confirmare. Quodſi de placitis philoſophiae veris, certis, grauibus atque vtilibus diſputare aut ſcribere coguntur, elaborandum iis eſt, et circumſpiciendum, quomodo iſta placita definiendo atque diſtinguendo recte intelligantur, grauiſſimis argumentis confirmentur, verbisque aptiſſimis explicentur. Quo in genere ſi perfecti euaſerint, tum ſe veram ſubtilitatis rationem in philoſophando tenere poterunt exiſtimare.

Omnino autem ad veram ſubtilitatem, de qua iam dudum loquimur, fortaſſe illud quoque plurimum profuerit, quod vltimo loco quaerendum duximus, ſi maior diligentiorque philoſophicae hiſtoriae vſus obtinuerit. Qua de re, egregia, lectuque digniſſima eſt *Facciolati*, Viri celeberrimi, Oratio, inter Orationes eius, Lipſiae MDCCLI. vt eſt in titulo editas, Quarta. Ad quam eo libentius Lectores noſtros dimittimus, quo certius perſuaſi ſumus, eum iſtam philoſophiae diſcendae docendaeque rationem ſatis certis firmisque rationibus defendiſſe. Nobis hoc loco ſufficit monuiſſe, ipſum *Ciceronem* hac ratione, tam in rhetoricis, quam philoſophicis libris, ſaepiſſime vſum eſſe, vt Veterum omnium, qui aliquo numero eſſent, et familiam ducerent, opiniones colligeret, explicaret, et, quid de iis ſtatuendum eſſet, diceret. Atque hanc adeo rationem, de Inuentione II, 2. vehementer commendat, et addit: *ſi in ceteris quoque ſtudiis a multis eligere homines commodiſſimum quodque, quam ſeſe vni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent; non tantopere in vitiis perſeuerarent; aliquanto leuius ex inſcientia laborarent.*

Ceterum, hac ratione veram orationis philoſophicae ſubtilitatem vnice ali et acui, duplici intelligitur modo. Primum enim ipſi philoſophiae doctores, ſi ex vtilitate diſcentium communi laudem atque lucrum maximum quaererent,

rent, ex ipſis haurire fontibus, eosque adire cogentur, qui ſingularum opinionum auctores, defenſores, et propagatores fuerunt. Qua quidem opera, eorum prudentia, et dicendi de rebus philoſophicis copia, mirifice augebitur. *Sunt enim illi Veteres*, auctore *Cicerone* de Orat. III, 10. *prope omnes praeclare locuti. Quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui niſi pure ac dilucide.* Quin etiam ea res efficiet, vt non neceſſe ſit, iisdem de rebus ſemper quaſi dictata decantare, nec vnquam a commentariolis ſuis diſcedere. Qua de conſuetudine quoties cogito, non poſſum quin obſcuram eorum diligentiam induſtriamque oderim, qui ad vnius hominis auctoritatem, tanquam ad ſcopulum vento delati, ita dictatis eius adhaereſcunt, vt, ſi ea innumeris minutis quaeſtionibus enucleauerint, argumentis compluribus contortis munierint, et priuatis publicisque experimentis propugnauerint, ſe philoſophi officio ſatisfeciſſe puteat.

Deinde vero iuuenes, ingenio et induſtria inſignes, aſſidua optimos quosque Scriptores legendi exercitatione continebuntur, adeoque cum iis et loqui, atque ſubtiliter de quacunque re, quae in diſceptationem cadit, dicere et ſcribere diſcent. Quamquam enim non negamus, ad hanc philoſophiae hiſtoricae rationem, maiorem ingenii vim doctrinaeque elegantis apparatum, atque plus temporis et operae, quam ad illam vulgarem requiri: tamen hoc quoque certum, illud hiſtoricum philoſophandi genus, varietate rerum, facilitateque ac ſuauitate, ita ſe commendare, vt vltro liberalem mentem alliciat, et ſine vllo faſtidio teneat. Quodſi quis contra dicat, nunquam iuuenes iſta ratione philoſophos eſſe euaſuros, id quidem facile concedam; ſed illud quoque credi velim, iuuenes quidem minime decere barbam philoſophicam, cognitionem vero philoſophiae,

quae vniuerſae antiquitatis recentiorisque aetatis, eruditae doctrinam complectatur, iis, cuicunque ſe ſtudio dederint, maximo et ornamento et adiumento eſſe. Denique hoc modo etiam illud diſcidium tolletur, quod *Cicero* abſurdum, inutile, et reprehendendum rectiſſime affirmat, vt alii nos ſapere, alii dicere doceant.

Agite igitur, qui in hac noſtra litterarum Vniuerſitate litterarum ſtudia colitis, agnoſcite mirificam dicendi et intelligendi ſocietatem, quam, duce natura, veteres recentioresque doctiſſimi voluerunt eſſe, et in eo omni ſtudio elaborate, vt rerum diuinarum humanarumque cognitionem cum dicendi ſcientia diligenter iungatis. Nam ita certiſſime efficietis, vt ſummam illam Craſſi laudem conſequamini, vt de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua quaedam ſit oratio veſtra. Nolite vobis perſuadere, philoſophiam, humaniſſimam artem, genere dicendi a communi hominum vſu abhorrente vti; ſed vnam potius cum *Cicerone* exiſtimate eloquentiam eſſe, quascunque in oras diſputationis regionesue ſit delata. Mihi nunc ſufficit, falſam illam peruerſamque plurimorum, de peculiari philoſophorum oratione, opinionem indicaſſe, nec eam modo repudiandam eſſe, ſed etiam quo modo ab ea cauendum eſſet, oſtendiſſe.

Poteramus exemplis philoſophorum, viuentium et mortuorum, qui ſubtilitatis gloriam affectabant, quae in vniuerſum dicta a me ſunt, comprobare, ſed crabrones irritare noluimus. Res ipſa loquitur.

De *ſubtilitate orationis theologicae* forte alio tempore dicemus; nam et hanc, male intellectam, ſunt qui iactent, neque ſatis dici poteſt, quantum inde religio ipſa, quam docere clare et diſtincte debebat theologia, detrimentum capiat.

HI-

HISTORIA REFORMATIONIS ECCLESIARVM Rhaeticarum, ex genuinis fontibus, et adhuc maximam partem nunquam impreſſis, ſine partium ſtudio deducta, vt extans ſymbola ad Syntagma Hiſt. reform. Helueticae queat conferri: nunc primum in lucem edita a PETRO DOMINICO ROSIO DE PORTA I. C. in Eccl. Scamff. Miniſtro, et Vener. Colloquii Sup. Oengaddinae Cancellario.

Curiae Rhaetorum, A. 1771. *TOM. I.* Alph. 4. pl. 16. in 4.

Librum indicamus, in magno pretio futurum apud omnes hiſtoriae recentioris amantes, ſiue illa varias vices Eccleſiarum et doctrinae amplexa, poſteris aliquod temporum documentum proponat; ſiue Reformationem et virorum doctorum res, non minus vtiles ſcitu et iucundas, explicet. Neque enim quisquam eſt, qui, quantum noſtra interſit hanc hiſtoriae partem penitius noſſe, eruditus ignoret; quum reformatio harum Eccleſiarum, ad maiorem illam et generaliorem plus valuerit, quam quis facile exiſtimet, niſi earum rerum apprime gnarus. Atqui hic multa egregie dicta inuenies, cum ad confirmandam omnem hiſtoriam, tum ad illuſtrandas virorum doctorum vitas, qui, cum ea tempeſtate florerent, quae ad magnam illam ſacrorum repurgationem fatalis eſſet, et maximam rebus et ingeniis humanis mutationem afferret, auide illam ſuſcipiendo et tuendo, omnium oculos in ſe conuerterunt.

Digitized by Google

Longo ſermone et copioſe praefatus eſt autor de iis, qui ante ſe res Rhaeticas ſcripſerunt: quorum primum ponit Huldricum Campellum, e cuius opere, licet nondum vulgato, ſua hauſerint reliqui omnes, et ipſi multum adhibendus; peragrata tamen ſimul tota Heluetia, aditisque Bibliothecis et tabulariis, ad materiam operi conquirendam, neque opera plane inutili impenſa, licet interdum ſpes ſucceſſu deſtitueretur. Multum tamen adiutus eſt decreto Ordinum, quo 1767. in ſingulis Foederatorum pagis conſtituti ſunt triumuiri, tabulis publicis ordinandis. Primum dubitauit, annalesne, an hiſtoriam ſcriberet, tandem ad hanc animum appulit: quae, quia res geſtas cum ſuis cauſis diſtinctius traderet, legentium vtilitati magis inſeruiret. Omnis narratio quatuor partibus abſoluitur: prima primordia tradit Reformationis, progreſſa vsque ad annum 1540; ab altera, quae inde orſa vsque ad annum 1580. pertingit, excepta. In hanc tempeſtatem cadunt Gallicae et Hiſpanicae factiones, quae ſacra et rem Rhaeticam turbarunt, et prope euerterunt, argumentum tertiae parti praebiturae: anno 1639. Mediolani pactis res pacatae et reſtitutae ſunt, quod otium parte quarta enarrabitur. Auctor, partim grauem rerum delectum, ſummamque adhibendo in indaganda veritate curam, partim in ponderandis hominibus ac rebus, ſingularem tuendo iudicii moderationem et aequitatem, id videtur conſecutus eſſe, quod paucis contigit, nimirum vt dignum habeamus, quem alii imitandum ſibi proponant. Accedit denique ea ſermonis elegantia, quae non niſi ex probatiſſimis veterum exemplis, aſſidua lectione, hauſta videatur. Libro primo, a duobus capitibus quaſi fundamentum reliquae tractationis iactum eſt: altero enim de Rhaetorum origine, relictaque Hetruria in Alpes migratione, fatisque ad Saec. XV. vsque, quo ea demum gens foederibus inter ſe coiit, varia-

que

que eius inde fortuna, regimine, et lingua expoſitis: altero primordia et vices religionis Chriſtianae, vsque ad Saec. XVI, ſacris purgatis illuſtre, tradita ſunt. In Legendis, Lucius quidam Britannus, regali ſanguine oriundus, ſubditis fratribus Rhaetorum Apoſtolus fertur, primusque Curiae Epiſcopus: quamquam non ſatis ſibi conſtant in errore, quem ex Bedae Hiſt. S. I, 4. manaſſe, noſtra aetate compertum habemus; eiusque in diptychis Curianis, nec vola nec veſtigium deprehenditur, olim iam, ad Vadiani preces, fruſtra quaeſiti: vid. Goldaſt. Script. rer. Alemann *T. III. p. 154. 155.* Neque dubium *eſt, quin* religio Chriſtiana, cum Chriſtianis demum Imperatoribus in has Alpes penetrauerit, quod autori videtur Conſtantii temporibus contigiſſe, orto tum Epiſcopo cum dioeceſi, iisdem limitibus, quibus Rhaetia, ſub Conſtante, prouincia deſcripta eſt. Etſi in tabulario Epiſcopatus, praeter diptycha quaedam, quae vltra res Saec. VI. non aſſurgunt, nihil inuenias; tamen illum vetuſtiorem eſſe, multis et idoneis argumentis conſtat. Nam in Concilio Chalcedonenſi, Amantius Comi Epiſcopus, Aſimonis nomine ſubſcripſit, Epiſcopi Eccl. Curienſis Rhaetiae primae. Eccleſia, ſi qua alia, certe et haec variis ſuperſtitionibus turpata eſt: reis, et in hoc terrarum angulo, clericis inertiae, monachis libidinum. Tertio mox capite, ſacrorum purgatorum ex Heluetis allatorum, hiſtoria enarratur. Apparet igitur, rem a Zwinglio autore profectam eſſe, cuius orationes Turici motus dederant: qui inde, vt peragratis reliquis vrbibus, in Rhaetos emanauerint, facto, tollendis quibusdam erroribus, rerum nouarum initio, tenui *illo quidem*, nec tamen plane contemnendo, multis enarratum eſt. Prima purioris doctrinae fax, a Turicenſi quodam accenſa, in Antonii conuallibus emicuit; ſubſecutis mox et aliis, viri exemplo illectis, grauiſſimis turbis. De nomine eius valde ambigitur. Sunt

qui Bürclinum vocent, non ſat certis indiciis. Maximam laudem inter eius aemulos, Phil. Gallitius adeptus eſt. Cap. V. de ducibus, doctrina, moliminibus, et exitu infelici Anabaptiſtarum agitur: hos, primos cauſam religionis impedientes, ſecutum Capitulum Curiarum, C. VI. quod Ilantii a 1526. incepta cum Euangelicis diſputatione, ſuas partes foedauit. Epiſcopus, nihil eo modeſtior, reformantibus ſemper aduerſatus eſt, nu'lo operae pretio facto; quoniam decreto Ordinum, cuiusuis arbitrio, religionem aut Romanam aut Euangelicam amplectendi, permiſſum erat. Cui mox aliud additum, ad aſſerendam Ordinum poteſtatem in Epiſcopum et Clerum, quod eo valuit, vt plures eccleſiae Euangelica ſacra ſuſciperent; quarum omnium facta ordine recenſio, earumque, diſputatione Bernae 1528. habita, magis auctus eſt numerus. Epiſcopus, aduerſariorum ſucceſſibus inuidens, clandeſtina eos fraude adortus eſt, quam detectam vlti ſunt ciues. Abſenti poſt data venia, et iam rediturus, in obſcuro aliquo loco extinctus eſt, coll. L. II. c. 1. Interim, cum multa inuecta eſſent, quae contra purgatorum ſacrorum religionem eſſe viderentur, e re viſum eſt, iis in perpetuum conſuli, concilio quotannis habendo; vt rudes homines, et religionis expertes, quo genere hactenus laboratum erat, a docendis ſacris arcerentur. Decreto in eam ſententiam 1537. facto, ſimul ludus apertus eſt litterarius eo loco, quo Dominicani degerant, ſacris loco motis. Diſceptatum deinde eſt anno 1537. quod Vlricus Campellus, cum Clericus non eſſet, Baptiſmo initiauerat, an id et foeminis liceret? Septiduo poſt conuenit, Clericorum omnino id eſſe; ſed ſi qua neceſſitas ingruat idem viris fas eſſe, praeſertim plenae aetatis, quorum ſi non copia ſit, nihil impedire quo minus et foeminis hoc liceat, modo vtrique rite faciant. Partes cauſam Suſii diſceptarunt, quod eius Rhaetiae eſt, quam Oengaddinam vocant:

cant: quo facto res Euangelicorum maiora incrementa cepit. Hactenus de ſacris in Rhaetia ciſalpina purgatis: ſequuntur tranſalpinae res, quas Autor libro II. expoſuit. Praegallia orſus et Clauennae comitatu, peragrato inde Veltelino agro, per vicinos Locarenſes et Peſclauienſes in Rhaetiam redux, enarrauit; percommode lingua coniunctos et opere iungens, omnes enim Italica lingua vtuntur. Quare iisdem magiſtris ſacra edocti, iisdem Pontificum artibus oppugnati ſunt: complures nacti Italos aduenas, ſiue probos illos et gnauos, ſeu nullius pretii, nouarum rerum autores, nihil niſi turbas quaerentes.

Qui tractus poſtquam Rhaetorum factus eſt, multi illum eius gentis adierunt, verae religioni dediti: qui, quod ipſis domi liberum fuiſſet, nec peregre diſſimulabant. Inde primum illa in eas regiones inuecta, ſenſim latius manauit, vsque ad Comenſem agrum, et per omne adeo Mediolanum, donec ad Monachos et eruditos perueniſſet, ſedulo illam propagantes: idque ſatis arduum viſum eſt, cur Roma Quaeſitor mitteretur in Veltelinos, qui nihil flagitii reliqui fecit. Hic multa inſeruit autor, de ſcriptis et rebus virorum doctorum, digna quae legantur, quaeque ad Lutherum, Bucerum, et alios pertinent. Adiecit et lepidam apparitionem b. Virginis, quam contra aemulos adornarant Catholici, foedo euentu; nec non alia quaedam eiusdem farinae, quorum Vergerius autor eſt in opuſculis. Multi homines et eruditi Italia pulſi ob religionem, ad Rhaetos venerunt, libere eam profeſſuri: pari modo, ſi Catholicorum ſententia ſtandum fuiſſet, et hinc eiiciendi, quod tamen euentus deſtituit. Iidem varios errores inuexerunt, maxime Photinianos, quibus ſummo ſtudio fautores de plebe conciliarunt. Inter eos Franciſcus Calaber, Hieronymus Mediolanenſis, et Titianus, maxime inſignes fuerunt. Inde diſcordiae natae in Clero et reliquis, et res ſuſae ad diſceptatio-

tionem partium rediit, vbi Franciſcus et Titianus cauſa victi, cum multis aliis ſolum verterunt. Horum aliquis fuit Camillus Renatus Siculus: is peior reliquis, maiorem noxam dedit, quod hominibus ſenſim nec opinantibus venena inſtillaret. In Rhaetos venit eodem tempore, quo Coelius Curio Pedemontii e vinculis euaſit, eosdem petens, Theologosque mire vexauit. Totum Caput quartum in eius Hiſtoriam inſumtum eſt, eruditum et lectu dignum, quod ex optimis monumentis, et partim ineditis, ſumtum; huic recte Cap. XIV. et XIX. iungi poteſt de eius aſſeclis, eorumque motibus. Eiusdem pretii ſunt quae de Vergerio tradita ſunt Cap. V. Is ex Italia in Rhaetos profugit, et quod aliquamdiu apud Wurtembergenſes vixit, Lutheri ſententiam de ſacra coena amplexus eſt, Veltelinis eam inuito Clero commendaturus, ideoque reliquis notior factus. Eos, cus diſceſſiſſet, aliquando repetiturus erat, niſi ob inſidias, quas ab infeſto ſibi Catholico in itinere parari audierat, cunctantem mors oppreſſiſſet. Cap. VI. expoſita ſunt quae ad Rhaeticarum eccleſiarum de Sacramentis contentionem pertinent, plerumque omiſſa ab harum rerum ſcriptoribus, ideoque grata legentibus, et maxime quod ex certis monumentis petita ſunt. Cum ex iis, quae ſupra de Camillo, Franciſco, et Hieronymo tradita ſunt, facile appareat, Rhaetiam nouarum opinionum non ſterilem fuiſſe: cauſas autor, in rei fontes inquirens, has prodidit. Magiſtros tum perbenignos fuiſſe, et quemlibet aduenam, ſi ſacras litteras ſequi ſe profeſſus eſſet, lubenter ſuſcepiſſe: ſimul illorum tantam paucitatem fuiſſe, vt non difficile fuerit rudibus eorum partes inuadere. Ea enim tempeſtate valde rudes, dummodo clamoſi, ſacra docuiſſe: his multos fauiſſe, quod neque Apoſtoli litteras didiciſſent; tandem, cum ſuo damno ſaperent ciues, formula fidei condita eſt, cui, qui docturi eſſent, ſubſcriberent; nequicquam Vergerio aliisque Ita-

Italis obnitentibus. Concepit Phil. Gallitius 1552. cui publice commiſſum erat: quae, poſtquam eam Turicenſes Theologi conſulti probaſſent, obtinuit ad noſtra vsque *tempora*, hoc libro primum vulganda. Similis et Heluetiae (vid. C. XVI.) conſtitit autoritas. Vergerius, caeterique Itali, quod recuſarant tandem fecerunt, formulaeque ſubſcripſerunt: pauca tamen arbitrio ſuo ſeruarunt. Omiſſis quibusdam capitibus, quibus perſecutiones enarrantur Euangelicorum, ſiue in Rhaetis ortae Romanis, cum Pontifice aut Imperatore, mouentibus; ſiue in Gallia et Pedemontio, *Rhaetis intercedentibus*: ea *tradimus*, quae *Cap.* XIII. *de Tridentino concilio leguntur*, cui omni vi obniſi ſunt ciues, annis *Saec XVI*, 45. 51. 61. Curianus Epiſcopus ne *intereſſet*; fruſtra illo, et Papa, miſſo nuncio, contra tendentibus. Cap. XVIII. de vi agitur, quae publice facta eſt Euangelicis in ea Rhaetia, quae Italiam ſpectat, autore Carolo Borromaeo, nouo Mediolanenſium Archiepiſcopo, tam foedo molimine, vt, quos *in viis publicis* deprehenderent Catholici, *commerciorum* cauſa peregrinantes, eos adorti *male multarent*, et omni merce ſpoliarent. *Et miſſi clam Monachi*, exploratores et proditores aduerſariorum, qui nuncios mitterent quaeſitoribus haereticae impietatis. Eadem fraude Franc. Cellarius, qui Euangelica ſacra docuit, e via, proxime Clauennam, Mediolanum raptus eſt, poſteaque Romam deductus: vbi non ſtatim, vt tum fama erat, ſed aliquanto ſerius oppreſſus eſt, inſignes motus daturus, quos hic omnes luculenter deſcriptos inuenias. *Nec pauca de Zanchio* diſſeruit autor Cap. XVI. XIX. qui *Argentorato Clauennam vocatus*, tam crudeliter a collegis vexatus eſt, vt miſſus Plurium ſe conferret: multos ibi nactus, cum conſtantiſſimos amicos, tum graues inimicos Arianos, Camilli ſcholam, qui eum clandeſtina fraude petierunt, prae caeteris Hier. Turrianus. Poſtea Hei-

delbergam migrauit; nec tamen amorem et curam rei Rhaeticae depoſuit. Hic et mentio iniecta eſt Mini Celſi Senenſis, de quo Schelhornius: cuius ſcripto hic multum lucis affertur. Is cum Barthol. Syluio ſcripſit „de Haereticis non capitali ſupplicio afficiendis" contra decretum Synodi 1570. quae tectis Arianis oppoſita eſt, nouus paulo ante in Rhaetiam aduena, propter ſacra ex Italia pulſus; vt Italis ſuis conſuleret, haereſeos ſuſpectis aut inſimulatis, quorum non exiguus numerus fuit. Addubitatum eſt quondam, an verum illud nomen eſſet, et annon illo, commentitio, Socinus vel Caſtellio hominibus impoſuiſſent; at Schelhornius peculiari libello euicit eſſe genuinum. Marcellus Squarcialupus, eruditis non ignotus, item contra illud decretum libellum edidit, vt de Porta docuit: quod tamen non tam rigide ſeruatum eſt, vt multis periculoſum eſſet. Motus inde orti occaſionem dederunt Ioſiae Simlero, excerpta ex Patribus edendi 1571. de vna perſona et duabus perſonis in Chriſto. Cap. XX. turbas continet quas Anabaptiſtae dederunt 1571. ſimul res Ioh. Gantneri illuſtrat, fautoris olim Tardii et Frelli, qui ob Anabaptismum exularunt, e certis et nondum editis monumentis. Praetermiſſis capitibus, quae ſequuntur, duobus, quibus res inquietae Rhaetorum narrantur, nobis ſuperuacaneae: de Cap. XXII. pauca dicemus, contentiones de prouidentia et praedeſtinatione complexo, vtrique Hottingero vix paucis attingendas. Ortae illae ſunt 1576. a Stephano Dominico, ſacrorum miniſtro, qui in publico concilio accuſatus, quod diuerſe ab eccleſia de Electione et Reprobatione diuina ſentiret, pacne Libertinus; (is tum fuit, qui in loco de prouidentia, Deum perinde boni ac mali autorem perhiberet. Camilli propago, non infrequens in Rhaetis:) cognita cauſa abſolutam praedeſtinationem credere viſus eſt. Campello, hanc ſententiam libro impugnanti, cuius pars prior de prouidentia, altera

tera de praedeſtinatione ageret, publice probando, eiusque parte in ſingulis conuentibus ſacris, praeſentibus aliquot miniſtris ſacrorum, finito ſermone praelegenda; aduerſatus eſt Dominicus, diuturna lite, neque efficaci: ipſe poſtea, cuius priori parti ſubſcripſerat, librum praelegens, neque vnquam editum, nec noſtra iam aetate ſuperſtitem, certe Portae, ſagaciſſimo viro, non inuentum.

TRANSSILVANIA, SIVE MAGNVS TRANSSILvaniae Principatus, olim Dacia mediterranea dictus, orbi nondum ſatis cognitus, nunc multifariam, at ſtrictim, illuſtratus: Auctore IOSEPHO BENKÖ, Tranſſiluano Siculo, Parocho Közep-Aitenſi, et Notario Venerabilis Dioeceſeos Erdöuidekenſis, Helueticae Confeſſioni addictorum Ordinario. PARS PRIOR ſiue GENERALIS TOM. I. II.

Vindobonae, typis Ioſephi Nob. de Kurtzboek Caeſ. Reg. Aulae Illyr. Typographi et Bibliopolae MDCCLXXVIII. octonis.

Fuere et olim complures, iique non prorſus obſcuro nomine, qui ad magni huius Principatus hiſtoriam componendam certatim prouolarent; illuſtrium tamen factorum copia, atque adeo memorabilium monimentorum publicorum numero inferiores, longiſſimo interuallo poſt ſe reli-

Digitized by Google

reliquit laborioſiſſimus et accuratiſſimus Hiſtoriographus, Ioſephus Benkö, qui Patriae ſuae hiſtoriam non tam conſcripſiſſe, quam excitaſſe videtur, in qua vix eſt quod rerum hiſtoricarum amantes, praeter dictionis puritatem, deſiderent, cuius defectum his verbis excuſat: ſi qui tamen Stili, vt reliqua taceam, inaequalitatem, pro more huius Seculi, vitio mihi vertant, ſciant, me ſimplicitate et fide compenſare eam voluiſſe, ideoque non praecauiſſe, vt ſcriptorum, quos ſequutus ſum, verba immutata plerumque ſcripto meo intertexerem. Hinc factum eſt, vt vocabula auream argenteamque aetatem minime redolentia ſaepe admiſerim, et cacographiam retinuerim: cum ex aduerſo toties ſcriptores in rebus ipſis vitioſe traditis correxerim, et et ego ipſe a ſinceris viris, vbi aberrauerim, tuto corrigendus. Probe noui, nomen Alpes in plurali tantum numero vſum habere, arripui tamen a nonnullis ſcriptoribus voces Alpis, Alpi, quo intelligentius, non plures, ſed ſingularem montem alpinum deſignarem. Scio plebeios, non plebeos eſſe ſcribendum: vbi tamen de Siculis egi; plebeos paſſim, communi ex vſu, actisque publicis, ſcripſi. Sed haec et reliqua, ſoli forte Grammatici, nimiumque critici, non condonabunt, ſi perpendant, non tam ſtilo, quam veritati me ſtuduiſſe. Vocabula quaedam patria, vt: Haritska, Török-buza, non conſuetis apud nos nominibus expreſſi, ſed nomina, quae dedi, hodiernis Europae eruditis ſunt familiaria, reliqua.

Totius autem Operis quinque tomorum duas conſtituit auctor partes, quarum prior duobus, poſterior autem tribus tomis, diuiſa eſt. Atque in illa agitur de diuerſis Tranſſiluaniae denominationibus, de notitia eius mathematica et phyſica, quo etiam refertur hiſtoria regni lapidum, vegetabilium, atque animalium. Tum de Imperantibus Tranſſiluaniae, primis nimirum Ducibus, de regibus Hun-

ga-

gariae, de Vaivodis, de Patriae Principibus, et de haereditariis Principibus Auſtriacis. Porro de Imperantis ſucceſſione, iuribus, prouentibus, et expenſis, de ſubditis; quo loco etiam hiſtoriam tradit nationum toleratarum, tandemque vltimo primi tomi capite nobilium et ignobilium iura, ſtrictim, perſpicue tamen, explicantur.

Hinc auctor clariſſimus ad enarrandas res ſtatus politici, eccleſiaſtici, atque militaris progreditur, certa ab incertis, a veris falſa, vbiuis ſollicite ſeparans, citatis etiam rarioribus nec obuiis fidei hiſtoricae documentis; et credimus *non ingratam lectoribus nos facturos rem, ſi vel vnicum ex tanta copia ſpecimen dederimus.*

De Epiſcopatu igitur Milkouienſi haec habet: „quando vero, et per quos ea fuerit euerſa, (ſedes Epiſcopi Milkovienſis,) a ſcriptoribus, quorum lucubrationes adhuc lucem viderunt, diſcere nequimus. Ex monumentis proinde in ſcriniis ſecretioribus latentibus, ſumma rei petenda. Nos in hoc argumentum abſtruſiſſimum inſtrumenta multis curis obtinuimus, paucis lecta, eaque Parti II. vbi de Epiſcopatu Albenſi ſermo erit, inſerenda. Hic loci ſufficiat vnum adduxiſſe Breue Apoſtolicum, quod ad verbum in apographo eſt:

„Dilectis filiis, Cibinienſis, Braſſouienſis, de Kyzd et „Kozd, Dioeceſeos Milkouienſis Decanis, et Capitulis, „Plebanis, Clero, et populo eiusdem Dioeceſeos, ac Vaſallis „ſubditisque Eccleſiae Milkovienſis, Leo Papa X. Dilecti „filii, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem! Dudum felicis recordationis Iulius Papa II. Praedeceſſor noſter, adtendens, quod *Eccleſia Milkouienſis,* eiusque ciuitas, ab infidelibus et ſchismaticis, atque Chriſti nomini inimicis, per „70. annos et vltra occupata, et illius fructus, reditus, et „prouentus tenues, et exiles, ac in Dioeceſi Milkouienſi, „Cisbinienſi et Braſſouienſis Eccleſiarum Decanatus, et

„nonnullae Parochiales ac aliae Eccleſiae Chriſti fidem co-
„lentes et obſeruantes exiſterent, et a tempore occupatio-
„nis huiusmodi, dictarum Cibinienſis et Braſſouenſis eccle-
„ſiarum Decani, qui pro tempore fuerant, dilectum filium
„noſtrum Thomam, tit Sanct. Martini in montibus Pres-
„byterum Cardinalem, qui et Eccleſiae Strigonienſi, ex con-
„ceſſione et diſpenſatione apoſtolica praeeſſe dignoſcitur,
„et pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Strigonienſem,
„ſub cuius cura et gubernatione fuerant, et exiſtebant, in
„Superiorem recognouiſſent, et recognoſcerent, ac cupiens
„Milkov. et Strigon. vtilitati, et animarum Chriſti fideli-
„um, Cibinienſis et Braſſouienſis, ac Parochialium Eccleſi-
„arum huiusmodi ſaluti conſulere, Eccleſiam ipſam Milko-
„vienſem tunc certo modo vacantem, eidem Eccleſiae Stri-
„gonienſi, donec Eccleſia Milkouienſis, et illius ciuitas hu-
„iusmodi, ab eisdem infidelibus et Schismaticis recuperata,
„ac in priſtinum et eum ſtatum, in quo ante occupationem
„huiusmodi exiſtebant, reuerterentur, de Fratrum ſuorum,
„de quorum numero tunc eramus, conſilio, auctoritate
„Apoſtolica vniuit, annexuit, et incorporauit, prout in
„litteris ipſius Praedeceſſoris deſuper confectis, (quarum
„tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur praeſenti-
„bus habere volumus pro expreſſis,) plenius continentur.
„Nos igitur eundem Thomam Cardinalem, ſuis exigenti-
„bus meritis, paterna beneuolentia proſequentes, ac cupi-
„entes, vt Eccleſia ipſa Milkouianſis, et aliae Eccleſiae prae-
„dictae, ſub eius regimine felicia in ſpiritualibus et tem-
„poralibus capiant incrementa, Diſcretioni Veſtrae per
„praeſentes mandamus, quatenus Vos Deccani, et Capi-
„tula, eidem Thomae Cardinali, tanquam Patri et Paſtori
„animarum Veſtrarum, humiliter intendentes, et exhi-
„bentes ſibi obedientiam, et reuerentiam, debitas et deuo-
„tas; et Vos Clerus eum benigne recipientes, et honorifice
„per-

„pertractantes, eius ſalubria monita, et mandata ſuſcipia„tis, humiliter et efficaciter adimplere curetis Vos vero „Popule, tanquam Patrem et Paſtorem animarum veſtra„rum deuote ſuſcipientes, et debita honorificentia proſe„quentes, eius monitis et mandatis ſalubribus humiliter in„tendatis, ita, quod ipſe Thomas Cardinalis in Vobis de„uotionis filios, et Vos in eo per conſequens Patrem bene„uolum inueniſſe gaudeatis; nec non Vos Vaſalli et ſubditi, „cum debito honore proſequentes, ſibi fidelitatem ſolitam, „ac conſueta ſeruitia, et iura ſibi a Vobis debita, integre „exhibere et *ſoluere cum effectu curetis; alioquin ſenten„tiam ſiue poenam, quam dictus* Thomas *Cardinalis rite* „tulerit, ſiue ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus, et fa„ciemus, auctore Domino, vsque ad ſatisfactionem condi„gnam inuiolabiliter obſeruari. Datum Romae apud S. Pe„trum, ſub annulo Piſcatoris, Die 2da Sept. 1513. Pontifi„catus noſtri Anno primo."

Petrus Bembus Cardinalis.

Vaſtatio et occupatio Milkouiae, *quae ſecundum lite*ras Papales in annum 1441. *incidit*, ex auctoris ſententia non diuerſa eſſe videtur ab ea, quae facta fuit per Turcas Tatarosque iuſſu Amuratis, eſſeque, quos pontifex maximus per *Chriſti nominis inimicos* intellexerit, infideles vero et ſchismaticos dictos eſſe partim graeci ritus homines, partim Huſſitas, exules Hungaros, Saxonesque exactos ex Hungaria et Tranſſiluania Sigismundo regnante. Occupata vero hoſtiliter Milkouienſis Epiſcopi ſede, interfectus fuerit Epiſcopus, an contra fuga in Tranſſiluaniam ſe receperit, non conſtare; *certum tamen eſſe, iura* Epiſcopalia in Tranſſiluaniam translata fuiſſe; cuius rei veritas oſtenditur ex auctore Geſtorum S. Nicetae p. 71. vbi haec habentur: tandem iura Epiſcopatus Milkouienſis translata ſunt ad Praepoſitum Cibinienſem, interpoſita tum Romani Pontificis, tum

Vn-

Vngariae regis auctoritate, ne Albenſis Epiſcopus prouentus Milkouienſes praetenderet (ex M. S.). Habentur acta in arca capituli Cibinienſis, teſtante *Georg. Hanero* in opuſc. de Eccleſiis tranſſiluanicis, pag. 115.

Vehementer optamus, vt ſine offenſa, Auctor Vir doctiſſ. pergat, patriae ſuae notitiam, qua coepit dexteritate, fide, atque ſollicita diligentia, prodere, atque adeo rei litterariae, hiſtoricae potiſſimum, vires ingenii conſecrare. Nos merita eius poſteritati commendare non intermittamus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXXVI.

ROBERTI SIMSON, M. D. MATHESEOS NV-per in Academia Glasguenſi Profeſſoris, opera quaedam reliqua, ſcilicet: I. APOLLONII PERGAEI, de ſectione determinata Libri II. reſtituti, duobus inſuper Libris aucti. II. PORISMATVM LIBER, quo Doctrinam hanc veterum geometrarum ab obliuione vindicare, et ad captum hodiernorum adumbrare conſtitutum eſt. III. DE LOGARITHMIS liber. IV. DE LIMITIBVS QVANTITATVM ET RATIONVM, fragmentum. V. APPENDIX, pauca continens problemata ad illuſtrandam praecipue veterum geometrarum analyſin: nunc primum, poſt auctoris mortem, in lucem

Digitized by Google

edita, Impenſis quidem PHILIPPI COMITIS STANHOPE, *cura vero* IACOBI CLOW, *in eadem Academia philoſophiae Profeſſoris, cui auctor omnia ſua manuſcripta teſtamento legauerat. Gratum, vt ſperatur, geometris munus futurum, nec ſcriptoris, iam clariſſimi, famae offecturum.*

Glasguae in aedibus academicis, excudebant Robertus et Andreas Foulis, acad. Typographi, MDCCLXXVI. quaternis, charta et typis nitidiſſimis.

Vix fieri poteſt, quin, poſt ſummam curam adhibitam, in opere tam longo et difficili, plurimi reſtent adhuc errores. Fatendum praeterea, quod in figuris omnino deeſt elegantia. Hoc artifici minus perito vitio vertendum, cui Typographus operam eas incidendi ligno commiſerat. Si vero nihil occurrat, quod Geometris moram longiorem afferre poſſit, his vt ignoſcant, rogantur lectores. Proles haec eſt poſthuma, quae praemature parentis clariſſimi officiis orbata, indulgentiam requirit. Imperfectiores ab eo relicti erant libri de Logarithmis et de Limitibus quantitatum et rationum. Hos recenſuit, emendauit, et in iis defectus quosdam ſuppleuit, *Gulielmus Traill*, L. L. D. Matheſeos in Abredonenſi Academia Profeſſor, nunc in Eccleſia Cathedrali de Connor Praebendarius. Idem, problemata in Appendice, e complurimis, quae in Auctoris manuſcriptis reperiuntur, ſelegit, et in tribus hiſce partibus laborem corrigendi ſphalmatos in ſe beneuole ſuſcepit. Ille quidem amicitiae memor, qua celeberrimus Auctor iam ſenex ſe, iuuenem adhuc, complexus eſt, hanc omnem cu-

Digitized by Google

curam ad ſcripta eius perficienda perlubenter adhibuit. Iam de opere ipſo. Tota, quae nobis ſupereſt notitia librorum, quos de ſectione determinata ſcripſit magnus Geometra, *Apollonius Pergaeus*, ſoli Pappo Alexandrino debetur, qui omnes, quae in hiſce libris continebantur propoſitiones, vna generali enunciatione incluſit. Plures etiam propoſitiones ſub Lemmatum nomine tradit Pappus, quarum maximam partem, cum ex ipſius Apollonii libris dediſſe minime dubitandum eſt; multae enim earum re vera ſunt lemmata, quibus ſaepius in ſuis demonſtrationibus *vti Apollonio neceſſarium fuit, vt ex ipſis de ſectione determinata libris* perſpicue apparebit; et quidem praecipuae et difficiliores ſunt partes demonſtrationum earum propoſitionum, quibus inſeruiunt, quibusque propterea nullus ſine demonſtratione vteretur. Praeterea Pappus in librorum de ſectione determinata deſcriptione refert, Apollonium primo propoſitiones ſuas demonſtraſſe communi methodo, ac ſolis rectis lineis vſum fuiſſe; rurſus easdem oſtendiſſe ingenioſe, et magis ad inſtitutionem accommodate, per ſemicirculos; vtraque autem hac via plura ex iis, quae ſeruauit Pappus, Lemmata demonſtrata ſunt, quae quidem ipſius eſſe Apollonii, eumque eadem propoſitionibus ſuis praemiſiſſe, atque ex Apollonii libris Pappum ea collegiſſe, perſpicum eſt. Quae vero habentur in propoſitionibus 61. 62. 64. lib. 7. Pappi, ſecundum Commandini numerationem, non ſunt lemmata, ſed propoſitiones eximiae, quibus determinationes tres in libro ſecundo ſectionis determinatae oſtenduntur, quarum demonſtrationes Apollonium non dediſſe minime exiſtimandum eſt. Hoſce Apollonii libros conatus eſt Willebrordus Snellius reſtituere in Apollonio ſuo Batauo, quem Lugd. Bat. anno 1608. edidit, in quo multa quidem magnifice de ſe iactat, nihil autem praeſtitit quod immodicae ſui ipſius laudationi conueniret. Minime enim Appollonii propoſitum in hiſce libris aſſecutus eſt,

 nam

nam in quatuor tantum problemata materiam hanc partitus eſt, quam in nouem Apollonius diſtribuerat; et quamuis problemata in varios caſus diuidat, vnam tantum demonſtrationem in vnoquoque problemate adducit. Neque eundem cum Apollonio Epitagmatum numerum habet; nec mirum, cum non intellexerit quid ſint epitagmata, quae quidem variae ſunt diſpoſitiones quas habere requiritur punctum inueniendum ratione punctorum datorum; vel ſcilicet, vt cadat inter duo quaeuis ex punctis datis, vel extra omnia ad has vel illas eorum partes; vnde et nomen διωρισμένης τομῆς, Sectionis determinatae, hiſce libris inditum eſt, propter ſitum ſcilicet determinatum, ſiue definitum, quem habere debet punctum quo recta propoſita ſecanda eſt, et propter ſitum determinatum punctorum, inter quae et punctum inueniendum iacere debent latera rectangulorum et quadrati, ſpatiorum ſcilicet, quae inter ſe datam requiruntur habere rationem; non, vt inepte putat *Snellius*, ex eo quod libri hi problemata quaedam continent, quae determinationes habent, quod propterea vocat adiunctum leuiſſimum, ex quo ſcilicet ſomniat Apollonium nomen libris ſuis dediſſe. Snellius vero diuerſa facit epitagmata caſus quosdam in quibus vnus idemque eſt ſitus puncti inueniendi, vt in ſecundo et tertio epitagmate primae claſſis problematis ſui quarti, aliisque. Praeterea, quod maioris eſt momenti, nullius problematis in hiſce libris analyſin tradit, vnde et ſuas ipſorum determinationes aſſumit, non ex ſolutione problematum deducit. Duas quidem Apollonii, quas in enuntiatione propp. 61. et 64. Lib. 7. Pappi inuenerat, ſuo modo oſtendit, ſine vllo tamen nexu cum problematibus quorum ſunt determinationes. Aſſerit quidem, „ſe potuiſſe eas tribus fere verbis ex ſuis lo„cis deriuaſſe, placuiſſe tamen ei hunc modum, quia ita ab „Apollonio vſurpatas haſce determinationes, non obſcuris „indiciis coniiciebat." Snellii autem coniectura ſine omni ſun-

Digitized by Google

fundamento eſt, nullus enim eſt geometra, qui determinationes ſuas non deducat ex locis ſuis, hoc eſt ex ſolutione problematum; et Apollonium hoc ſemper feciſſe ex libris eius de ſectione rationis perſpicuum eſt. Determinationis autem Apollonii, quam in enuntiatione Prop. 62. Lib. 7. Pappus tradit, Snellius nullam facit mentionem, ſed vice eius aliam ſine demonſtratione adducit in epitagmate ſuo octauo tertiae claſſis Prob. quarti. Eum autem in Apollonii demonſtrationes non incidiſſe certum eſt, etenim ne vel vno ex Lemmatibus Apollonianis vtitur. Dicit quidem, „*quia circulorum rotundationes concinnitatis neſcio quid* „rotunditatisque Pappo habere viſae ſunt, nobis quoque „modus iſte perplacuit; ac quamuis vtroque modo propoſi„ta problemata explicaſſemus, hunc ſolum altero repudia„to retinuimus.“ Quibus verbis intelligere nos volebat Snellius, ſe viam Apollonianam ſoluendi haec problemata per ſemicirculos, a Pappo laudatam, ſequutum fuiſſe; ſed in hac re omnino deceptus eſt, circuli enim a Snellio adhibentur tantum vt conſtruat *ſimplices* caſus Propp. 28. et 29. Lib. 6. Elem. Euclidis, quibus ſcilicet requiritur ad datam rectam lineam applicare rectangulum dato ſpatio aequale deficiens, aut excedens quadrato. De hiſce autem conſtruendis nunquam cogitauit Apollonius, ſed tanquam ex elementis notas conſtructiones has vbique aſſumſit, vt manifeſtum eſt in multis locis librorum eius de ſectione rationis. Has autem Snellii conſtructiones praedictorum caſuum elegantes quidem ſunt, et eae ipſae, quas poſtea tradidit clariſſ. *Halleius* in Scholio ad Prop. 18. Lib. 8. Sectionum Conicarum *Apollonii, ab ipſo reſtituti,* quem, veriſimile eſt, eas a Snellio prius vſurpatas fuiſſe, non cognouiſſe. Nullo autem modo inſeruiunt ſolutioni problematum de ſectione determinata vltra conſtructionem praedictorum caſuum. Denique omnia, quae a Snellio in hoc libro traduntur, adeo affectata breuitate, et obſcuritate maxime labo-

 rant,

rant, vt nullius ſint vſus in problemate quocunque ſoluendo, quod ad ſectionem determinatam deductum fuerit. Semicirculi autem, de quibus loquitur Pappus in Praefatione ſua ad Lib. 7. Collectionis Mathematicae, ii ſunt, quorum ope Apollonius demonſtrat lemmata quae ſeruauit Pappus, poſtquam ſolis rectis lineis eadem communi methodo oſtendiſſet. Pappum autem ſine ratione reprehendit Snellius, quod hos de ſectione determinata libros iis de ſectione rationis et ſpatii non praemiſerit; problemata enim de Sectione determinata quintum praeſertim et ſextum Lib. 1. et ea Lib. 2. illis de ſectione rationis et ſpatii difficiliora ſunt.

Poſt Snellium Alexander Anderſonus, Abredonenſis, problemata primi libri Apollonii, vnumque ſecundi, ſuo modo ſoluit inter problemata quae ſubnexuit ſupplemento Apollonii rediuiui, Pariſiis anno 1612. edito. Conſtructiones quas tradit Caſ. 2. et 3. problematis ſui noni bonae ſunt, ſimilemque ipſis tertiam tradit Rogerius Ventemiglia in pag. 256. Analyſeos Geometricae Hugonis de Omerique, aliasque duas ipſe Hugo in pagg. 260. 263. eiusdem libri. Has, vt et ſimiles reliquorum epitagmatum Prob. 5. et 6. Lib. 1. Apollonii dedimus in eorum demonſtrationibus ſecundis.

Cum igitur libri de ſectione determinata nonniſi obſcure et imperfecte hactenus habeantur, e re geometriae viſum eſt eos plenius, et magis diſtincte tradere. Multa enim problemata, ad ea quae in hiſce libris tractantur deducuntur. Eos igitur multis abhinc annis reſtituere aggreſſus, ſtatim percepi, non tam difficile fore problemata haec quodammodo ſoluta dare, quam eorum epitagmata et determinationes rite diſtinguere, et exhibere congruenter numero et ordini, ſecundum quem Pappus eadem diſtribuit; maximae autem difficultatis rem eſſe in viam Apollonianam incidere, hoc eſt quae ipſius lemmatibus indigeret, et ad eius-

Digitized by Google

eiuſdem determinationes duceret. Et quidem puiet dicere, quoties irrito conamine haec inuenire aggreſſus ſum, quotesque re deſperata ab incoepto deſtiti. Tandem, anno ſcilicet 1727. ſolutionem problematis 5. et 6. Lib. 1. ope lemmatum Pappi nactus, problemata libri ſecundi tentabam; ſed hic iterum mihi haerebat aqua, nouis ſubortis difficultatibus, quas tamen pertinax vicit labor. Atque hoc modo ex Pappi generali propoſitione, et lemmatibus ab eo ſeruatis, Apollonii libri multa inueſtigatione feliciter, vt geometris appariturum ſperamus, in lucem producti ſunt, et ita reſtituti, vt ab ipſis Apollonii libris paululum aut nihil differre facile agnoſcant ii, qui propoſitiones ipſas et lemmata, quibus indigent, vt et epitagmatum et determinationum numerum et ordinem a Pappo indicatum, inter ſe comparauerint. Hanc autem reſtitutionem inuenire ſatis difficile fuiſſe re ipſa experientur, ni fallimur, qui eam tentauerint via Apolloniana, priusquam problema 5. et 6. Lib. 1. et ea libri 2. quae in ſequentibus exhibentur, inſpexerint. Obſeruandum vero eſt, pleraque lemmata in problema 5. et 6. (nam nulla ſunt in praecedentia problemata,) tres aut quatuor habere demonſtrationes in Graecis codicibus, et apud Commandinum, tanquam diuerſa eſſent lemmata, vt in numeris, margini dextro in hac editione appoſitis, videri poteſt. In hac etiam propoſitiones eodem ordine numerantur, quo apud Commandinum in verſione ſua latina Pappi Alexandrini; propoſitio ſcilicet, 22. Lib. 7. Pappi, hic facta eſt prima, earum ſcilicet quae ad ſectionem determinatam ſpectant, vt reuera eſt, et ita deinceps, niſi vbi aliqua loco ſuo exciderat, vt Prop. 28. et Prop. 63. quae locis propriis repoſitae ſunt. Propoſitiones etiam 37. 38. 39. 40. quae in Graecis codicibus, et apud Commandinum, inter lemmata in Lib. 1. numerantur, reuera ſunt lemmata in Lib. 2. ſaltem multis et variis inueſtigationibus inſtitutis, minime inuenire potui eas alicui epitagmati Prob. 5. vel 6. vtiles eſſe. Determinationes vero in libro ſe-

Digitized by Google

ſecundo hiſce propoſitionibus egent; problemata enim, quarum ſunt determinationes, duplici via ſolui poſſunt, quarum alterutrum ſi inìueris, propoſitiones praedictae omnino neceſſariae ſunt ad deducendam ex determinatione, ad quam hac via peruentum eſt, alteram, ad quam ſecunda via directe duxiſſet. Nam ex vna tantum harum determinationum Apollonius vltimam ſuam deducit. Veteres enim duabus determinationibus vtebantur, quarum altera ex altera ſequitur, et quarum prima conſtructioni problematis neceſſaria eſt, quae propterea compoſitioni ſemper praemittitur; altera vero, quae compoſitionem ſequitur, inſeruit, ex iis quae data ſunt in problemate ſtatim dignoſcere vtrum conſtrui poſſit vel non poſſit: quod quidem ex prima determinatione, vel duabus primis, ſi duae ſint, vt in problematibus Lib. 2. quae determinationes habent, cognoſci non poteſt, priusquam ad illam vltimam deducta fuerit prima, aut alterutra ex primis, ſi duae fuerint. In problematibus ſimplicioribus hae, prima ſcilicet et vltima, in vnicam determinationem ſaepius coaleſcunt. Haec autem tum in Apollonii libris de ſectione rationis, tum in hiſce facile eſt obſeruare, et exemplo in epitagmate 3. Prob. 3. Lib. 2. explicabuntur.

Quae autem de ſectione determinata ſeruauit Pappus, in Graeco codice, quo vtebatur Commandinus, multum mutilata et deprauata habentur, vt et omnia reliqua Pappi, in omnibus vt videtur codicibus, quos certiſſimum eſt a librariis Geometriae prorſus ignaris deſcriptos fuiſſe. Multum igitur debet Geometria viro optimo, Federico Commandino, qui, cum literas Graecas et Geometriam ſimul pulchre calleret, magno iudicio, maximaque diligentia, inter alia multa, lemmata haec Pappi a multis purgauit erroribus, et propterea magno nos leuauit onere. Non autem omnia, praeſertim Prop. 62, Lib. 7. redintegrare potuit;

haec

Digitized by Google

haec enim, in notis alphabeticis quae ſchema ſpectant, adeo eſt corrupta, vt demonſtrationem minime reſtituere valeret; nam notae prolixae, quas ei ſubiunxit, eam nullo modo attingunt. Denique cum libri de ſectione determinata non infimum locum teneant inter eos, quos ad analyſin promouendam ſcripſerunt veteres Geometrae, nullus problematum alicuius momenti caſus omiſſus eſt, nullaque determinatio, ſine quibus huius generis libri vix vllius ſunt pretii. Exinde autem demonſtrationes longiores euaſerunt; et Pappus quidem memorat, tales fuiſſe ipſius Apollonii, propter ſcilicet *determinationes intricatas et difficiles*, quas quidem ita eſſe ex *ipſis libris ſatis* ſuperque patebit. Eos autem hoc modo reſtitutos, Geometriae Veterum cupidis neque iniucundos, neque inutiles futuros, quam maxime optamus.

In Transactionibus Philoſophicis, anni — No. — pag. — videmus, vſum lemmatum Pappi in ſolutione problematum ſectionis determinatae innotuiſſe viro doctiſſimo Henrico Pemberton, M. D. quod oſtendit exemplo vno ex libro primo, et altero ex libro ſecundo ſectionis determinatae; in hoc autem vltimo non tradit Apollonii determinationem, verum aliam, ex qua quidem non immediate cognoſcitur, num problema fieri aut non fieri poſſit.

Sed plura hic addere de incomparabili libro non eſt neceſſum; id tamen praeterire ſilentio non poſſumus, illuſtriſſimum Comitem *Stanhopium*, qui ſumtus omnes edendo huic libro *liberaliter impendit*, nulla alia re magis amorem litterarum et omnis doctrinae, (quem iam olim in hac noſtra ſtudiorum Vniuerſitate multis modis teſtatam fecit,) tueri potuiſſe. Optamus vehementer, commodo litterarum, vt ſeruet hunc animum litteris deditum, tueaturque veterem Gentis ſuae, etiam ex litteris, gloriam.

BIBLIOTHECA CRITICA. PARS PRIMA. (Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα, *Longinus*). *Eiusd. PARS SECVNDA*

Amſtelod. 1777. plagg. 17½. in octauo, apud Petrum den Hengſt.

Auctores exponendae huius narrationis de nouis *libris*, non ſolam notitiam librorum nouorum et doctorum hominum ad alios diuulgandam ſpectant, ſed in ſe recipiunt, ſe artium ipſarum incrementis profuturos, et, vt plurimorum ſtudiis frequententur, effecturos eſſe. Quod vt planius dicamus, promittunt, ſe producendis ex litteris antiquis, Graecis, Romanis, Orientalibus libris recenter editis, nec prorſus omiſſis e noſtrorum temporum ſtudiis *iis*, quibus aliqua cum antiqua doctrina cognatio et ſocietas eſt, laudatis cuiusque vel bonis, vel vitiis, ingenia hominum ad laudabilium imitationem excitaturos, et a vituperandis auocaturos eſſe. Et quia illuſtria potiſſimum exempla ad animos commouendos aptiſſima ſolent eſſe, praeſertim ad veritatem examinata, nec in ſuperficie tantum, ſed intus perſpecta, cenſuram agere maxime eorum librorum, quibus vel auctoris, vel editoris et interpretis, vel argumenti praeſtantia, momentum aliquod addit, de iisque accurate in vtramque partem exponere decreuerunt ita, vt vel celebrandis virtutibus, vel vitiis reprehendendis, vnice veritatem ſequi velint. In rerum varietate vtendum cenſent ipſa, quam ſponte ferunt litterae, ſuauitate, magis auſtera et ſolida, quam dulci et decocta. Ad quam obtinendam inprimis pertinent, quae de librorum argumentis, et hiſtoria litte-

litteraria, disputantur ſub cuiuscunque fere exquiſitioris et maioris operis recenſionis initium, ſiquidem de Ciceronis eloquentia, et quibus artibus et inſtitutis ſit innixa, et ad ſummum adducta, P. II. init. copioſe diſſeritur. In Sympoſio Platonis quae contineantur, quamquam breuiter, reciſis quae ad ornatum adiecta ſint, tamen ordine et perſpicue narrantur P. I. p. 35—45. Ibidem p. 79—93. de Buxtorfianorum et Capellianorum concertationibus, ſiue de diuerſis hominum ſuperioris temporis, in re Critica Vet. Teſt. opinionibus, iucunde et vtiliter exponitur. Parte autem II. *Phalaridis Epiſtolis* ſententiae doctorum, inprimis inter Boyleum et Bentleium controuerſiae, p. 63—70. narratae eminent, totiusque Achillis Tatii amatoriae narrationis compages, cum inſigni de laudibus vitiisque iudicandi peritia, p. 44—58. demonſtrata. Emiſſi ſuppreſſo ſcriptoris nomine inter Batauos libri, ſuis auctoribus attribuuntur; quemadmodum P. I. p. 116. Ruhnkenium diſſertationis de vita et ſcriptis Longini, quae etiam praemiſſa eſt Toupiano Longino, auctorem eſſe, et diſſertationem de Babrio, a Thirwitto, cuius alia exſtant eximia, ſcriptam, ex P. II. p. 120. diſcimus. Alia adſperguntur ad eruditorum res pertinentia, qualia ſunt quae de Lennepii inſtitutis, moribus, valetudine et morte, P. II. p. 74. ſq. perſcribuntur. In ſcriptoribus vtriusque linguae emendationes, explicationes editorum, frequenter commemorantur, et aliae emendationes ac coniecturae, ab acumine et ſollertia cenſorum profectae, inſeruntur, quorum e doctrinae copiis ea quoque promuntur, quae ignorata, aut neglecta ab editoribus, ex obſeruationibus Criticorum, per varia eorum ſcripta diſperſis, repetenda fuerant.

Sed enim, Lectorum cauſſa, cenſuras librorum, quas vtraque pars complectitur, nominabimus. Igitur prima parte habentur: I.) Ciceronis Opera ex editione I. A. Ernesti

neſti Vol. I. quo libri Rhetorici continentur. II.) Platonis Philebus et Sympoſium ed. I. Fr. Fiſcheri. III.) Iacobi Bryant Syſtema Nouum Mythologiae Vol. I. IV.) Veteris Teſtamentum ex editione Kennicotti. V.) Diſſertatio de vita et ſcriptis Longini. Parte autem ſecunda: I.) Ciceronis Opera ex editione I. A. Erneſti Vol. II. quo Orationes continentur. II.) Analecta Poetarum Graecorum, editore Rich. Fr. Phil. Brunck. III.) Achillis Tatii Hiſtoria Amatoria edit. Benj. Boden. IV.) Phalaridis Epiſtolae, et Bentleii diſſertatio ed. Io. D. Lennep. V.) Abulfedae deſcriptio Aegypti, ed. Ioh. Dau. Michaelis. VI.) Epicteti Enchiridion, cura Chr. Gottl. Heyne. Altera Editio emendatior et auctior. VII.) Diſſertatio de Babrio. VIII.) Examen critique des Anciens Hiſt. d'Alexandre le Grand, ſiue Cenſura Veterum ſcriptorum de rebus Alexandri Magni.

Ingenium Batauorum, qui praeter ſuſpicandi ſagacitatem, et coniecturalem rationem, magno locorum ſimilium apparatu, crebrisque ad alios ſcriptores iuuandos digreſſionibus vtuntur, in his quoque cenſuris conſpicitur. Si cuius notas ſtrictiores breuioresque vident, alia ignorata, alia neglecta queruntur, et ieiunitate offenduntur. Lennepius, qui prolixas et copioſas notas ſcripſit, multa ad Phalaridem profudit, quae vel ad alios Scriptores notari, vel ad Lexica referri poterant, eximiam copioſae et abundantis doctrinae laudem habet, quam vituperare nefas ſit eos, qui ex anguſta et famelica doctrina ſua aliis impertiri nihil poſſint. Atque is quidem, cum paucis aliis, Ruhnkenio, Thirwitto, et Heynio, qui inſignem demonſtratae recte intelligendae Stoicae rationis, ad quam libellus Epicteti eſt conformatus, atque adeo ipſius libelli intelligendi laudem fert, ſine reprehenſione tranſit. Parum probatur Bodenus, de cuius animaduerſionibus ita perſcriptum eſt: „Habent haud

Digitized by Google

„haud paucis locis vtilem comparationem aliorum Eroti„corum, et doctrinam, quamquam eam magis ex recentio„rum commentariis, quam antiquorum fontibus hauſtam: „non item ingenium criticum et ſcientiam accuratam lin„guae; vnde etiam factum eſt, vt de multis locis, quorum „facilis erat et parata medicina, ei non liqueret.“ Kennicottus, vt par eſt, laudatur, et ſi quid reprehenditur, molliter, quaſi venia et excuſatione dignum, tangitur; id ſolum fere, quod nullam adhuc ſuorum codicum notitiam exhibuerit, accuſatur. Bryantius prorſus, vt commeritus eſt, exploditur. *Michaelis* ex parte laudatus; cum *Reiskio* collatus, ei cedere cogitur. Brunckius cum hac admonitione dimittitur: „Omnino vnicam nos videmus medelam hanc, „vt ipſe Romam eat Cl Brunckius, codicem Palatinum de„ſcribat, eumque ſicut eſt, cum ipſis vitiis, nullo nouo „ordine inducto, exhibeat. Ita quartus exiſtet Tomus, „tribus prioribus multum praeferendus, et Brunckius per„fecta editoris laude cumulabitur.“ Hac occaſione non praetermittimus leniſſimam, veramque, vt arbitramur, P. II. p. 32. carminis Meleagri 40. et Homeri ipſius Il. α, 11. emendationem. In illo enim legendum eſſe admonemur, Κῆμοί τοι καλόν ἐστι ὑπὸ σπλάγχνοισιν Μυΐσκον κρύπτειν, pro vulgato Κῆμοί τὸν καλὸν κ. τ. λ. In hoc autem; Οὕνεκα τοι Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα, pro τὸν Χρύσην. In affirmando vſurpatur τοι *ſane, profecto,* vt monuit Valkenar. ad Eurip. Phoen. p. 166. Erneſtus autem, quod omnium vnus inſtructiſſimus iis, quae ad emendandum et illuſtrandum Ciceronem valent, ad eum edendum acceſſerit, ſummis laudibus cumulatur. Quae enim virtutes ineſſe debent in Critico Ciceroniano eximiae, in eo agnoſcuntur. Primum litterarum Latinarum Graecarumque ſcientia egregia; tum Latinitatis, et in ſingulis verbis, et in analogia, conſtructione, conſequutioneque temporum ac modorum, cognitio plane ſingularis; tum Ciceronianae conſuetudinis in figuris

atque ſententiis intelligentia, et ſenſus numeri et ſoni Ciceroniani, aureaque tritae notando iuſto orationis ambitu; denique copia et vſus librorum antiquorum, tam editorum, quam ſcriptorum, cum ſollertia indagandae verae lectionis per veſtigia eius, quae in libris exſtat. Quod reprehendunt hoc eſt: non tantum temporis, curae, ac diligentiae, quantum opus fuiſſet ad perfectam abſolutamque ſuis numeris editionem efficiendam, in ea collocatum fuiſſe. Nimirum, quod in comparandis locis ſimilibus vel Latinorum, vel Graecorum, parciſſimus; in congerendis et commemorandis eruditorum ſententiis et emendationibus parum copioſus; in coniecturis proponendis modeſtiſſimus fuerit, vnice hoc ſpectans, vt rei familiari emtorum conſuleretur, et ſua potius, quam aliena legerentur recocta: hoc diſplicet. Nam etſi coniecturae ad libros de Oratore, et ad Verrinas orationes, quos libros inprimis ſibi tractandos ſumſerunt, qui cenſuram huius editionis egere, afferuntur non inelegantes, nec incommodae; tamen cum non omnium idem ſit in his rebus iudicium, aliae aliis vel prorſus ſuperfluae, vel facile intermittendae videantur; quibus exceptis, reliquorum numerum vehementer minui neceſſe ſit. Fiſchero, quaſi laceſſiti quibusdam verbis eius, quibus in Praefatione, non iam Philebo et Sympoſio Platonis, de quibus nunc agitur, ſed Sophiſtae, Politico, et Parmenidi, ante aliquot annos praemiſſa, vſus eſt, quae eo valere volunt, vt Batauorum in Platone adhuc factas emendationes reiicere vt ſuperuacaneas, et morem, ad quem veteres auctores edant, ad aliam formam reducere videatur, ita ſunt iniqui, vt ei Critices tractandae facultatem denegent, arrogantiae eum inſimulent, notarum eius ieiunitatem criminentur, amoeniores potius facilioresque dialogos, loco Sophiſtae Parmenidis et Philebi, editos fuiſſe poſtulent, plus in rerum obſcuritate, dictionisque vi et elegantia explicanda, curae deſi-

de-

derent, indices verborum tironibus vtiles flagitent, ſolam laboris, aſſiduitatis, diligentiaeque laudem ei relinquant.

Fiſchero autem V. Cl. cur non liceat, quod *Erneſto*, quod *Reiskio* permittitur. Huius inſpiciantur Praefationes Animaduerſionibus ad Auctores Graecos, inprimis Volumini primo ac tertio praemiſſae, illius autem ad Callimachum praefatio, et inuenientur iudicia et ſententiae de editionibus adornandis, et animaduerſionibus ſcribendis, quibus, ſi non omnibus ſatisfecerunt, ſuae tamen conſuetudinis idoneam rationem, *ſine vllius offenſa, reddidiſſe videntur.* Fiſcherus autem tantum abeſt ab gloriola Critices faciendae, vt eam nusquam rapere et affectare, ſaepe eius exercendae copiam et facultatem detrectare, modeſtiae cauſſa, reperiatur. Igitur, quae Batauorum ingenia refingere audent, iis commodam potius explicationem, quam emendationem adhibendam eſſe, ſtatuit. Prima cura eſt, vt veritas lectionis vel conſtituatur, vel via monſtretur eius reperiendae et conſtituendae; ad quod obtinendum opus eſt iis praeſidiis, quibus cautae et modeſtae Critices leges vtendum iubent. Editiones Dialogorum Platonicorum, vt eſſent parabiliores, et inſeruirent lectionibus habendis, conſulto carent longiorum annotationum mole, in quibus vel rerum philoſophicarum obſcuritas fuſius declaretur, vel imitationis ſimilitudo copioſius demonſtretur, vel verborum vis et elegantia operoſius comprobetur. Indices verborum omiſſi ſunt, partim quia in indice Aeſchinis, et aliorum librorum, multa ad Platonis orationem intelligendam neceſſaria inſunt, partim quia, editione Dialogorum nondum abſoluta, nec Indicis edendi tempus eſt. Macram autem et ieiunam non eſſe Cl. Editoris diſciplinam et doctrinam, ſed amplam et copioſam, intelligent et fatebuntur, qui vel *de defendendis locis quibusdam Platonicis* proluſionem, anno 1767. editam,

tam, vel ceteras eius proluſiones, aut ſeparatim, aut iun-ctim editas viderint.

Nec alienum a conſuetudine noſtra, et explendae le-ctorum noſtrorum expectationi profuturum ſit, nonnullas ex emendationibus et explicationibus, quibus harum recen-ſionum ſcriptores, variis Auctorum veterum locis aliquid vel medelae, vel lucis afferre conantur, commemorare. Ne vero in tanta rerum copia oculi noſtri menteſque diſtrahan-tur, reliquam diſputationem noſtram terminis his definie-mus, vt propoſitarum opinionum ſpecimina e duabus prio-ribus cenſuris expromamus, prima ſecundae partis, addita, hoc eſt, e cenſuris Ciceronianis et Platonica.

Etenim Orat. I, c. 43. in ea parte qua Craſſus iuris ciuilis ſtudium commendat, et in verbis his: *Nam, ſiue quem aliena ſtudia delectant, plurima eſt et in omni iure ciuili, et in Pontificum libris, et in XII. tabulis, antiquitatis effigiei, ſiue quis ciuilem ſcientiam contempletur etc.* haec adhibetur p. 14. P. I. medela, vt pro *aliena* ſtudia, *antiqua*, pro *contem-pletur*, reponi *conſectatur*, vir doctus velit. Si id agitur, vt verborum interpretamenta, ſiue gloſſemata, ipſis auctorum verbis potiora putentur, vulgaria exquiſitis, obuia rariori-bus, valebit quod hic fit. Sed dum iſta temeritas vitabitur, nec hoc admittimus. Sunt enim *aliena* ſtudia, externarum, peregrinarum, priſcarum rerum; *contemplari* verbum loco poſitum eſt, cum propter vocabula *effigies, tabulae*, tum propter ipſam eius efficaciam, in vehementiori quadam ani-mi inclinatione admirationeque indicanda.

Ibid. c. 53. *Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui ſui, Q. pupillum filium ipſe paene in humeros ſuos extuliſſet, qui patris clariſſimi recordatio-ne et memoria fletum populo moueret, et duos filios ſuos paruos tute-*

Digitized by Google

tutelae populi commendaſſet. Locum corruptum ita ſanandum putat p. 16. vt pro *et* recipiatur *vt*, hoc ordine: *extuliſſet, vt patris clariſſimi recordatione et memoria fletum populo moueret*, qui (ſc. pater) *duos filios ſuos* etc. At enim *qui*, pro *et* eleganter dicitur, nec ideo loco mouendum. Sed extrema tamen laborare videntur.

Lib. II. c. 38. *Nam et omne quod eloquimur ſic, vt id aut eſſe dicamus, aut non eſſe, et ſi ſimpliciter dictum, ſuſcipiunt dialectici vt iudicent, verumne ſit an falſum etc.* Si ſic ſcriptum fuiſſet, *nam omne quod et eloquimur ſic*, non putaſſent interpretes aliquid vitii eſſe in primis huius loci verbis, ſed agnouiſſent, repetitum aliquoties *et* ſibi reſpondere, adeoque excludi non poſſe; nunc alii *et* expungere, vir autem doctus p. 20. in *eſt* mutare vult, irrito, vt arbitramur, conatu. Nam numeri Ciceroniani cauſſa inter *nam* et *omne* locatum eſt. Probabiliores ſunt ſequentes emendationes: c. 78. *quanto hoc magis in oratione* eſt *ſpectandum*, pro *exſpectandum*, et L. III. 2. *illa fuit cygnea diuini hominis vox et oratio, quam quaſi* exceptantes, cum Gesnero Theſ. L. L. V. *exceptare*, pro *exſpectantes*. Niſi fortaſſe exſpectare pro *expetere, deſiderare*, dicitur.

Veniamus ad orationes Verrinas. L. II. 23. *intelligetis, hanc pecuniam, qua via modo viſa eſt exire ab iſto, eadem ſemita reuertiſſe.* Commendatur P. II. p. 10. tanquam certa et inprimis elegans Burmani ad Phaedr. L. III. Prol. 38. legentis *eandem* pro *eadem*, coniectura. Tum totus ſic conſtituitur locus: *hanc pecuniam, quae* (pro *qua*) *via modo viſa e. e. a. i. eandem ſ. r.*

L. II. 76. *Cum manifeſta res, tum flagitioſa tabularum atque inſignis turpitudo teneretur.* V. doct. p. 12. tentat: *Cum manifeſta re, tam flagitioſa t. a. i. turpitudo teneretur.* Sed

 oratio

oratio languet. Quidni potius? *Cum manifeſta res, cum flagitioſa t. a. i. t. teneretur.* Quare nec probamus ad III. 13. *Hoc nouum genus iniuriae ferre nemo poſſet, te, cum tuos omnes fructus publicano tradidiſſes, et rem de manibus amiſiſſes, tum bona tua repetere ac perſequi lite atque iudicio*, proponi coniecturam: — *ferre nemo poſſet, ſc. cum ſuos omnes fructus p. tradidiſſet, et rem de manibus amiſiſſet, tum bona ſua repetere.* — Nonne hoc eſt orationi neruos incidere? Qui Syllepſeos exempla habeat in promtu, qualia multa collegerunt Drakenborch. ad Silium Ital. XII, 64. Heuſinger. ad Nep. Alcib. 3. p. 73. ſ. et Thraſyb. 4. p. 96. Hemſterhuſ. ad Lucian. p 491. Tom. I. Erneſtus ad Xenophontis Memor. Soc. II, 1. Fiſcher. ad Platon. Apolog. 28. is nec dubitabit, quin recte dixerit Cicero Verr. V, 42. *Pater aderat — — eum cum illa auctoritate et miſeria videres praeditum;* nec deſiderabit coniecturam ab Erneſto quidem dubitanter propoſitam, et a V. doct. approbatam: *illa auctoritate praeditum, aetate et miſeria perditum.* Quid facias tot aliis locis, quid Salluſtio Iug. c. 14. ſic ſcribenti: *non regnum, ſed fugam, egeſtatem, exilium, et quae me premunt mala, cum vita ſimul amiſiſti.*

Nunc de quibusdam coniecturis, ad Platonis Sympoſium illuſtrandum allatis, videbimus. Primum quidem eleuatur et reiicitur ſcita et elegans emendatio Cel. Fiſcheri in loco Platonis p. 108. in alluſione Homerica, σύν τε δύ' ἐρχομένω πρὸ ὁδοῦ βουλευσόμεθα ὅ, τι ἐρῶμεν legentis πρὸ ὁ τοῦ, et docentis, apud Homerum Il. x, 224 πρὸ ὁ τοῦ eſſe idem quod οὗτος πρὸ τούτου, vel ἕτερος πρὸ τοῦ ἑτέρου, hoc ſenſu: quod vnus excogitare non poterit, id reperiet et excogitabit alter. Obloquitur V. doct. et nimirum quia πρὸ ὁδοῦ bonum ſenſum efficiat, *progrediendo*, *vtiliter* et cum *ἰέναι proficere*, negat ſe illud ex Homero recipere. Iam quia demonſtratio laborat; quia frequentes apud Platonem eſſe ſcimus alluſiones

ad

ad Homeri verba; quia in hoc ipſo dicto frequentando crebri ſunt ſcriptores alii: hanc emendationem elegantiae ſummaeque probabilitatis laude non eſſe defrandandam cenſemus.

P. 110. καὶ ἐμὲ ἔφη ἀπονίζειν τὸν παῖδα, ἵνα πῇ κατακέοιτο. Fulcit V. doct. vſum anacoluthi, quod Fiſcherus agnouit, obſeruatis a Wyttenbachio ad Plutarch. Ser. Num. Vind. p. 126. 127. et Interpretibus ad Act. Ap. I, 8. Ad anacoluthon ſibi placere negat p. 115. in his: Ἔρωτα δὲ μηδένα πω ἀνθρώπων τετολμηκέναι — — ὑμνῆσαι, ἀλλ' οὕτως ἠμέληται τοσοῦτος θεός. Certiſſimam Stephani coniecturam, ἠμελῆσθαι τοσοῦτον θεόν, pronunciat, parum ſollicitus, vtrum ſua vis orationi conſeruetur, an debilitetur et frangatur. Paruo, ait, acumine opus fuiſſe ad intelligendum, in verbis p. 116. ταῦτα δὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἄρα ξυνέφασαν, legendum eſſe ſine dubio ἅμα, ſimul. At cur cogamus Platonem tanto pleonaſmo dicere, πάντας ἅμα ξυμφάναι, cum ἄρα ſit ei familiare et frequens, ex poetarum imitatione.

P. 132. Eryximachus Ariſtophanem remedia docet, quibus ſingultum depellat, et in aliis hoc etiam: ἀναλαβὼν τι τοιοῦτο οἷῳ κινήσαις ἂν τὴν ῥῖνα, πτάρε. Hic mirati ſumus, quomodo vir doctus ibi legendum putet κνήσαις, titilles; addatque, titillatione non motu tantum opus fuiſſe. Primum κνήσαιτο cum non habet, quia ad fricandum naſum non opus erat aliqua re recepta, (dicit enim, ἀναλαβών τι) deinde quia fricando naſo, non editur ſternutatio. Κινῆσαι autem fere hoc ſenſu dicitur, vt ſit, aliquam corporis partem aliquo modo *afficere*. Caſſius Iatroſoph. Quaeſt. phyſ. c. 44. ὁ μὲν πταρμὸς γίνεται ὑπὸ θερμοῦ τινὸς κινήσαντος τὸν τόπον τοῦτον, ἀφ' οὗ γίνεται et mox: ὃ κινεῖν πέφυκε τὸ ἐνταῦθα ὑγρόν. Latinorum *mouere*, ſicut de animi, ita etiam de corporis affectionibus dicitur. *Aluum mouere* Catonis eſt de R. R. c. 115.

ventre Britannici moto eſt apud Sueton. Ner 33. Ariſtoteles problem. 4, cum quaerit, cur ſolem aſpicientes ſternutamus? ait, ὅτι κινεῖ θερμαίνων.

Orationi Alcibiadis p. 191. ſane conueniens videtur quod V. doct. vult, ἀλλ' ἰτέον ἤδη ἐπὶ τὸ πρᾶγμα, *ſed iam ad rem ipſam aggrediendum*, pro eo quod editur: ἀλλὰ ἰστέον ἤδη, τί ἐστι τὸ πρᾶγμα. Similiter dixit in aliis huius Dialogi locis p. 178. τὸν ὀρθῶς ἰόντα ἐπὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα. Sed nec alterum alienum eſt, hac ſententia: *Sed* (videbatur mihi) *iam demum cognoſcendum*, *quae res eſſet*, ſiue *quomodo res* i. e. conſtantia Socratis, *ſe haberet*.

NOTITIA RERVM HVNGARICARVM, *conſcripta A. FRANCISCO CAROLO PALMA*, *Societatis Ieſu Sacerdote*, *PARS I. II. III.*

Tyrnauiae, typis Collegii Academici Soc. Ieſu, Anno MDCCLXX. octonis.

Inſignis huius Hungaricae Hiſtoriae compendii auctor plurimum venerandus, Collegii Archiepiſcopalis quod Tyrnauiae floret decus inſigne, toto hoc opere ad praeſentem vsque aetatem producto, maximam fere partem ſecutus eſt Annales *Georgii Pray*, e Societate Ieſu, qui Hiſtoriam Hungariae omnem ad tempora vsque Ferdinandi Auſtriaci eleganter aeque ac copioſe complexus, ea rei litterariae Hungaricae paucis annis procurauit adiumenta, quae longo tempore

Digitized by Google

pore quidem, fruſtra tamen deſiderabantur. Is nimirum primus poſt *Tinonem* res Hungariae ad annos referre, colligare ſparſa, fabulas expungere, omnibusque deinceps ſcripturis planiorem viam facere inſtituit. Minime tamen putandum eſt, adeo vnius huius p incipis quidem auctoris veſtigia legiſſe Palmam, vt adire alios, ſicubi e re foret forte, religioni ſibi duceret.

Diuiſit autem omnem materiam in duas partes, ita, vt prior veterem cum Hiſtoria Regum Stirpis Arpadinae, poſterior dein nouam Hungariam exhiberet. *Illa*, vetus *nimirum*, praeter *Hunnorum*, *Auarum*, atque *Hungarorum* res, etiam domeſticam periodum Regum Hungariae, perſequitur; haec a temporibus regis Stephani, continenti filo ad noſtram vsque aetatem deſcendit, fertilis maxime rerum memorabilium. Ceterum etiam vtitur oratione perſpicua atque comta, qualis Hiſtoricum deceat; quamuis receptae inter ſuos opinioni non parum tribuiſſe videatur. Inter omnes conſtat, R. Stephanum per tempus aliquod vſum fuiſſe Ducis titulo, donec Aſtricum, S. montis Pannoniae Abbatem, iamque Colocenſium Antiſtitem deſignatum, Romam mitteret, a Papa Silueſtro II. petiturum, vt ſibi et ſuis ſucceſſoribus regia appellatione vtiliceret. Atque hoc loco auctor miraculum, apud *Chartuit. in vita S. Stephani* inuentum, in ſuam orationem infert: „appulſum narrat Aſtri„cum Romam, vix dici poteſt, quanto acceperit gaudio Silue„ſter II. id temporis Romanus Pontifex, *diuino ante praemo„nitus oraculo.* Gente Hungara in ſuam adoptata prote„ctionem, poſtulatis quam cumulatiſſime ſatisfecit; in re„giae poteſtatis ſignum, e ſolido conflatum auro, operis ſa„ne mirifici, diadema dedit."

Digniora vero lectu ſunt, quae hoc ipſo capite de diſciplina, quam Stephanus in educando filio Emerico Princi-

Digitized by Google

pe adhibuit, proponuntur, quaeue decem capitibus comprehenſa Rex Pater in Scripta retulit, et quod hodienum Corpori Iuris Hungarici inſertum publice proſtat, et Hiſtoriae auctoris noſtri non leuem profecto ſplendorem conciliat. Hunc multum admodum auget veritatis amor ſpectatus, et ſingularis in maximis rebus diiudicandis modeſtia; nec alienum erit, exemplo quodam dictorum fidem oſtendere et declarare. Itaque narrationem rupti per Vladislaum foederis cum Turcis initi, hoc modo perſequitur: „Vix „oratores Turcae diſceſſerant, cum adſunt a Franciſco Car„dinale Alberino Florentinae claſſis Praefecto litterae, qui„bus de peſſimo rerum Turcicarum in Archipelago ſtatu, „ſuoque aduentu Regem edocebat; a Ioanne item Caſtrioto, „in quibus, vt poſtulatum erat, cum 30. ſuorum millibus „propediem ſe in Thraciam appulſurum ſignificabat. Ea „res et Regem, et Hungaros, ſtupore quodam et pudore „defixerat, quod tantos Chriſtianorum apparatus, aduerſus „foederis initi rationes, tam ſubito et improuide confecta „pace deſtituerint. His curis anxios obruere Ioannis iunio„ris Palaeologi Imperatoris litterae. Scribebat is: vehemen„ter ſe mirari, Regem Hungariae, commutata voluntate, „aduerſus ſolemnia, totiesque repetita promiſſa ſocios turpi„ter deſeruiſſe, et quidem in medio victoriarum curſu, non „ſine graui rei Chriſtianae periculo, et ſociorum damno, „qui ab Hungaris in foedus pertracti, immenſos magno „[illegible]: addebat, Oratores „Turcos exploratores potius, quam legatos fuiſſe Amura„this, vt qui nullum legationis habuiſſent inſigne; Amura„them inducias doloſe pepigiſſe, vt ab Europa ſecuritatem „nactus, totus interea ad rebelles in Aſia ſubigendos incum„beret, quibus domitis, vniuerſis viribus bellum in Europa „inſtauraturus erat. Orabat denique regem, ne immemor „pactorum ſocios deſereret Principes, tantasque Chriſtia„norum ſpes, e multiplici illo foedere conceptas, momento

„prae-

„praecideret. *His, aliorumque* Principum nunciis auditis, „Regem Hungaroſque facti poenitentia ſubiit, et belli ge„rendi opportunitas, et maximorum ſucceſſuum ſpes, ſingu„los *in* Amurathem animabat. At enim religio prohibe„*bat*, pacta iuriſiurandi Sacramento firmata infringere. „Rogatis pro more eam in rem ſententiis, vbi quisque, „quid ſibi videretur, expoſuit, Iulianus Cardinalis, legatus „Pontificius, captata loquendi opportunitate, nuperam „cum Turcis pacis tractationem ſibi irritam videri pro„nunciauit, eo quod a confecto prius cum Chriſtianis prin„cipibus *foedere ſolenni, integrum minime fuerit Vladis„lao recedere, inſciisque ſociis cum hoſte de pace paciſci,* „teneri itaque Regem prioribus ſtare *pactis*, poſterio„raque vtpote nulla reſcindere. Tamdiu *forſan*, inquiebat „Cardinalis, liberum Regi fuerat, de foederibus et pace „cum Turcis agere, quoad inclyti huius Regni viribus et „felicitate bellum geſſit, quoad nulla externa ope adiutus, „priuato ſui regni diſcrimine ac ſumtu publicam rei Chri„ſtianae ſalutem maieſtatemque *tutatus eſt.* Vbi vero „cum aliis quoque *Chriſtianis* Principibus conſilia, totam„que belli *huius* gerendi rationem communicare placuit, „eorundem conſenſu bellum intermitti oportuit, quorum „opibus auſpiciisque geri ſuſceptum oportebat. Haec et „alia vbi copioſe Iulianus pro primi foederis valere expo„ſuiſſet, in eius ſententiam itum ab omnibus, tantusque „praeſentes ardor inceſſerat, vt nouo iureiurando ſe ad „proſequendum cum ſociis in Turcas bellum Rex vna at„que Proceres obſtrinxerint. Atque hinc ſatis opinor di„*ſtincte intelligi poteſt,* an Eugenius Pontifex periurii vi„olataeque pacis auctor dici *poſſit?* quamquam *Hungaris* „ſatius erat, ſancitas cum Turcis inducias cuſtodire, quam „ſemet inſtabili ſociorum, praecipue Graecorum, fidei cre„dere." (Sed tamen Cardinalis Iulianus, Legatus Pontificis, ſophismate vſus, ſuaſerat),

„Se-

Digitized by Google

„Secutam mutato conſilio cladem Varnenſem, his co„loribus depingit ſummus Hiſtoricus: His e ſenten„tia conſtitutis, et nouo delectu auctis Hungarorum copiis, „bellum continuo in Thraciam delatum fuit; initia laetiſſi„ma proſperos ſpondebant ſucceſſus, pleraeque enim vrbes „et oppida, aut vi, aut deditione in Hungarorum concede„bant dominationem, atque ſic Varnam vsque haud pro„cul Euxino ponto ſitam vrbem ventum fuit. Eodem non „multo poſt hoſtilium armorum ſtrepitu reuocatus perue„nit Amurathes, grauiterque de ruptis induciis conqueſtus „fuit. Poſtquam diebus aliquot mutuo in conſpectu ad„uerſae conſtitere acies, prior Amurathes IV. idus No„uembris in Hungaros minime imparatos impetum fecit. „Diu, magnisque animis, protracta pugna, ſemel ac ite„rum ſumma vi repulſi Turcae: inſtabant cedentibus „Hungari, ſolutisque ordinibus paulo vlterius, quam mili„tandi ratio poſtularet, progreſſi ſunt: hic rurſus maiore „quam ante furore inſtaurato praelio, vincebantur Hungari, „niſi Ioannes de Hunyad opem tuliſſet laborantibus, im„petumque delecta cum militum manu ſuſtinuiſſet. Vla„dislaus, quem a diebus aliquot aegrotantem in caſtris re„manere iuſſerat Ioannes de Hunyad, ſuorum fortitudine „et ſucceſſu ad ſuam pariter virtutem exercendam, quae„rendamque ferro gloriam, accenſus, vbi omnium maxime „feruebat praelium, repente ſe miſcuit pugnantibus Iam „iam inclinabat Turcorum acies, victoriaque in Hungarorum „fuit manibus, cum rex, temeritate potius, quam conſilio, „ſubditis equo calcaribus in hoſtes procurrit, vibratoque „in omnem partem enſe, ſtragem edit longe maximam. „Illi, noua hac impreſſione in extremam verſi rabiem, vlti„mas pariter ad ſe tuendos vires adhibent. Cum en pug„nandum inter, laeſo grauius ſonipede, Rex medios inter ho„ſtes humi prolabitur, iacentique per Ianitſaros caput prae„ciditur. Infelici eo caſu Turcis creuere animi, Hungaros

„au-

„autem adeo primus ille ardor deſtituerat, vt impetum „non ferentes amplius, in effuſam abierint fugam. Amu„rathes, ob multa ſuorum millia eo proelio amiſſa, animo „aeger, vetuit fugientes inſequi, collectisque vaſis in Aſiam „remeauit, id genus triumphos ſuis ſe hoſtibus precari di„cere poſtea ſolitus. Apud Hungaros minor iactura fuit, „ſed quam Regis Vladislai caedes funeſtauit. Eius corpus „militari tumulo conditum, caput vero per Aſiam in ſignum „victoriae a Turcis circumlatum. Iulianus Cardinalis, belli „ſuaſor e pugna ſuperſtes, a Valachis in fuga trucidatus, in „*praeterfluentem demerſus fuit. Atque hic erat Vladislai* „*exitus documento futuri Regum vitam ſalutemque* „nunquam temere diſcrimini eſſe obiiciendam. Praefuit „Hungaris tribus annis, totidemque menſibus, Princeps pie„tate, morumque probitate inſignis, generoſo atque libe„rali animo, eo ſolo apud exteros notatus, quod Ladislao „Poſthumo, pupillo Regi, Regnum eripuerit."

Ceterum Palma, Vir *doctiſſimus*, hoc potiſſimum capite ſummopere commendandus eſt, quod in rebus per ſe odioſis enarrandis, non tamen laudes praetereat, quas, quae erat tum Seculi conditio, homines iis tribuere conſueuerant. Tale fuit factum Ferdinandi III. quo ſecundum Pauli V. et Gregorii XV. conſtitutiones, illibatam virginis conceptionem Viennenſi Academiae ad tuendum obtulit, atque ita originem dedit conſuetudini, qua Caeſares die VIII. Decembris, annis ſingulis, ſolenni voto ad aedem d. Stephano ſacratam, hanc eximiam praerogatiuam Mariae virgini aſſerere ſolent. *Mos hic*, ait auctor noſter, *Viennenſis Vniuerſitatis, ad ceteras Hungariae, Germaniae, Galliae, Hiſpaniaeque Academias propagatus, Ferdinandi III. commendat pietatem in Mariam Hungarorum Dominam, qua quidem pietate ſtante, feliciter res Hungarica ſtetit, intereunte perire cepit.* Talia non oportebat ſcribere Virum, qui a do-

 ctri-

Digitized by Google

ctrina commendatur; propterea quod omnis iſta res ad fraudes monaſticas pertinet. Sed dandum erat aliquid Ordini, qui cum omni ſuo cultu Ieſuitico ſublatus eſt.

C. VELLEII PATERCVLI QVAE SVPERSVNT ex Hiſtoriae Romanae voluminibus duobus: cum integris animaduerſionibus doctorum, curante DAVIDE RVHNKENIO.

Lugduni Batauorum apud Samuel. et Ioann. Luchtmans, Academiae typographos, 1779. Alph. 3 pll. 16. cum 10 pll. Praefationum. T. I. II. in 8.

Notum eſt eruditis, inprimis iis, qui cum reliquarum doctrinarum cognitione, humanitatis et litterarum ſcientiam coniungendam putant, tanto emendatiores haberi ex antiquorum libris eos, quorum ad noſtra tempora multi codices ſcripti peruenerint, quanto inquinatiores et corruptiores ii cenſentur, quorum pauci, ſiue vnus tantum et alter, reperiantur. Quo minus mirandum eſt, Velleii, qui breuiter Romanam hiſtoriam tradit, quae ſuperſunt, ab eo inde tempore, quo edita primum in lucem ſunt, manca ſemper, mutilata, lacerata et corrupta, poſt etiam curas virorum doctorum, quibus ea ſanare ac emendare animus erat, manſiſſe. Huius enim operis vnus tantummodo codex MStus extitit, in coenobio Murbacenſi, ſub initium renaſcentium litterarum repertus, vna tantum, quae auctoritatem habeat editio, ex hoc ipſo Codice ducta et expreſſa, B. Rhenani, quae Baſileae ap. Frobenium anno 1520. in Fo-

Digitized by Google

Folio prodiit. Mox Ioh. Alb. Burerius iſtum codicem, quoad adhuc a Frobenio tenebatur cum typis expreſſo exemplari contulit, et varias inde lectiones collectas illi ſuo ſub nomine addidit. Poſt haec tempora euanuit Codex, nec vsquam vel idem, vel alius, qui Velleii libros referret, in ſummo quaerentium et perueſtigantium ſtudio et labore indagari potuit. Hanc primam editionem, multi, qui ad Velleium legendum et explicandum, diſpari cum animi ſenſu ac doctrinae apparatu, acceſſerunt, offenſi eius lacunis, naeuis, et corruptelis, ita conati ſunt refingere ac reformare, *nullo vt, neque fine neque modo, impetus iſte regi et temperari, ſed tota res temeritati attribui videretur.* Primus hoc fecit Iunta; ſucceſſit Vaſcoſanus; exortus deinde eſt, qui quae iſti medice feciſſent, ſumma cum libertate ageret, et plane nouum, et a Rhenaniano diuerſum Velleium, procuderet. Cuius auſi monumentum eſt editio Velleii ſubiecta Scriptoribus Hiſtoriae Auguſtae, Baſileae apud Frobenium a. 1546. Fol. editis. Doctum tamen et acutum fuiſſe hominem, qui huic *editioni praefuit, quisquis* tandem fuerit, *intelligitur,* inſigni fauore plurimorum, *quo,* quamquam non Velleiana, attamen ea quae intelligi poſſent praeberet, excepta eſt haec altera et interpolata Baſileenſis editio, antiquiori, genuina et ſincera ſi refrenti, poſthabita. Quin etiam ipſe Burmanus, ac caeteri, qui Critici dici haberique vellent, in ſuis Velleii recenſionibus, hanc interpolatam editionem in textis verborum exprimendis, ſecus quam par erat, ſecuti ſunt. Hac rei indignitate permotus Ruhnkenius, quem nemo acuti, ſagacis, et perdocti Critici laude defraudet, *quem illi commiſerant* errorem euitauit. Neceſſarium enim duxit, verum et germanum *Velleium,* qualis in Rhenani editione prodiit, tandem aliquando reuocare. Ergo non veritus eorum minas, qui textum multis in locis mendoſiorem, quam in Burmaniana et aliis editionibus reperiretur, exhiberi, qui nec orthographiam ſaepe falſam

mutari criminaturi eſſent, hoc agendum et perficiendum eſſe cenſuit, confiſus, non aliter fieri debere ab eo qui non hominum eruditorum opinionibus irretitus, ſed ſola principis editionis ope fretus, per ipſa deprauatae ſcripturae veſtigia, veritatem latentem deprehendere decreuiſſet. Verum tamen, ſi vel alienarum, vel ſuarum correctionum tanta erat perſpicuitas, et euidentia veritatis, vt niſi nullo in his litteris ſenſu praeditus, nemo de iis dubitaret, non ita ſuperſtitioſus fuit, quin eas in textum admitteret. Loci ſic reſtituti in corruptiſſimis olim verbis exemplum eſt Lib. II. c. 28. quae hac in editione ſic exſtant; *dictator creatus (cuius honoris etc. vti appareat populum Romanum vſum dictatoris haud ita in metu deſideraſſe, vt in ocio timuiſſe poteſtatem) imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam vſi erant, eo in immodicam crudelitatis licentiam vſus eſt.* Qui veterem lectionem comparauerit facile hanc nouam, ex alienis pariter ac ſuis rationibus conflatam, illi praetulerit. Neque vero nec hic, nec alibi, quidquam in contextis eſt mutatum, niſi laudatis diligenter vel antiquis lectionibus, vel eruditorum, qui aliquo nomine eſſent, ſuſpicionibus, vel denique omnium idonea ratione reddita. Qui in Velleio recenſendo elaborarunt interpretes, non omnes operae pretium fecerunt. Horum e numero ſunt Schegkius, Popma, Gruterus, Boeclerus. Quorum hic dudum exploſam ab eruditis peruerſitatem ſecutus eſt, Hiſtoricos politica ratione interpretandi. Alii praeclare de Velleio meriti ſunt vt Acidalius, Puteanus, Lipſius, Voſſius. Acidalius quidem, iuuentutis feruore ablatus, multa auſus eſt tentare, quorum cauſſa ipſius conatus aliis diſplicerent; neque tamen dubitandum eſt, ſi ad maturitatem venire licuiſſet, meliorem praeſtantioremque iis, a quibus contemneretur, futurum fuiſſe. Lipſius autem, tanta ſagacitate in vitiis deprehendendis, tanta ſolertia in iisdem tollendis, vtebatur, vt, quae ad Velleium emaculandum con-

Digitized by Google

contulit, in quibus *ipſe* ſemet viciſſe videbatur Heinſio, Critices ſtudioſis, tanquam praeclarum huius artis exemplum debeant commendari. Heinſius ipſe hanc ei laudem tribuit in ſua ad Velleium praefatione; Burmanus Heinſio aliudicat principatum. At illi quidem alterius fauor, alterius odium, in vero perſpiciendo obfuit. Aequus rerum arbiter ſuum tribuerit cuique. Fuit Heinſius in poetis latinis tractandis vnus omnium feliciſſimus. In ſolutae orationis ſcriptoribus, Curtio, Tacito, aliis, haec eum felicitas deſtituit. Quin etiam, quomodo poetica, conſuetudo *ab ſoluta oratione differat,* non *ſatis intellexiſſe videtur.* *Alioquin,* tot verba, tot formas poeticas Velleio et ceteris obtrudere non potuiſſet. Burmanus, acumine critico minus valebat, adeoque in eo ſcriptore recenſendo, in quo, in ſumma variarum lectionum penuria, res omnis ad ingenii ſolertiam redit, a priorum laudibus longius abeſt. De C. Velleii, (nam hoc praenomine vocandum potius quam P., idoneis argumentis demonſtrari poteſt,) conſilio partim, partim ſcribendi genere, contemtim nonnulli ſentiunt. Adulandi ſtudium, ſuſcepti operis cauſſam, latinitatem parum bonam, accuſant. Cuius opinionis, tum res parum penſitata tum inſcientia fons eſt. Breuiori licebat via id aſſequi, nec tot per ambages et molimina arrepere opus erat. Si quid tamen in extremo opere, Tiberio vt placeret, ſcripſit, id aequo ferendum animo, aut reſpectu neceſſitatis illorum temporum mitius accuſandum. Careat, *praeſcribere* verbum, pro *ante referre,* auctoritate; tamen nondum, vt opinamur, eiiciendum prorſus, vt Editor fecit, praeſertim ſemel occurrens II, 20. vbi ſi legatur *perſcripſimus,* quod Ciceronianum eſt, et vel illi, *vt perſcripſi ad te antea,* ſimillimum, nemo offenderit; *praedicere vero,* quod nonnulli carpunt, Iuſtini et Columellae locis facile defenditur. Quibus addatur alius Quintiliani X, 1. quem inter plures, ſed alienos, affert Frid. Otto Menkenius, Obſeruat. Lat. Ling. p. 774.

Digitized by Google

Theopompus his proximus, vt in hiſtoria praedictis *minor, ita oratori magis ſimilis.* Rectius improbatur multis nimis frequentatum acutarum feſtiuarumque ſententiarum aucupium, quod in ſolutam orationem dudum intulit Trogus Pompeius ſiue Iuſtinus, in ligatam Ouidius. Satius erat eo abſtinuiſſe, et Salluſtium, quem in ceteris ſequitur, hac quoque parte expreſſiſſe. Hunc enim vnum, vt ſibi perſuadet Ruhnkenius, imitandum ſuſcepit: ab eo indolis humanae deſcribendae exemplum petiit; eius aemulatione in verbis efficaciam, et in breuitate neruos, in tota denique orationis compage eam ſimilitudinem accepit, quae a nemine adhuc animaduerſa, nunc demum Editoris opera declaratur. Qui, ſi caſtigatior Velleius ſua cura prodeat, non tam ingenio ſuo id tribui vult, quam ſummae cum Salluſtio familiaritati contractae, perpetuaeque Scriptoris vtriusque comparationi. In quo plus quidem is ſtudio ſuo, quam veritati dediſſe, videtur. Ecce enim quaedam. Lib. II, c. 34. *coniurationem — eripuit.* Sic Edit. pr. At veriſſime editor Baſil. *coniurationem — aperuit.* Salluſt. Catil. 40. *eo praeſente coniurationem aperit:* c. 70. *Curſu ad eum tendentium.* Salluſt. Iug. 91. *pedites curſu tendere ad Capſam iubet.* Ex quo clarum eſt, Heinſium, *curſus* legentem, non emendaſſe hunc locum, ſed corrupiſſe. C. 77. *qui haud abſurdo — dixit.* Ex Salluſtio Catil. 25. *ingenium eius haud abſurdum.* C. 79. *conſultisque facta coniungens.* Imitatur, vt ſolet, notiſſima illa Salluſtiana Catil. I. *Nam et prius, quam incipias, conſulto: et, vbi conſulueris, mature facto opus eſt.* c. 79. *Sed ancipitis fortuna temporis matura virtute correcta.* Locutio, *fortunam corrigere*, ſumta eſt a Salluſtio Iug. 94. *Sic forte correcta Marii temeritas.* C. 81. *fortuna militauit.* Lege: *fortuna mutauit.* Fortuna mutauit exquiſite dicitur pro, fortuna mutata eſt. *Mutare* paſſiua ſignificatione dixit, Salluſtium ſuum imitatus Iug. 38. Et tamen et Liuius, et alii ſic dixerunt. c. 127. *Nihil ſibi vindicantem, eoque adſequentem*

omnia.

Digitized by Google

omnia. Manifeſta imitatio Salluſtii Catil. 54. *ita, quo minus gloriam petebat, eo magis illam adſequebatur.* Et ſunt huius generis plura, in quibus ſimilitudinem videmus, ce tam imitationis notam non reperimus. Ac illud imitationum perſequendarum aucupium, interdum ad deuia eos agere, qui ei nimis indulgent, nuper nos in recenſendo Cl. Iani Horatio monuiſſe meminimus. Sed referantur etiam alia, docte ſane diſputata, ſed Velleio tamen minus profutura. Scriptores omnis generis, Poetae, Oratores, Hiſtorici, neglecta verborum variatione, iisdem interdum aliquoties vocibus vtuntur, quod Ven. Erneſtus plurimis idoneorum auctorum teſtimoniis, in Proluſione de *negligentia grata*, docuit, itemque e Batauis Io. Frid. Reizius, in *Apologia aduerſus criminationes Anonymi* etc. p. 17. ſqq. Cur ergo non dubitemus, an, cum I, c. 2. *Vtica condita eſt* legatur, recte diſpliceat verbum condere, quamuis paucis verſibus ter repetitum, et malit: *Vtica conſtituta eſt.* Quod tanto magis ferendum eſt, quo ſaepius vno verſu bis terue idem verbum iteratur. Ponantur quaedam, quae in promtu ſunt. Liuius 34, 56. *ad quam diem L. Cornelius conſul edixiſſet, et in quem locum edixiſſet Etruriae.* 43, 8. *id ſe tantum orare, vt in amicitiam Pop. Rom. reciperentur, et ſi pax fieret exciperentur, ne in regiam poteſtatem reciperentur.* Cicero Verr. 4, 48. *propter eſt ſpelunca quaedam — qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitiſſe, abreptamque ex eo loco virginem ſecum aſportaſſe, et — penetraſſe ſub terras, lacumque in eo loco repente extitiſſe.* Hinc inanis eſt dubitatio de repetitione vocis *vltio* Lib. II, 7. et irrita ſuſpicio, quaſi pro *Inimicitiarum quaeſita vltio* legendum ſit, *inimicitiarum quaeſita relatio.* Nam *inimicitias relatas* dixiſſe veteres demonſtrari poteſt; at *relationem* pro vindicta dixiſſe non item probatur. Hinc nec bis repetitae vocis *reuocata* 2, 89. nos poeniteat, miſſa emendatione *renouata.* Porro etiam qui breuitatem ſequuntur in ſcribendo, Salluſtius, Tacitus,

citus, et Velleius, ſua ſubinde de lege et formula recedunt. Quo animaduerſo, ſi qua paullo difertius poſita ſunt, vel quae attentus lector ſponte intelligat, non illico pro gloſſematis habebimus. Feramus ergo Velleium ſcripſiſſe 2, 23. *paternis, id eſt Ponticis finibus, contentum eſſe iuſſit.* Feramus etiam 2, 35. ſcripſiſſe: *ille Senatus dies, quo haec acta ſunt;* quamquam iſta breuius, ſalua ſententia, dici potuiſſe concedimus. Sed adhuc alia videamus: 2, 39. *Ab eodem facta Numidia.* Legendum eſſe *fracta*, cum praeſertim paullo ante ſit *infractae*, neget, qui cum Sigonio intelligat prouincia, vel ex *conferunt ſtipendium*, malit *ſtipendiaria*, vel denique *facta* accipiat pro acquiſita, quo modo Graeci ποιεῖσθαι dicunt. Sic *exercitum facere*, Salluſt. *fragm. Hiſtor. VI.* et Vellei. 2, 109. *populum Romanum ipſe fecit*, Flor. I, 1. vid. Graeuius Lect. Heſiod. Cap. 14. Cicero Manil. 10. *plures prouincias confecit, quam alii concupiuerunt.* Prae *iuſte*, vel *iuſta diuiſione praediorum*, 1, 74. quodammodo languet *inſtituta diuiſione praediorum.* At *iuſta* dici poterit, non quod iure facta ſit, ſed quod paribus et magnis portionibus. C. 78. *prouincias, quas magnis momentis Labienus, — — concuſſerat.* Magna momenta ſunt, vt arbitramur, res magni, momenti, graues motus et efficaces. Quod paullo melius, quam legere vel *emolumentis*, vel *molimentis*. Nouum enim vtrumque, et inuſitatum. Burmani explicatione acquieſcendum c. 82. *cum redimitus hederis, coronaque velatus aurea.* Concedit Cel, Ruhnkenius, *redimitus hederis*, non de hederacea corona, ſed de *rediniculo* accipi; quaerit autem, quis vnquam *corona velari* in proſa oratione pro coronari dixerit. Atqui multa Poetis ſunt et ſolutae orationis ſcriptoribus communia, multa v. c. Tacitus cum Virgilio vſurpauit, de quibus, quin recte dicantur, non dubitatur. *Velare* autem eſt *ambire*, *circumdare*, et omnino vitiis coroniſque aptum. *Crocota*, cui parum conueniat additum *aurea*, quam vocem ſubſtituendam pu-

putat, non eſt opus. c. 91. *cum eſſet omni flagitiorum ſcelerumque conſcientia merſus*. Facilem haec verba ſententiam habent, nempe hanc, cum eum flagitiorum ſcelerumque conſcius animus agitaret. *Merſus* i. e. obrutus. Multo impeditior, et menti ſcriptoris contraria eſt emendatio, quae proponitur: *cum eſſet omnium flagitiorum ſcelerumque ſentina emerſus*. Cur enim is *emerſiſſe* magis, quam *merſus* dicatur? Paene omiſeramus L. II. c. 36. neminem rationem habuiſſe veteris lectionis: *in ſuſpecti operis ſui carmine*, quae poteſt hanc ſententiam habere, vt carmen ſuſpecti operis ſit carmen, quod ſuſpectum reddit Poetam et eius mores, quod Catulliano carmine, de quo ſermo eſt, mala de auctore ſuſpicio proditur. At c. 120. verba: *praeclari facinoris auctor fuit Caldus Caelius, ad vetuſtatem familiae ſuae digniſſimus*, ita ſunt accipienda, Caldus Caelius praeclari facinoris auctor digniſſimus fuit reſpectu vetuſtatis familiae ſuae. Primarium hoc eſt, vt *digniſſimus* referatur non *ad vetuſtatem familiae* ſ. in quo peccauit Wopkenſius, ſed ad *auctor*. Plura referre poteramus, adeo multa ſunt, quae a Criticis, eorumque primario, Cel. Ruhnkenio, ſollicitantur, in quibus antiqua probare praeſtet. Scitas, elegantes, et aptas emendationes intercurrere, Graecorum etiam ſcriptorum comparationes, quanquam non frequentes, nam breuitati ſtuduiſſe apparet, et correctiones, nemo dubitet, qui Ruhnkenium, cuius laudibus recte fauent omnes, nouerit. Certe, quae in opera Velleio praeſtita, tum commendationem, tum cautionem habeant, tamen dixiſſe videmur.

Vehementer autem optamus, vt, quae bono lectorum dicta a nobis ſunt, non ite a quoquam accipiantur, quaſi Editoris celeberrimi doctrinam aut famam ſugillare voluerimus. In libera republica libera eſſe doctorum hominum ſuffragia oportet, ſine acerbitate tamen. Hoc tramite omni tempore inceſſimus, neque ab eo deflectemus impoſterum.

Digitized by Google

BVDA SACRA SVB PRISCIS REGIBVS. AVctore P. XYSTO SCHIER, Eremita Auguſtiniano. Opus poſthumum.

Viennae, typis Ioſephi Kurzboek, Caeſ. Reg. Aulae Illyrico orientalis, nec non incl. inf. Auſtr. Ord. Typogr. 1774. in 4.

Opus eſt non contemnendum, de quo etiam ſingulari epiſtola *Georgius Pray* auctori gratulabatur, qui morte praepeditus hiſtoriam Budenſium aedium ſacrarum, et ſacellorum, typis deſtinatam, impreſſam videre non potuit. Inſunt autem huic opuſculo, praeter templorum deſcriptionem, egregia capita complura, res eccleſiaſticas Budenſes concernentia, quorum momenta hoc fere ordine ſequuntur: MXLVII. contigit fatalis interitus S. Gerardi, eiusque ſociorum. Concilium in caſtro Budenſi, Praeſide Phil. Cardinali Firmiano, 14. Sept. MCCLXXIX. celebratum, ſciſſum vero re infecta, Patribus congregatis aduentu Ladislai Regis diſperſis. b. Petrus Ord. Min. mortuus MCCLXXXVII. in monaſterio S. Ioan. Eu. et ſepultus in eius Templi eminentiori loco, multis poſt, ſi verum eſt, miraculis inclaruit. Cum ciues Budenſes, ſpretis Decretis regiis, et auctoritate Concilii Strigonienſis, ſeſe a violandis iuribus Eccleſiae veteris Budae non abſtinerent; anathemate puniti ſunt MCCXCV. Pax publica in Hungaria graui atque periculoſa factione turbata adeo Pontificem Romanum commouit, vt in gratiam Caroli I. Hungariae Regis, Nicolaum S. R. E. Cardinalem, Oſtienſem Legatum mitteret, qui poſtquam Budenſibus interdixiſſet auctoritate Pontificia templis, et ſacris omnibus, Clerici viciſſim Summum Pontificem, et Epiſcopos Hungariae Carolo deditos, non modo ſacris omnibus

bus priuarunt, ſed publice etiam decreuerunt, vt aqua et igni interdicerentur. Cardinalis, rebus ſuis conſulens, fuga intentum ei vitae periculum mature anteuertit anno MCCCII. Franciſcus Gentilis, etiam Card. Ap. Sed. Legatus, MCCCVIII. edidit Budae Conſtitutiones pro Rege, Clero, et ordine ſeculari. Congregata Vdvarinum Synodo MCCCIX. Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis anathema dixit partim iis, qui Capitulo Budenſi vectigalia hactenus praeſtita negarent, partim vero etiam qui electionem Caroli irritam pronunciarent. Poſtquam Ludouicus vidiſſet, fruſtra ſe laboraſſe in conuertendis Iudaeis, oblata iis libertate, propoſitoque iure ciuitatis Hungaricae, publico hos refractarios decreto, Buda regnoque eiecit MCCCLIV. Reliquiae S. Pauli primi Eremitae MCCCLXXXI. allatae Budam a Clero et populo ardenti deuotione exceptae, ſacello regio conduntur, tandem, factis ibidem multis miraculis, vndique ad adorandum plebs turmatim aduolat. Has reliquias non ita multo poſt, Demetrius Strigonienſis Archiepiſcopus, ex decreto regio, praeſentibus Epiſcopis, Religioſis, Secularibus, ac numeroſa confluentium ciuium multitudine, tollit, et in templo S. Laurentii ſupra Budam adorationi exponit, inſtituto in perpetuam translationis huius memoriam feſto. Hieronymus Pragenſis doctrinae ſuae ſemina Budae ſpargens, vrbe Regnoque MCDX. exigitur, et ſacer Theſaurus S. R. I. a Sigismundo Huſſitis ereptus MCDXXIII. Budam primum, tandem vero Norimbergam defertur. Liberato MCDLVI. Belgrado, inſtitutum eſt feſtum transfigurationis Domini, Budaeque inductus mos, vt prima a meridie hora campanae pulſu populus ad orandum pro Chriſti militibus excitaretur. Manſit haec conſuetudo ad finem Budae Chriſtianae. Etiam corpore S. Ioannis Eleemosynarii, Patriarchae Alexandrini, a Mahomede II. Imperatore Turcarum Mathiae Regi donato MCDLXXV. illuminatur Buda. Aduerſus Iudaeos excitatur tumultus

 cruen-

Digitized by Google

cruentus MCDXCV. viſaque beata virgo Maria in aëre verſus Budam deſcendere. Caput S Pauli primi Eremitae diu auide a Budenſibus exſpectatum, Praga adfertur MDXXII. Diaeta Budae celebrata MDXXIII. fatalis exſtitit Lutheranis, eodemque anno Simon Grynaeus, nouae religionis ſuſpectus, coniicitur in carceres, e quibus tamen, quamuis aegre, elabitur.

REGES VNGARIAE MARIANI, EX ANTIQUISſimis Diplomatis, aliisque MSS. conſcripti ab A. R. D. IOANNE FRIDVALDSZKI de FRIDVALD, A. A. L. L. et Philoſophiae Doctore, apud Vniuerſitatem Claudiopolitanam Matheſeos Profeſſore emerito, nunc per M. Principatum Tranſiluaniae in Phyſicis Experimentatore, Presbytero ſaeculari.

Viennae, typis Ioannis Thomae Nob. de Trattnern, Sacr. Caeſ. Reg. Aulae Typogr. et Bibliop.
MDCCLXXV.

Non ſunt hi Reges auctoritate virginis Mariae conſtituti, ſed gratia Dei, quamuis Hungaria ſuam Dominam veneratur Deiparam; Deumque etiam Dominum ſuum dicat; neque inter Politicos conueniat de Canone a beata virgine, Domina Hungariae, in recognitionem dominii directi Domino Deo directo ſoluendo. Sunt ergo Mariani Reges, qui vel erigendis, vel dotandis etiam templis, monaſteriis, et Abbatiis, non tam Dei, quam virginis Mariae cultum promouere, proprio exemplo ſtuderent, quorum ſat magnum nu-

numerum nobiliſſimus ſcriptor a S. Stephano Protorege colligendo ad Lud. II. tempora vsque, condidit. Erat autem nonnullorum Regum pietas, qua ſeſe factis votis in honorem virginis adſtrinxerant, tam inſolens, tamque oneroſa, vt et rerum publicarum adminiſtrationem plerumque negligerent, ac neceſſe eſſet, tantorum votorum petere veniam a Pontifice Romano. Cuius rei illuſtre exemplum in Carolo eſt, cuius petitioni Pontifex annuit, datis ad eum litteris, quarum apud auctorem tale exemplar habetur: „Paternae charitatis affectu, quo Tuae Celſitudinis Perſonam *zelamus in Domino noſtro Ieſu Chriſto, proſperi Tui Status diligentes augmentum*, *Tuique Regni tranquillitatem* aſſiduam affectantes, petitiones Tuas, quas ex intentionis deuotae puritate prodire perpendimus, libenter audiuimus, et fauorabiliter exaudiuimus. Sane, ſicuti expoſita nobis tuarum litterarum ſeries indicauit, Tu iam dudum tempore, quo in puerili quaſi conſtitutus aetate, cum ad Regnum Vngariae, quod Magnates ipſius tunc a recto deuii iniuſte inter ſe diuiſerant, et tenebant, ductus fuiſſes, conſpiciens, Te in recuperatione *dicti Regni*, et eius regimine aſſequendo, auxilii *diuini* ſuccurſu, eiusque ſuffragante gratia, indigere, tum ob hoc, tum etiam vt ipſorum Magnatum, tunc temporis tibi parere non curantium, aſſentias et inſidias ſine tuo periculo perſonali euadere poſſis, diuerſis temporibus et vicibus, Deo viuo et vero, et beatiſſimae virgini Mariae, genitrici ſuae, ipſiusque ſanctis, vota emiſiſti deuota, de dicendis oratione dominica, et angelica ſalutatione ad dictam virginem, ac legendo Antiphonam ſalue Regina; quae quidem oratio et *ſalutatio certis diebus ad centenum*, et quibusdam aliis ſimiliter diebus ad ducenteſimum iam numeros peruenerunt, certis etiam lectionibus de eadem antiphona adiunctis eisdem: vnde cum ex repetitione frequenti, ſeu quotidiana orationis, ſalutationis, lectionis antiphonae, aliarumque lectionum praefatarum inſtantia, in conſiliis et negociis

 eius-

eiusdem regni, et terrarum Tuarum, et alias in eorum regimine, atque iuſtitia miniſtranda, impediaris multipliciter, ac etiam occuperis, nobis deuote, et humiliter ſupplicaſti, vt vota huiusmodi commutare, Teque ſuper eis alleuiare iuxta circumſpectionis Apoſtolicae prouidentiam dignaremur. Quamuis igitur feruentibus ſtudiis amplectamur opera pietatis, ea tamen, cum ſunt nimium onerosa, de ratione et ex poteſtate nobis coelitus elargita, in alia etiam pia impendia poſſumus commutare. Quare Tuis deuotis ſupplicationibus inclinati, frequentiam, et quotidianam inſtantiam huiusmodi orationum, et ſalutationum praefatarum, dictis diebus ad quindenum numerum reſtringimus, et etiam limitamus, et ab vlteriori et numeroſiori earum obſequio diurno, vel nocturno, auctoritate Apoſtolica Te abſoluimus, Teque ſuper hoc diſpenſamus de gratia ſpeciali. Volumus autem, vt illis diebus, quibus Te per votum obligaſti ad dicendum orationes, et ſalutationes, vltra quinquageſimum numerum, duodecim pauperes, praeter illos quos communiter conſueuiſti benigne reficere, pie paſcere, ſeu illis refectionem diuinae pietati amabilem impendere tenearis. — Datum Auenione XVI. Kal. Febr. Anno V.

Opus vero hoc ſuum Marianum auctor ſequenti epiphonemate claudit: „atque haec Vngarorum Dominae honoribus dicata ſunto. Lubens ſucceſſorum etiam regum MARIANOS amores, cum licuerit, ſcribam. Quisquis Vngarus audire amat, aut MARIANVS ſit, aut, ſi Dominam ſuam amare renuit, Vngarum exuat.“

Si haec talia ſcripſiſſet Fridvalszkius Saeculis barbaris, erat ſine dubio magnam gratiam initurus: ſed noſtris temporibus ſcimus, ridebitur non a ſuis modo, qui vltra miſeram plebeculam ſapiunt, ſed maxime etiam a nobis, qui bonarum litterarum ſtudiis auocamur ab opinionibus iis omnibus, quae ridiculos homines faciunt.

NO-

Digitized by Google

NOVA LITTERARIA.

Quam bono litterarum, atque ornamento Academiae Lipſienſis, litterariam Societatem anno MDCCLXXIV. fundauerat et genere et doctrina inclutus S. R. I. Princeps *Iablonouius*, Palatinus Nouogrodenſis, rel. eius fundationis litteras, a Sereniſſimo Electore noſtro confirmatas, Lectoribus noſtris proponimus, non ſolum vt memoriam Celſiſſimi Principis, qui inter Muſas noſtras conſenuit et e vita diſceſſit, ad omnem quae futura eſt poſteritatem transmittatur; ſed etiam vt litterarum Mecaenates illuſtre hoc exemplum intueantur; viri denique doctrina conſpicui ornent Societatem commentationibus, quibus praemia quotannis decernet Societas.

IOSEPHVS ALEXANDER, de Ducibus Pruſſo-Vindis et Wichotz, IABLONOWSKI, Princeps Sacri Romani Imperii, in Jablonow et Lachowce, Comes in Liſianka et Zawalow, Liber Baro in Podhorce, Haeres in Iablonow ad Chronum, Starydworzec, Hrabiow et Czarnolas, Palatinus et Generalis Terrarum Nouogrodenſium, Eques torquatus et Commendator Ordinum Sancti Spiritus, Archangeli Michaelis, diuique Huberti, Academiarum inclytarum ſcientiarum et humaniorum Literarum, Lutetiae Pariſiorum, Florentinae, aeque ac Arcadum, Recuperatorum, Inſtitutique Bononienſis Collega, Wolpenſis, Onyxtenſis, Dwinogrodenſis, Zagoſtenſis etc. Capitaneus, Dubnenſis,

ſis, Krasnenſis et Debesdauienſis Tenutor. Nullum ſane dubium eſt, ad incrementa Literarum nihil magis conferre, quam ſi, qui bene de iis meriti ſunt, et honoris ſtimulo excitantur, et dignis exornantur praemiis. His etenim virtus, etſi nullius indiga mercedis, magis tamen excitari, aliisque, vt eadem conſectari adnitantur, exemplo eſſe ſolet. Virtus vero frigide duntaxat laudata, nec vllo vnquam compenſata praemio, ſaepius, vt aiunt, algere videtur. Idcirco, Reges omnesque Principes, quibus Literarum incrementa cordi fuerunt, doctos viros praemiis allici, imprimisque eos ornari iuſſerunt, qui arcana naturae, aeternasque eius leges, Oeconomiam, Commercia, rem nauticam, et praeſertim Hiſtoriam, diligentius illuſtrarent, ac ſcite recteque explicarent. Hoc apprime modo res populis vtiliſſimae ſunt repertae, et nunc reperiuntur. Hac liberalitate, ad veritatem penitius indagandam cognoſcendamque via aperta eſt.

Quam vtile, quam honeſtum bonis literis foret, ſi iisdem praemiis, quibus Italia, Gallia, Anglia, Hiſpania, et pars Germaniae, inſtauratores Literarum ornauit, omnium terrarum praeclara ingenia ad maiora audenda excitarentur. Qua opinione ducti etiam Nos, non ſolum antiquitatum et hiſtoriarum praeclariſſima monimenta, libris a Nobis multa induſtria et ſolertia ſcriptis, et adhuc ſcribendis illuſtrare, aliosque viros doctos et literatos priuatim ad ſcribendum excitare, ſed etiam praemiis publice proponendis, (quae quo ſunt maiora, eo acrius animos incendunt,) diſciplinarum et literarum, quibus a teneris dediti fuimus, amorem excitare, augere, et inflammare decreuimus,

Quod

Digitized by Google

Quod vt rectius, et in ordine fiat, hoc ipſo Diplomate fundamus et inſtituimus virorum doctorum Societatem, nomine Noſtro Iablonouianam dicendam, ea quidem lege, vt quotannis trium virorum doctorum ſuper quaeſtionibus propoſitis diſſertationes, ſingulae, numismate ex auro puro puroque conflato, ac pondere AVREOS vel DVCATOS VIGINTI quatuor aequante, ornentur. Qua ratione ſperamus melius incitari poſſe ingenia opibus deſtituta, quam praemiolo trium librarum in Vniuerſitate Pariſienſi ſolemni. Quis enim neſcit, hoc ipſum literarum ſtudium *ſumptuoſum, opibus ſaepe deſtitutum, et opulentium liberalitate ac conſiliis ſuſtentandum eſſe? Praeter* haec tria numismata, viris doctis more infra definiendo diſtribuenda, TRIGINTA AVREORVM annuam penſionem Secretario Societatis noſtrae Iablonouianae, in perpetui laboris remunerationem, aſſignamus, et eadem fide addicimus, qua viris doctis ſupra dicta praemia. Totum vero inſtitutum, iuuandis artibus deſtinatum, ſacrum, inuiolabile, aeternum eſſe, hac donatione et hoc Diplomate iubemus. Vt vero omni ratione Fundationis Noſtrae commodis et ſecuritati prouideatur, nihil Nobis tutius viſum eſt, quam vt Summam DVORVM MILLIVM, SEXCENTORVM QVINQVAGINTA TRIVM AVREORVM ſeu DVCATORVM, optimi ponderis, cenſu annuo quinorum ex centenis, (vulgo per quinque intereſſe,) hoc eſt centum triginta DVOS AVREOS, duos Thaleros Imperiales, et groſſos tredecim, quotannis ferentem, in aerario Ciuitatis Gedanenſis, et ſuper eius bonis, pro praeſenti tempore locaremus, ex qua Summa SEPTVAGINTA DVO AVREI puri, in tria numismata praemiis deſtinata, TRIGINTA AVREI in remunerationem Secretarii, reliqui TRIGINTA AVREI, Imperiales duo, Groſſi tredecim ex ſupra dicto foenore centum triginta duorum aureorum,

M Tha-

Thalerorum duorum et groſſorum tredecim, reſidui, in diſſertationes luce publica dignas, typisque deſcribendas impendendi, quoniam tanti, hoc eſt NONAGINTA THALERIS Imperialibus, annuam impreſſionem diſſertationum conſtare, experientia Nos docuit. Quae ratio, vt nunquam fallere poſſit, Nobis chirographo aut Inſtrumento a Gedanenſibus publice cautum eſt, quo pollicentur, ſe, impetrata SERENISSIMI ELECTORIS SAXONICI venia, ſeptuaginta duos Aureos, cudendis nummis deſtinatos, quotannis Dresdam, iis, qui rei monetariae praefecti ſunt, vltro eſſe miſſuros, triginta vero Aureos Secretario, vt ſupra dictum eſt, quotannis, die Februarii quarta, natalitiis Noſtris, ſine mora tradituros.

Vnum Nobis addendum viſum eſt, neque Nos, neque Succeſſores Noſtros, ſi forte, (quod Deus auertat,) haec ſors publice depoſita aut omnino pereat, aut caſu quodam imminuatur, ad reſarciendam illam, vel reſtituendam, vlla ratione fore obligatos.

Numismata Dresdae excudenda, nunc *perpetuo* Societatis Praeſidi, ex Corpore Academico, olim alii, qui ex ſententia Societatis ipſi (quod ſero fiat) ſucceſſurus eſt, tradenda et committenda ſunt.

Nos vero, qui hoc Inſtitutum fundauimus, et inſtaurauimus, Maiorem natu Senioremque e Nomine, Familia, et Stemmate Domus Noſtrae, perpetuum Praeſidem deſignamus, eumque rogamus, vt vim et auctoritatem Noſtrae Fundationis diligentiſſima cura tueri et ſuſtentare nunquam deſinat.

Aut is, aut ſi quis alius ex Sereniſſima Gente Noſtra Iablonouia, Lipſiae commorabitur, decernendis et diſtribuendi

endis praemiis, omnique Solemnitati, in memoriam Nominis Noſtri, praeerit.

Sin vero nemo ex Gente Iablonouia adfuerit, aut perpetuus Societatis Praeſes, ſumme venerandus Erneſti, aut ei ex Corpore Academico poſt innumeros annos, (ſi quid preces Noſtrae valent,) deſtinandus Succeſſor, munus abſentis impleat, et pleno eius iure vtatur.

Deinde vero cum quaeſtionum proponendarum, et *Diſſertationum ornandarum iudicium*, *viris doctis et literatis committendum ſit*, volumus et decernimus, vt olim Profeſſores Hiſtoriarum, Mathematum, Phyſices, et vnus ex iis qui literas humaniores publice docent, Poëſeos, Eloquentiae, aut Graecarum literarum Profeſſor, adiunctis, praeſciente Rectore, ex ſuffragiis Societatis, quinque aliis viris doctis, aut Profeſſoribus, hoc officium iudicandi ſuſcipiant, iisque ſemper, honoris cauſa, aliquis ex Natione Polonica interſit.

Pro praeſenti vero tempore, quoad viuent, eos perpetuos Iudices conſtituimus, qui huc vsque ſub Noſtris auſpiciis Brabeutae fuerunt, nempe Praeſidem Reuerendum Dominum Erneſtium, Doctorem Theologiae et Profeſſorem Publicum ordinarium. Iudices autem, Perilluſtrem Dominum Bornium, Cancellarium Wurzenſem, Perilluſtrem et ſumme reuerendum Hommelium, Facultatis Iuridicae Ordinarium, Perilluſtrem Dominum Segerum, Aſſeſſorem Curiae *Prouincialis*, Perilluſtrem Dominum Belium, Conſiliarium Aulae, Illuſtrem Dominum Frankium, Morum et Politices Profeſſorem, celeberrimum Bortzium, Matheſeos Profeſſorem publicum ordinarium, atque Illuſtrem Clodium, Profeſſorem Philoſophiae ordinarium, et

Digitized by Google

actualem Secretarium eiusdem Societatis. Poſt ſera autem horum fata nouos Iudices Noſtra Societas eliget.

Ceterum, Nos auctor huius Inſtituti et Fundator, pro ea quae Nobis competit eligendi voluntate et libertate, decernimus et ſtatuimus, Profeſſorem Clodium Secretarium ad dies vitae eius perpetuum eſſe debere, et demum poſt eius mortem nouum Secretarium, quolibet anno, ex membris Societatis Iablonouianae eſſe deligendum.

Munia Secretarii haec erunt. Ex conſilio Iudicum proponere quaeſtiones, Ephemeridibus eas publicis, Gallico, Germanico, et Latino ſermone conſcriptis, nota facere, virorum doctorum diſſertationes recipere, Collegis Iudicibus examinandas tradere, et prout inter eos conuenerit, de die Concilii ſeu Seſſionis miſſas ad ſingulos Schedas colligere, et in ipſa ſolemnitate Praeſidi ac Iudicibus tradere. Iudices vero, cum virorum doctorum lucubrationes priuatim perlegerint, easdem, ſi tempus permiſerit, etiam publice in conſeſſu legant, vel ſaltem argumenta fideliter referant, remotis arbitris, ſuffragiis ſecretis, ex eorumque maiore numero, cui praemium ſit tribuendum, decernant.

Ad eundem Societatis Noſtrae Iablonouianae Secretarium pertinebit, aſſeruare Societatis Sigillum, quod tale erit, qualis eſt Character formae numismatum.

Inſuper iubetur idem Secretarius Iudices praemonere, vt memoria Principis Fundatoris, ſcilicet Noſtra, publica oratione quotannis recolatur, id quod volumus exemplo ſummorum in Gallia virorum, Richelii et Colberti, qui beneficiorum ſuorum in literas memoriam, oratione publica quotannis renouari et celebrari inſtituerunt.

An-

Digitized by Google

Annuum conſeſſum in Oeco, ſeu Praetorio Domus Noſtrae Principalis Iablonouianae, *Lipſiae* hic exiſtentis, ſemper habendum, auſpicabitur Praeſes Oratione, quae ad propoſitas quaeſtiones referatur; finietur autem idem conſeſſus oratione, in qua mentionem Noſtri amoris erga literas optimasque diſciplinas omitti nolumus.

Seſſione iam finita, in iisdem aedibus Noſtris Iablonouianis, prandium in perpetuum tempus fundatum, ab Oeconomiae Adminiſtratore praeſtabitur, ad cuius ſumptus omnes, etiam in vinum impendendos, pro quouis conuiua nummus aureus, ideoque pro ſedecim conuiuis ſumma quadraginta quinque Imperialium et Groſſorum octo eſt conſtituta. Rationibus prandii iſtius ſumptuum ad Praeſidem relatis, ab eo de Summa iſta apocham accipiet Adminiſtrator; quam, ſi minus laute, lucri ſpe ductus, epulum parauerit et exhibuerit, a Praeſide non obtinebit. Iam vero, quibus praemia adiudicata erunt, eis illa ſine mora ſunt transmittenda, ſimulque eorum in Nouellis publicis mentio facienda. Themata ſemper die Martii decima nona, nec vnquam tardius, proponenda ſunt, vt dato fere octo menſium ſpatio, ante ſequentem menſem Nouembrem, diſſertationes a viris doctis confici, et ad Secretarium transmitti poſſint, cuius nomen, quo ſciri poſſit cui ſint transmittenda, Ephemeridibus quotannis declarandum eſt, eritque. Menſes Nouember, December, et Ianuarius, ad examinandas lucubrationes facile ſufficient, ita vt ſemper praedicta quarta Februarii die, Natalitio Noſtro, praemia diſtribui poſſint.

Quod tandem ad ipſas quaeſtiones attinet proponendas, triplicis erunt generis. Ea, cui primum praemium deſtinatum eſt, eligenda ex interiore hiſtoria Poloniae vi-

 de-

detur. Vt iam a Nobis, haec ſtudia dirigentibus, auſpicato feliciterque coeptum eſt, praeſertim vero ea ex parte hiſtoriae paternae, quae leges, libertates, et antiqua Reipublicae iura ſpectat, tum vero etiam alia obſcuriora et dubia monimenta, quae ſapientum hominum cognitione digna ſunt, ad illuſtrandum proponenda. Cum autem facile praeuideri poſſit, poſt aliquod temporis ſpatium exhauſtum fore id argumenti, licebit etiam ex vniuerſa hiſtoria populorum cis Danubium, verbo Septentrionalium, ſumere problemata, ita tamen, vt nihil contrarii ſcriptis per quinquennium a Nobis propoſitis et impreſſis in medium proferatur.

Pro altero praemio, ex Matheſi et Phyſica ſumendae ſunt quaeſtiones, ita vt primo anno problema detur ex ipſa Matheſi, altero ex Phyſica, tertio ex Mechanica, quarto tandem ex Hydraulica.

Pro tertio demum praemio, quod Oeconomiae in Saxonia dedicatum eſt, primo anno de Agricultura, altero de Commerciis, tertio anno de vulgo dictis Manufacturis Fabricisque, quarto de Plantatione, quaeſtio erit proponenda. Diſſertationes de primo ſecundoque praemio certaturae Latino ſolum; eae vero, quae ad Oeconomiam ſpectant, Latino vel Gallico ſermone ſcriptae eſſe debent.

Cum iuſtum volumen ex Diſſertationibus, quarum auctores praemia obtinuerunt, confici poterit, Secretarius operam dabit, vt in Typographia aliqua exſcribantur typis, et quinquaginta numero exemplaria in Poloniam, ad Cancellarios Regni, Magnique Ducatus Lithuaniae, mittantur. Volumus enim Patriae Nobis cariſſimae in perpetuum vtiles eſſe.

Opti-

Digitized by Google

Optimo huic Inſtituto adiungimus tandem donationem Effigiei noſtrae, in aere ad ſignandos nummos praemiorum expreſſae, triumque formarum ad alteram numismatum partem ornandam. Si ſigna harum formarum temporis iniuriam aliquam paſſa fuerint, conſtitutum eſto a Nobis, vt eo anno, ob ſumtus in reparationem formae corruptae aut perditae erogandos, vnum vel duo praemia retineantur, et parandis nouis formis impendantur, ne vnquam Imago Fundatoris, ſcilicet Noſtra, pereat.

Quodſi vero hiſce omnibus, a Nobis Fundatore tam vtilis, tamque ſalutaris ſcientiis et literis humanioribus Inſtituti, ipſique inclytae Academiae Lipſienſi perquam glorioſi et honorifici, propoſitis acceptisque conditionibus haud ſatisfactum, aliquidue neglectum fuerit, ius integrum Nobis retinemus et conſeruamus, fundationem ipſam, ex auctoritate SERENISSIMI ELECTORIS, *tanquam Summi huius literariae Societatis Iablonouianae Protectoris, abolendi, tollendi, aliisque membris electis ſuffectisque aliorſum transferendi, ita vt mens noſtra adimpleri poſſit. Quemadmodum Nobis et Succeſſoribus Noſtris maſculis, lineae directae, poſt eosque ex collateralibus e Gente Noſtra deſcendentibus, quorum defectu Foemellae maiori natu, regendi et curandi hancce Societatem, a Nobis Dei O. M. auxilio fundatam et erectam, iam ſupra ius reſeruauimus, et retinuimus, et hoc loco Nobis, Succeſſoribusque praedictis retinere et reſeruare Nos declaramus. Dabamus Lipſiae, d. IX. Nouembris MDCCLXXIV.*

(L. S.) I. A. DE PRVSSO VINDIS IABLONOVIVS.

De

Digitized by Google

De Actis Societatis, deque diſſertationibus praemio ornatis, quae ſunt aliquot Voluminibus quarta forma hic Lipſiae editae, dicemus in his noſtris Commentariis alio tempore.

Digitized by Google

Digitized by Google

pag. 97. ſq.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLXXVI.

THOMAE BVGGE, ASTRONOM. ET MATHES. Prof. Publ. Ord. rel. de Mappis curuas declinationum magneticarum exhibentibus, Diſſertatio.

Vetuſtioris aeui philoſophis; Sophocli, Platoni, Ariſtoteli, haud incognita fuit vis magnetis ferrum attrahendi. Thales Mileſius hunc effectum explicaturus, magneti animam tribuere non dubitauit. Haec magnetis vis in admirationem rapuit Plinium: *Quid*, inquit, *ferri duritie pugnacius? Sed cedit et patitur mores: trahitur namque a magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane neſcio quid excurrit; atque vt propius venit, aſſilit teneturque et complexu haeret.* Quis non videt, attractionem magneticam a Plinio explicari per horrorem vacui Ariſtotelicum? Longum interiacet temporis interuallum, donec detectum fuit, quod ferrnm tenue et oblongum, ac magnete affrictum,

petat plagam horizontis ſeptentrionalem vna, ac meridionalem altera extremitate. Exinde deriuatur inuentio pyxidis nauticae, vel Compaſſi maritimi: hic ante annum 1180 poſt Chriſtum natum iam innotuit; nam tunc temporis vixit ſcripſitque poeta Gallus, *Guyot*, (in vrbe Provins in Gallia natus,) qui Compaſſum haud obſcure ſub nomine *Marinettae* ita deſcripſit:

Icolle Eſtoille ne ſe muet
Un Art font, qui mentir ne peut;
Par vertu de la Marinette
Une pierre laide & noirette
Ou li fer volontiers ſe joint.

Alii inuentionis gloriam tribuunt *Paulo Veneto* circa annum 1260. Alii iterum eam conferunt *Iohanni Geyar*, ex vrbe Amalphi in regno Neapolitano, anno 1300, vnde tritus iſte verſiculus:

Prima dedit nautis vſum magnetis Amalphis.

De magneticae acus declinatione, vel variatione, vti loquuntur Angli, qua verſus boream non prorſus accurate dirigitur, ſed verſus plagam orientalem vel occidentalem flectitur, Theuenot in itinerario commemorat, ſeſe vidiſſe epiſtolam anno 1269. conſcriptam a *Petro Adſiger*, in qua refert, declinationem a vero ſeptentrione receſſiſſe quinque gradus, licet locum obſeruationis non nominet.

Vti refert Iohannes Baptiſta Ramuſius, in collectione itinerum Italicorum, videtur *Sebaſtianus Cabot*, Venetus, circa annum 1260. primus perſpexiſſe, declinationem eſſe proprietatem magnetis conſtantem. Inuenimus, procedente tempore, declinationem obſeruatam fuiſſe Pariſiis 8° verſus orientem anno 1550; 11° 30′ anno 1580; 8° 0′ anno 1610; 3° 0′ anno 1640; et anno 1666. prorſus nul-

nullam; a quo tempore, vsque ad hodiernum diem, continuo verſus occaſum increuit declinatio. Angli quoque his obſeruationibus laudabilem et proficuam dederunt operam. *Robertus Norman* anno 1580. prope Londinum inuenit declinationem orientalem 11° 50′. Celebris *Eduardus Wright*, quem primum hydrographiae accuratioris ſtatorem iure nominamus, circa annum 1589. dedit tabulam declinationum, quas ipſe in continenti et mari obſeruauerat; primusque pro certo demonſtrauit, variam eſſe declinationem in variis locis, eamque in dirigendo nauigiorum curſu non eſſe negligendam. Inclinationem acus magneticae, qua, licet ante affrictum acus aequilibrata fuerit, poſtea tamen extremitas vna deprimitur, alteraque eleuatur, quoque detexit; de hac autem proprietate *Henricus Gellibrand* anno 1625. enodatius eſt locutus. Circa haec tempora inuenimus iacta fuiſſe prima fundamenta hypotheſeos, qua globo terraqueo tribuuntur poli magnetici, meridiani magnetici, et axes magnetici, a Wilhelmo Nautonier, Gallo, et Antonio Linton, Anglo; licet in chartis maritimis hoc aeuo confectis non reperiantur Curuae declinationem determinantes, quam ſolum numeris adſcriptis indicauerunt.

Anno 1676. ſolertiſſimus Anglorum Aſtronomus, *Edmundus Halley*, (tunc ſolummodo viginti annos natus,) iter aſtronomicum et hydrographicum ſuſcepit ad inſulam Sanctae Helenae; vbi praeter alias obſeruationes aſtronomicas confecit celebratiſſimum ſuum ſtellarum auſtralium catalogum, quem poſtea anno 1679. publici iuris fecit. Ex compluriinis in hoc itinere factis obſeruationibus, ingenioſiſſimus Halley condidit theoriam declinationis acus magneticae. Determinauit in ſuperficie terrae tres lineas curuas, declinationis expertes, iisque tribuit motum periodicum circa polos terrae, quam theoriam communicauit cum eruditis in Transactionibus philoſophicis anni 1683. Regia et publica ſuffultus munificentia, anno 1698. nautis vtiliſſimum inuen-

uentum vlterius perfecit, dum pernauigauit Oceanum Atlanticum vsque ad latitudinem auſtralem 52 graduum. Tandem anno 1700. primus omnium delineauit mappam, monſtrantem Curuas declinationum magneticarum aequalium per Oceanum Atlanticum et Indicum, per mare Aethiopicum et Pacificum, quae mappa 13 annorum aſſiduo ſtudio, innumeriſque experientiis et obſeruationibus fuit ſuperſtructa. Eam deſcripſit in proiectione Wrightiana, ac in tali ſcala, vt decem gradus longitudinis paululum ſuperent pollicem Anglicum. Vidimus quoque mappam declinationum ad annum 1700. determinatam, Amſtelodami ſub Halleii nomine impreſſam, ac ita delineatam, vt decem gradus longitudinis exacte aequales ſint vni pollici cum quarta parte.

Ad annum 1744. *Mountain* et *Dodſon* duxerunt Curuas declinationum, iuxta methodum Wrightianam proiectas, ac quoad oras maritimas et ſcalam congruas mappae Halleianae. Aliam denique declinationum mappam, ad annum 1756. computatam, in caeteris vero priori ſimilem, aeri incidi curauerunt praedicti *Mountain et Dodſon.* Eorum exempla Pariſiis imitatus eſt Dom. *Bellin*, qui mappam declinatoriam ad annum 1765. traductam edidit, ſcala paululum minori adhibita. In actis Academiae ſcientiarum Berolinenſis ad annum 1757. celeberrimus *Eulerus* edidit mappam declinationum magneticarum, ſimulque explicauit hypotheſin haud incongruam, qua declinationes calculo definiri poſſunt. Interea temporis, per ſpatium viginti annorum, complurimae factae ſunt obſeruationes accuratiores. Inter has eminent quae ab Anglis, Byron, Carteret, Cook, tellurem circumnauigantibus, factae ſunt. Obſeruationes in Oceano factas reperies enumeratas in Transactionibus philoſophicis et Actis Stokholmienſibus, vbi mappam declinationum anno 1768. dedit Cl *Wilke.* Obſeruationes in continente inſtitutas inuenies in Ephemeridi-

ridibus Berolinenſibus anni 1779. breuiter commemoratas a Dom. *Lambert*, qui mappam ad annum 1770. inſtructam addidit. His addi poteſt Dom. *Monnier*, qui diſſertationem conſcripſit de declinatione magnetis ex nouiſſimis obſeruationibus anno 1776.

Celebris Anglus, *Samuel Dunn*, qui Londini priuatam ſcholam mathematicam erexit, anno 1776. cum publico communicauit *Atlantem magneticum*, cui titulus: *a New Atlas of Variations of the Magnetic Needle for the Atlantic, Ethiopic, and Indian Oceans; drawn from a Theory of the magnetic ſyſtem, diſcovred and applied to Navigation by the Author, agreeing with the moſt accurate aſtronomical and magnetical Obſervations of the Commanders and Officers of Ships in the Service of the Eaſt-India-Company, the whole deſigned for facilitating Navigation to and from the Eaſt-Indies and for determining the Longitude throughout the principal Parts of thoſe Oceans within a Degree or ſixty Miles; by Samuel Dunn. London* 1776. Propoſitum autoris ex verboſo titulo ſatis apparet. Mappas has, ad determinandam longitudinem intra vnum gradum, vix adhibebit cautus nauita. Eas ergo ſolummodo conſiderabimus, exhibentes Curuas declinationum. Continet hic liber primo duas mappas generales in proiectione Wrigthiana vel Mercatoris deſcriptas; prima exhibet declinationes anno 1770, altera anno 1880.

Sequuntur ſex ſpecialiores mappae, exhibentes Curuas declinationum ad annum 1776; prima pro Oceano Atlantico, altera pro Oceano Atlantico et Aethiopico et auſtrali, tertia eſt continuatio ſecundae, quarta et quinta pertinent ad mare Indicum, ſexta exhibet declinationes ad oras Perſicas, Malabaricas, et Siamicas.

Digitized by Google

Has mappas declinationum ſpeciales ſingulari methodo proiecit. Gradus latitudinis vbique ſunt aequales, et exhibentur lineis rectis parallelis; quilibet gradus eam habet magnitudinem, vt latitudo loci intra errorem ſextae partis vnius gradus poſſit commenſurari. Gradus longitudinum indicantur lineis rectis, quarum diſtantiae prope aequatorem aequantur gradibus latitudinum, ſed verſus polum vtrumque conuergunt, eadem fere lege, qua Meridiani in globo ad ſe inuicem accedunt. Hac conſtructione elegantiori et magis regulari, curuatura exhibet lineas aequalium declinationum.

Clariſſimus S. *Dunn* adſeuerat, ſeſe inueniſſe theoriam, cuius ope, ex datis tribus vel quatuor obſeruationibus prope oras maritimas, per totum Oceanum poteſt deſcribere Curuas, easdem acus magneticae declinationes monſtrantes. Refert porro, has Curuas confirmari obſeruationibus factis ab experientiſſimis nautis Societatis Anglicae in India orientali mercaturam exercentis, qui bonis inſtructi inſtrumentis, longitudines methodo lunari determinarunt; adeo vt videantur hae mappae haud tenui autoritate eſſe ſuffultae. Quo vero eas cum mappa *D. Halleii* et *Lamberti* exactius comparare poſſemus, vtramque in vnam contraximus, et lineas Dunnianas in mappa D. Lambert delineauimus. Quo facto apparuit:

1) Lineam declinationis expertem Domini Dunn, ab oris Americae ſeptentrionalis vsque ad 10° latitudinis auſtralis et $14\frac{1}{2}$ longitudinis occidentalis ab inſula Ferri eſſe orientaliorem linea Lambertina. Deinde flectitur paululum ad occidentem. Sub latitudine auſtrali fere 30° linea Dunniana iterum ſecat Lambertinam, et ad orientem vergit; adeo vt ſub latitudine 40° et longitudine orientali 4 fere graduum, declinatio nulla ſit iuxta Dominum Dunn; mappa

Digitized by Google

mappa vero Lambertina nullam monſtrat declinationem ſub eadem latitudine et longitudine occidentali $2\frac{1}{2}^{\circ}$.

2) Reliquae Curuae declinationum in Oceano Atlantico neceſſario differunt. Sic exempli gratia, in interſectione aequatoris et primi Meridiani per inſulam Ferri ducti, declinatio eſt iuxta Dunn = 9° 30′; et iuxta Lambert = 7° verſus occidentem. Circa Guineam, ſub Aequatore et longitudine orientali 26° declinatio iuxta Dunn eſt = 18°, et iuxta Lambert = 15°. Circa oras terrae Magellanicae et Paraguay declinatio Dunniana maior eſt Lambertina circiter 2°.

In confinio promontorii *Lizard* non modo declinatio Dunniana minor eſt circiter 3°, ſed ipſa linea declinationis multo minorem habet curuedinem, et longe diuerſam directionem.

3) Alteram lineam declinationis expertem Halley et Lambert ducunt ex parte orientali inſularum Borneo et Celebes; et anno 1770. Aequatorem ſecat in longitudine orientali 140°. Continentem attingit quam proxime ſub latitudine boreali 17°, et longitudine 127°, et vnicum habet ramum exigua curuedine ductum. S. Dunn lineam declinationis expertem ducit in Oceano Indico. Incipit circa confinia Calicuttae in latitudine boreali 10°, et longitudine 94°. In latitudine auſtrali 8° et longitudine 103° eſt vertex huius Curuae, quae deinde retrograditur, et in alium ramum flectitur, in longitudine 107°. Vbi Dunn ſtatuit, nullam eſſe declinationem ſub Aequatore et in longitudine occidentali 95°; eam 5° verſus occidentem habet mappa Dom. Lambert. Per totum Oceanum Indicum magnum adeſt diſcrimen. Videtur tamen mappa Anglica maximam promereri fidem, quum innixa ſit obſeruationibus accura-

tis

Digitized by Google

tis experientiſſimorum nautarum, qui haec maria ſaepiſſime frequentant, inſtructi eruditione omni hydrographica, imo et aſtronomica.

4) Declinationem 25° occidentalem D. Lambert habet inter promontorium bonae Spei et inſulam Madagaſcar, eamque determinat Curua regulari, in duos ramos protenſa. D. Dunn heic declinationem facit 28°, eamque definit duabus curuis lineis, in vnum apicem concurrentibus.

Vtraque mappa, et hae diſcrepantes declinationes acus magneticae, ad examen reuocari poſſunt, ſi conferantur cum exactis obſeruationibus, quas inſtituerunt Celeberrimi Aſtronomi Angli, *Wilhelmus Wales* et *Wilhelmus Bayly*, (*) dum globum terraqueum circumnauigarent. Conferamus ergo declinationes a D. Dunn determinatas cum his obſeruationibus. Neceſſe autem eſt, vt declinatio propter mutationem annuam circiter 9 vel 10 minutorum ad tempus obſeruationis reducatur. Longitudinem computant nominati Aſtronomi a Meridiano Grenouicenſi, dum S. Dunn eam numerat a meridiano Londinenſi, cuius differentia eſt 0° 5′ in arcu verſus orientem a Meridiano Grenouicenſi.

His

(*) The original Aſtronomical Obſervations, made in the Courſe of a Voyage towards the South Pole and round the World in the Years 1772, 1773, 1774, 1775. by William Wales F. R. S. and Mr. William Bayly, London 1777. in 4to.

Digitized by Google

His praefatis, comparationes inſtituimus ex obſeruationibus Celeberrimi Wales, easque ſequenti tabula complectimur.

Tempus obſeruationis.	Latitudo loci obſeruationis.		Longitudo a merid. Londin.		Declinatio occidentalis obſeruata.		Declin. ex mappis S. Dunn, reducta ad tempus obſeruationis.		Declinatio ex mappa D. Lambert reducta.	
	Borealis.		*Occidentalis.*							
1772. *Iul.* 21.	43°.	30′.	9°.	13′.	23°.	58′.	19°.	50′.	20°.	20′.
23.	41.	44.	10.	37.	22.	45.	19.	20.	19.	40.
27.	33.	27.	15.	32.	20.	23.	16.	50.	15.	50.
Auguſt. 3.	29.	25.	17.	35.	15.	50.	15.	40.	13.	30.
4.	28.	19.	18.	35.	15.	00.	15.	00.	12.	30.
6.	24.	41.	19.	15.	13.	11.	13.	50.	11.	30.
7.	23.	31.	19.	25.	14.	39.	13.	30.	11.	00.
5.	19.	33.	20.	40.	12.	2.	12.	20.	9.	00.
18.	11.	11.	21.	17.	9.	6.	10.	2.	8.	20.
27.	4.	2.	11.	31.	13.	28.	12.	51.	10.	00.
30.	2.	34.	6.	58.	14.	57.	14.	10.	10.	50.
Septemb. 7	0.	10.	8.	30.	14.	15.	13.	20.	10.	20.
	Auſtralis.									
10.	2.	53.	11.	50.	12.	32.	12.	00.	9.	00.
13.	5.	24.	14.	27.	9.	53.	10.	30.	7.	40.
16.	9.	50.	17.	55.	7.	53.	8.	50.	5.	50.
20.	16.	3.	20.	19.	4.	30.	6.	10.	4.	20.
21.	18.	26.	21	10.	3.	49.	5.	30.	3.	30.
23.	20.	28.	22.	2.	3.	16.	4.	20.	3.	00.
26.	24.	25.	23.	46.	2.	1.	1.	20.	1.	20.
28.	26.	46.	20.	31.	2.	36	2.	50.	2.	40.
Octob. 5.	28.	59.	11.	25.	6.	13.	7.	20.	7.	20.
10.	34.	30.	8.	3.	8.	30.	6.	50.	9.	00.
12.	34.	52.	6.	19.	8.	30.	7.	30.	10.	50.
			Orientalis.							
17.	35.	00.	4.	45.	14.	19.	13.	20.	16.	00.
20.	34.	57.	8.	00.	16.	56.	15.	00.	17.	40.
21.	35.	32.	7.	41.	15.	56.	14.	30.	17.	00.
28.	33.	41.	15.	43.	21.	34.	20.	00.	20.	20.
Decemb. 4.	40.	20.	16.	22.	19.	55.	17.	00.	21.	50.

O Suf-

Digitized by Google

Sufficiant hae comparationes ſpeciminis loco; reliquas Dom. *Wales*, et omnes Dom. *Bayly* obſeruationes, breuitati ſtudentes, ſilentio praeterimus. Ex allatis patet, vtramque mappam erroribus non carere, licet videatur mappa Dunniana ad obſeruationes propius accedere plerisque in locis. Reticendum tamen non eſt, declinationes a Dom. *Wales* in vno nauigio (*the Reſolution*) obſeruatas, ſaepius et ſenſibiliter differre ab obſeruationibus factis a Dom. *Bayly* in altero nauigio, (*the Adventure*) licet loca nauium in longitudine et latitudine ſenſibiliter non differant. En Exempla: 1772. d. 3. Aug. Declinatio ex obſeruatione D. *Wales* = 15°. 50′. D. *Bayly* 19°. 33′.

	d. 4. Sept.	-	14. 43′.	-	12. 10.
1773.	d. 24 Aug.	-	5. 54.	-	5. 0′.
	d. 5. Sept.	-	4. 51.	-	6. 43.

Aliam quoque rem in obſeruando Azimutho magnetico maximi momenti commemorat ingenioſiſſimus *Wales*, nempe, in eodem loco, in eodem nauigio, et eodem tempore, diuerſam reperiri declinationem, pro diuerſa nauigii directione, et diuerſo Compaſſi in ipſa naui ſitu. De qua re in introductione ad Obſeruationes Aſtronomicas pag. 50 ita loquitur Celeberrimus Autor: *In the Channel of England the extremes of the obſerved Variations were from* $19\frac{3}{4}$° *to 25, and all the way to the Cape of Good Hope, I frequently obſerved differences nearly as great, without being able any way to account for them; the difference in ſituation being by no means ſufficient. Theſe irregularities continued after leaving the Cape, which, at length, put me on examining into the circumſtances, under which they were made. In this examination it ſoon appeared, that, when moſt of theſe obſervations were made, wherein the greateſt weſt variations had happened, the Ship's Head was north and eaſterly; and that when thoſe, where it was leaſt, had been obſerved, it was ſouth and weſterly. I mention'd this to Captain Cook and ſome of the Officers, who did not at firſt ſeem to think much of it, but as oppor-*

portunities happened, ſome obſervations were made under thoſe circumſtances, and very much contributed to confirm my ſuſpicions; and throughout the whole voyage I had reaſon to believe, that variations obſerved with a ſhips head in different poſitions, and even in different parts of her, wil differ very materially from one another; and much more will variations, obſerved on board differend ſhips, wich I now find, fully verified on comparing thoſe, wich were made on board the Adventure, with my own made about the ſame time.

Eandem rem dudum obſeruauit experientiſſimus noſter, et de perfectione Compaſſi maritimi optime meritus *C. C. Lous*, (*) Mathematum Profeſſor et Hydrographiae director, cuius pyxides nauticae in claſſe regia, aliisque nauigiis Danicis, introductae debitam promerentur laudem, vt omnes reliquas, etiam optimas Anglicas antecellant. Cauſam diuerſarum declinationum in eodem nauigio, et eodem Compaſſo obſeruatarum, ingenioſiſſimus mihique amiciſſimus *D. Lous* "rectiſſime ponit in tormentis ferreis," multoque ferro, quo fundum nauigia onerant, alioque ferro quod in tota nauis compage reperitur."

Mirum proinde non eſt, mappas declinationum Clariſſimorum Virorum, *Halley*, *Lambert*, et *Dunn*, ab obſeruationibus differre; mirandum potius eſt, eas in re adeo incerta et difficili a veritate non magis aberrare, imprimis quum vetuſtiores obſeruationes magnam fidem non mereantur, propter inſtrumentorum prauitatem. Imo ex experientiis *D. Lous*, *Wales*, et *Bayly*, patet, declinationes inter 2 vel 3° inter ſe ſaepius differre in eodem nauigio, et hinc illis vix exactam, et intra 2 vel 3° certam theoriam ſuperſtrui poſſe. Confugiendum ergo potius eſſet ad declinationes in continenti terra factas, ſed hine non multum proficiemus, quum ſolummodo in Europa obſeruationes frequenter obſeruatas videamus; eas vero in Africa, Aſia, et

(*) Tentamina experimentorum ad Compaſſum perficiendum a Chriſtiano Carolo Lous, Hafniae 1773. in 4.

Digitized by Google

America, (ſi oras maritimas excipias) aut ignoremus, aut infrequentes habeamus; adeo vt Curuas declinationum magneticarum accurate determinandas, omnibusque numeris abſoluendas, poſteris potius relinquamus.

QVADRATVRA LVNVLAE, CIRCVLI et ſegmenti, nec non curatura Sphaerae, a vice-colonello EVGENIO CORSONICH, ope 4. propoſitionum fundamentalium inuicte demonſtrata, et iudicio Academiarum celeberrimarum ſubiecta. Varſauiae MDCCLXXIX.

Viris Magnificis, illuſtribus, et excellentiſſimis, Academiarum Rectoribus, Doctoribus ac Profeſſoribus,

S. P. D.

EVGENIVS INNOCENTIVS CORSONICH.

Ex decem demonſtrationibus Quadraturae Circuli, quibus condendis ſexennalem impendi operam, ſtruxi praeſentem, quae ex principiis tam inconcuſſis eſt deducta, vt certior factus ſim, eam nullis obiectionibus amplius eſſe obnoxiam: id quod mihi addit animum, eam VESTRO acutiſſimo iudicio, VIRI MAGNIFICI, ILLVSTRES, et EXCELLENTISSIMI, ſubiiciendi. Ad quem enim tutius confugerem, quam ad VOS, virtutum ingeniique dotibus ſupra communem mortalium ſortem euectos, quibus datum eſt mentis oculo reliquis videre

dere perſpicacius? Quo maiora igitur ſunt VESTRA in rem litterariam merita, eo vehementius mihi gratulabor, ſi ſententiam VESTRAM ſcripto aliquo publico Orbi erudito aperire haud grauabimini. Tam humanitas VESTRA ſingularis, VIRI MAGNIFICI, ILLVSTRES et EXCELLENTISSIMI, quam ſummum VESTRVM ſcientias promouendi, aliorumque inuenta in lucem veritatis proferendi ſtudium, ſpem mihi praebent haud dubiam, me voti mei factum iri compotem, meque nacturum occaſionem, meum gratum animum documento publico VOBIS teſtificandi. Valete VIRI CELEBERRIMI, et perſuaſi eſtote de obſeruantia, qua VOS proſequor ſumma.

§. 1. Propoſ. 1. *Differentia 2 quantitatum, quarum altera exceſſiua, h. e. maior vera, altera defectiua, h. e. minor vera, eſt ipſa ſumma exceſſus et defectus.*

Demonſtratio. Sit quantitas exceſſiua $= a$, exceſſus eius ſupra veram $= x$, et defectus à vera $= y$: erit quantitas vera $= a - x$, et defectiua $= a - x - y$, quae ablata ex exceſſiua a, relinquit differentiam $x + y$, h. e. ſummam exceſſus et defectus. Ergo differentia 2 quantitatum etc.

§. 2. Propoſ. 2. *Denominator ſummae eſt factum ex denominatoribus partium.*

Demonſtratio. Sint denominatores partium $= m$ et o: erit tam earum denominator communis, quam denominator ſummae $= mo$. Cum itaque denominator ſummae ſit idem ac denominator communis, qui eſt factum ex denominatoribus partium; palam eſt, denominatorem ſummae eſſe quoque factum ex denominatoribus partium. Si igitur denominator ſummae fuerit ad; neceſſe eſt, vt eius factores, h. e. denominatores partium, ſint a et d.

§. 3. Propoſ. 3. *Si numerator ſummae exceſſus et defectus eſt aggregatum ex denominatoribus quantitatum exceſ-*

ſiuae et defectiuae; debet numerator exceſſus et defectus eſſe = 1. denominator autem exceſſus idem, ac quantitatis exceſſiuae, et denominator defectus idem, ac quantitatis defectiuae.

Demonſtratio. Sit antecedens rationis exceſſiuae = a et defectiuae = d; quoniam per Regulam Auream Antecedens a euadit denominator quantitatis exceſſiuae, et Antecedens d denominator quantitatis defectiuae: erit tam denominator communis, quam denominator differentiae quantitatis vtriusque = $a\,d$. Iam cum differentia ſit ipſa ſumma exceſſus et defectus (§. 1.); neceſſe eſt, vt huius denominator ſit quoque $a\,d$. Quare per propoſ. 2. eius factores, h. e. denominatores partium, nempe exceſſus et defectus, debent eſſe a et d, h. e. iidem ac denominatores quantitatum falſarum. Quoniam porro numerator ſummae exceſſus et defectus per hypotheſin eſt aggregatum ex iisdem denominatoribus a et d; erit ſumma integra analytice expreſſa $= \frac{d+a}{a\,d}$, cuius partes ſunt itaque $\frac{d}{a\,d} = \frac{1}{a}$ et $\frac{a}{a\,d} = \frac{1}{d}$, quarum altera neceſſario debet eſſe exceſſus, altera defectus, ſiquidem nullae aliae partes poſſunt efficere ſummam $\frac{d+a}{a\,d}$ niſi $\frac{1}{a}$ et $\frac{1}{d}$. Et quoniam exceſſus eſt pars quantitatis exceſſiuae; neceſſe eſt, vt ſit eiusdem cum hac denominationis; ſed $\frac{1}{a}$ habet eundem denominatorem, ac quantitas exceſſiua: ergo $\frac{1}{a}$ eſt exceſſus: conſequenter $\frac{1}{d}$ defectus. Ergo, ſi numerator ſummae exceſſus et defectus eſt aggregatum etc.

§. 4. *Corollarium.* Si itaque numerator ſummae exceſſus et defectus 2 quantitatum quarumcunque, per rationes falſas inuentarum, eſt aggregatum ex denominatoribus quan-

quantitatum ipſarum, $\frac{1}{a}$ ſeu exceſſus illico determinatur, ſubſcribendo vnitati denominatorem quantitatis exceſſiuae $\frac{1}{d}$ defectus autem determinatur ſubſcribendo vnitati denominatorem quantitatis defectiuae.

§. 5. Propoſ. 4. *Ablato exceſſu ex quantitate exceſſiua, vel addito defectu ad defectiuam, prodit quantitas vera.*

Demonſtratio. Sit quantitas vera $= b$, exceſſus ſupra veram $= c$, et defectus a vera $= d$: erit quantitas exceſſiua $= b + c$, et defectiua $= b - d$. Auferendo nunc exceſſum c ex quantitate exceſſiua, relinquitur quantitas vera b; addendo autem defectum d ad defectiuam, prodit quantitas $b - d + d$, h. e. quantitas vera b, quia quantitas poſitiua cum negatiua aequali ſe mutuo totaliter deſtruunt. Ergo ablato exceſſu ex quantitate etc.

THEOREMA I.

§. 6. *Lunula eſt ad quadratum diametri vt* 1 : 4.

Demonſtratio. Poſitis diam. quadrato $= 4$, et rationibus eius ad lunulam exceſſiua 35 : 9 et defectiua 45 : 11, oriuntur lunulae $\frac{36}{35}$ et $\frac{44}{45} = \frac{1620}{1575}$ et $\frac{1540}{1575}$, quae, ex ſe inuicem ablatae, relinquunt per propoſ. 1. ſummam exceſſus et defectus $\frac{80}{1575}$, cuius numerator eſt aggregatum ex denominatore $a = 35$ lunulae exceſſiuae, et ex denominatore $d = 45$ lunulae defectiuae. Quare $\frac{1}{a}$ h. e. vi propoſ. 3. exceſſus, debet eſſe $\frac{1}{35}$, et $\frac{1}{d}$ h. e. defectus, $\frac{1}{45}$ (§. 4.). Iam cum per propoſ. 4. ablato exceſſu ex $\frac{36}{35}$, relin-

linquatur lunula vera $\frac{35}{35} = 1$; vel addito defectu ad $\frac{44}{45}$ prodeat pariter lunula vera $\frac{45}{45} = 1$; palam eſt lunulam eſſe ad quadratum diametri vt $1 : 4$.

§. 7. *Corollarium* 1. Sint 5 paria lunularum falſarum reſpondentium diam, quadrato $= 1$ ſequentia: $\frac{5}{16}$ et $\frac{4}{20}$; $\frac{7}{24}$ et $\frac{7}{32}$; $\frac{11}{40}$ et $\frac{10}{44}$; $\frac{13}{48}$ et $\frac{8}{36}$; $\frac{8}{28}$ et $\frac{13}{56}$. Quoniam numerator differentiae cuiuslibet paris eſt aggregatum ex denominatoribus lunularum falſarum; neceſſe eſt, vt $\frac{1}{a}$ et $\frac{1}{d}$ h. e. exceſſus et defectus 1mi paris ſit $\frac{1}{16}$ et $\frac{1}{20}$; 2di $\frac{1}{24}$ et $\frac{1}{32}$; 3tii $\frac{1}{40}$ et $\frac{1}{44}$; 4ti $\frac{1}{48}$ et $\frac{1}{36}$; 5ti $\frac{1}{28}$ et $\frac{1}{56}$ (§. 4.). Auferendo igitur ex qualibet lunula exceſſiua exceſſum, et addendo ad quamlibet defectiuam defectum, prodit decies lunula vera $= \frac{1}{4}$, quae eſt itaque ad quadratum diametri, vt $\frac{1}{4} : 1$, h. e. multiplicando vtrinque per 4, vt $1 : 4$. Si autem $\frac{1}{d}$ ſumeretur pro exceſſu, et $\frac{1}{a}$ pro defectu; orirentur 10 lunulae falſae; conſequenter ratio earum ad quadratum diametri ſemper mutaretur.

§. 8. *Corollarium* 2. Lunulae $\frac{12}{7}$ et $\frac{8}{10} = \frac{120}{70}$ et $\frac{56}{70}$ diametri quadrati $= 4$, ablatae ex ſe inuicem, relinquunt ſummam exceſſus et defectus $\frac{64}{70}$ (§. 1.), cuius numerator eſt aggregatum ex $5\,d = 50$ et $2\,a = 14$, h. e. ex 5plo denominatore 10 lunulae defectiuae et ex 5plo denominatore 10. lunulae defectiuae, et 2plo denominatore 7 lunulae exceſſiuae. Quamobrem ſumma integra analytice

ce

œ expreſſa, eſt $\frac{5d+2a}{ad}$, cuius partes ſunt $\frac{5d}{ad}=\frac{5}{a}$ $\frac{2a}{ad}=\frac{2}{d}$. Ergo exceſſus eſt $\frac{5}{7}$ et defectus $\frac{2}{10}$: conſequenter lunula vera $\frac{12}{7}-\frac{5}{7}=\frac{7}{7}=1$; vel $\frac{8}{10}+\frac{2}{10}=\frac{10}{10}=1$.

§. 9. Scholion. *Quoniam ratio lunulae ad quadratum diametri* $= 1:4$, *per hocce Theorema ope plurium rationum falſarum inuenta, eſt eadem, quae iam olim ex Theoremate Hippocratis innotuit; dubitare non licet de veritate et uniuerſalitate propoſitionis 3. fundamentalis, cui Theorema ipſum innititur. Habita autem ratione* $1:4$, *quadratura lunulae illico perficitur, diuidendo quadratum diam per 4. Si itaque hoc quadratum fuerit* 9, 16, 25, 36 etc. *erit lunula* $\frac{9}{4}$, $\frac{16}{4}=4$, $\frac{25}{4}$, $\frac{36}{4}=9$ etc. *Me vel tacente autem intelligitur, admiſſo Theoremate praecedenti, cum ſuis Corollariis, etiam ſubſequentia eſſe admittenda.*

THEOREMA. II.

§ 10. *Diameter eſt ad peripheriam,* vt 8 : 25.

Demonſtratio. Aſſumtis diametro = 8, et rationibus eius ad peripheriam exceſſiua 7 : 22, et defectiua 9 : 28, prodeunt peripheriae $\frac{176}{7}$ et $\frac{224}{9}=\frac{1584}{63}$ et $\frac{1568}{63}$, quae ex ſe inuicem ablatae, relinquunt ſummam exceſſus et defectus $\frac{16}{63}$ (§. 1.), cuius numerator eſt aggregatum ex denominatore $a = 7$ peripheriae exceſſiuae, et ex denominatore $d = 9$ peripheriae defectiuae. Quare $\frac{1}{a}$ ſeu exceſſus, de-

 bet

bet eſſe $\frac{1}{7}$ et $\frac{1}{d}$, ſeu defectus $\frac{1}{9}$ (§. 4.). Iam cum ablato exceſſu ex $\frac{176}{7}$, relinquatur peripheria vera $\frac{175}{7}$ (§. 5.); vel addito defectu ad $\frac{224}{9}$, prodeat pariter vera $\frac{225}{9}$; euidens eſt, diametrum eſſe ad peripheriam 1mo: vt 8 : $\frac{175}{7}$, h. e. multiplicando vtrinque per 7, vt 56 : 175, et diuidendo porro per 7, vt 8 : 25; 2do: vt 8 : $\frac{225}{9}$ h. e. multiplicando prius per 9, et diuidendo deinde per 9, pariter, vt 8 : 25.

§. 11. *Corollarium* 1. Sint 7 paria peripheriarum falſarum diametri 1 ſequentia: $\frac{176}{56}$ et $\frac{224}{72}$; $\frac{151}{48}$ et $\frac{124}{40}$; $\frac{126}{40}$ et $\frac{99}{32}$; $\frac{75}{24}$ et $\frac{49}{16}$; $\frac{51}{16}$ et $\frac{24}{8}$; $\frac{101}{32}$ et $\frac{74}{24}$; $\frac{26}{8}$ et $\frac{49}{16}$. Quoniam numerator differentiae, h. e. ſummae exceſſus et defectus (§. 1.) cuiuslibet paris eſt aggregatum ex denominatoribus peripheriarum falſarum; erit exceſſus et defectus 1mi paris $\frac{1}{56}$ et $\frac{1}{72}$; 2di $\frac{1}{48}$ et $\frac{1}{40}$; 3tii $\frac{1}{40}$ et $\frac{1}{32}$; 4ti $\frac{1}{24}$ et $\frac{1}{16}$; 5ti $\frac{1}{16}$ et $\frac{1}{8}$; 6ti $\frac{1}{32}$ et $\frac{1}{24}$; 7mi $\frac{1}{8}$ et $\frac{1}{16}$ (§. 4.). Auferendo itaque ex qualibet periph. exceſſiua exceſſum, et addendo ad quamlibet defectiuam defectum, prodit quaterdecies periph. vera = $\frac{25}{8}$. Si autem $\frac{1}{d}$ ſumeretur pro exceſſu et $\frac{1}{u}$ pro defectu; prodirent tam peripheriae, quam

r-

Digitized by Google

rationes earum ad diametrum diuerſae, conſequenter omnes falſae.

§. 12. *Corollarium* 2. Peripheriae $\frac{78}{24}$ et $\frac{48}{16} = \frac{1248}{384}$ et $\frac{1152}{384}$ diametri 1, ablatae ex ſe inuicem, relinquunt ſummam exceſſus et defectus $\frac{96}{384}$ (§. 1.), cuius numerator eſt aggregatum ex $3\,d = 48$ et ex $2\,a = 48$, h. e. ex 3plo denominatore 16 peripheriae defectiuae, et ex 2plo denominatore 24 peripheriae exceſſiuae. Hinc ſumma integra, analytice expreſſa, eſt $\frac{3\,d + 2\,a}{a\,d}$, cuius partes ſunt $\frac{3\,d}{a\,d} = \frac{3}{a}$ et $\frac{2\,a}{a\,d} = \frac{2}{d}$. Ergo exceſſus eſt $\frac{3}{24}$ et defectus $\frac{2}{16}$: conſequenter peripheria vera $\frac{78}{24} - \frac{3}{24} = \frac{75}{24} = \frac{25}{8}$; vel $\frac{48}{16} + \frac{2}{16} = \frac{50}{16} = \frac{25}{8}$.

§. 13. *Corollarium* 3. Multiplicando peripheriam 25 per 2, h. e. per 4tam partem diametri 8, oritur circulus 50, ex cuius dimidio 25 lunula 16 ablata, relinquit ſegmentum 9. Multiplicando autem peripheriam 25 per diametrum 8, naſcitur ſuperficies ſphaerae 200, quae deinde ducta in $\frac{8}{6}$, h. e. in 6tam partem diam., manifeſtat ſphaeram integram $\frac{1600}{6}$. Eſt igitur quadratum diam. ad aream Circuli, vt 64: 50 = 32: 25; et ad ſegmentum vt 64: 9. Iam vero cubus diam. eſt ad ſphaeram vt 512:

$\frac{1600}{6}$, h. e. multiplicando vtrinque per 6, et diuidendo deinde per 64, vt 48 : 25.

PROBLEMA I.

§. 14. *Rationem diametri ad peripheriam = 8 : 25, experimento comprobare.*

Reſolutio. 1) Medietati aſſeris 8 digitorum lati, et 50 longi, infigatur ad angulos rectos alius eiusdem craſſiti ei 44 digitorum longus, et 2 latus.

2) Funiculo 48 digitorum ſeu 2 vlnarum longo, fungenti vice radii, alligetur plumbago, et deſcribatur arcus.

3) Arcui deſcripto applicetur chorda ſeu ſubtenſa aequalis radio 2 vlnarum quae reſecabit arcum aequalem ſextanti peripheriae (§. 356. 357. Geom. Wolfii.)

4) Ex centro ad chordám ducatur perpendicularis, quae producta diuidet ſextantem in 2 arcus aequales (§. 291. Geom. Wolfii), quorum quilibet erit 12ma pars peripheriae.

5) Circino capiatur interuallum vnius digiti, et in altero horum arcuum circumferatur; quo facto patebit, eum conſtare praeciſe ex 25 lineis rectis, quae ſunt digiti: conſequenter peripheriam integram Circuli diametri 96″ continere duodecies 25, h. e. 300. digitos. Eſt itaque diameter ad peripheriam vt 96 : 300, h. e. diuidendo vtrinque per 12, vt 8 : 25.

§. 15. Scholion. *Huiusmodi ſextantem radio 2 vlnarum deſcriptum, confecit mihi Scriniarius hic Varſauiae, in Cellario Gedanenſi habitans; loco plumbaginis vſus eſt cuſpide ferrea, et dimidium ſextantem tam accurate in 25 digitos diuidere ei contigit, vt hoc experimento Theorema praecedens mirifice confirmetur. Fruſtra ei opponeretur ratio Archimedis, quam Mathematici magni nominis dudum congnouerunt iuſtam magnitudinem excedere. Vid.* Wedleri Inſtitutiones §. 131. *Geom.*

Geom. et Wolfii Elementa §. 426. *Geom. item* Eiusdem compendium §. 129. *Sinus quidem in Matheſi ſunt maximi uſus: attamen quoniam tantum 2 iuſtae magnitudinis dantur, nempe: Sinus Anguli 30° et 90°; reliqui autem eam paulo plus aut paulo minus excedunt, prout inventi fuere per plures vel pauciores radicum extractiones, neceſſe eſt, ut latus Polygoni Circulo inſcripti, eorum ope inveſtigatum, pauliſper peccet in exceſſu, qui eo magis in perimetro augetur, quo plura Polygonum continet latera. Sinus* 70710. 68. *Anguli* 45°, *etſi per unicam tantum radicis extractionem repertus, iam eſt iuſto maior: nam duplicatus dat chordam* 14142136 *ſubtendentem arcum* 90°, *quae, ducta in ſe ipſam, manifeſtat quadratum inſcriptum Euclidis* 200000010642496, *quod peccat in exceſſu* 10642496 *particulis: nam quoniam diameter eſt* 20000000; *erit eius quadratum* 400000000000000: *conſequenter quadratum inſcriptum, utpote eius dimidium, tantum* 200000000000000 *Ergo etc. Denique latus Polygoni* 192 *laterum Circulo inſcripti, cuius radius eſt* 10000000, *per* 5 *biſectiones et* 10 *extractiones radicum inventum, eſt* 327234: *conſequenter perimeter* 62828928, *ad quam diameter* 20000000 *eſt itaque ut* 1 : 3, 1414464; *ſed quoniam ob irrationalitatem quadratorum in qualibet extractione multae particulae remanſerunt, nempe in* 1*ma* 655484, *in* 2*da* 9440116, *in* 3*tia* 7413336, *in* 4*ta* 2253135, *in* 5*ta* 13429862, *in* 6*ta* 1786762, *in* 7*ma* 5020118, *in* 8*va* 486721, *in* 9*na* 30824158, et in 10*ma* 812818: *nequit ratio diametri ad peripheriam per huiusmodi biſectionem laterum Polygonorum ex arte determinari. Cum itaque ratio* 8 : 25 *per demonſtrata ſit unica vera, abunde ſufficeret ea tam ad quadrandum Circulum, quam ad cubandam ſphaeram: attamen, ut Univerſalitas, vis ineffabilis, et uſus ampliſſimus* 4 *propoſitionum fundamentalium luculentius appareat, lubet adhuc aliqua adiicere.*

THEOREMA III.

§. 16. *Quadratum diametri eſt ad aream Circuli vt* 32 : 25.

Demonſtratio. Aſſumtis diam. quadrato = 16 atque rationibus eius ad Circulum exceſſiua 14 : 11, et defectiua 18 : 14, emergunt Circuli $\frac{176}{14}$ et $\frac{224}{18} = \frac{3168}{252}$ et $\frac{3136}{252}$, qui, ex ſe inuicem ablati, relinquunt ſummam exceſſus et defectus $\frac{32}{252}$ (§. 1.), cuius numerator eſt aggregatum ex denominatore $a = 14$ Circuli exceſſiui, et ex denominatore $d = 18$ Circuli defectiu. Quare exceſſus debet eſſe $\frac{1}{14}$ et defectus $\frac{1}{18}$ (§. 4.). Iam cum ablato exceſſu ex $\frac{176}{14}$ relinquatur Circulus verus $\frac{175}{14}$; vel addito defectu ad $\frac{224}{18}$ prodeat pariter Circulus verus $\frac{225}{18}$ (§. 5.): manifeſtum eſt, quadratum diam. ad Circulum eſſe 1mo: vt 16 : $\frac{175}{14}$, h. e. multiplicando vtrinque per 14, vt 224 : 175, et diuidendo deinde per 7, vt 32 : 25; 2do: vt 16 : $\frac{225}{18}$, h. e. multiplicando vtrinque per 18, vt 288 : 225, et diuidendo deinde per 9, vt 32 : 25.

§. 17. *Corollarium.* Aſſumtis 6 paribus Circulorum falſorum reſpondentium diam. quadrato = 1, nempe $\frac{176}{224}$ et $\frac{224}{288}$; $\frac{151}{192}$ et $\frac{124}{160}$; $\frac{126}{160}$ et $\frac{99}{128}$; $\frac{76}{96}$ et $\frac{49}{64}$; $\frac{51}{64}$ et $\frac{24}{32}$; $\frac{26}{32}$ et $\frac{49}{64}$, patebit, numeratorem differentiae, h. e. ſummae ex-

exceſſus et defectus (§. 1.) cuiuslibet paris eſſe aggregatum ex denominatoribus Circulorum falſorum. Quare exceſſus et defectus 1mi paris debet eſſe $\frac{1}{224}$ et $\frac{1}{288}$: 2di $\frac{1}{192}$ et $\frac{1}{160}$; 3tii $\frac{1}{160}$ et $\frac{1}{128}$; 4ti $\frac{1}{96}$ et $\frac{1}{64}$; 5ti $\frac{1}{64}$ et $\frac{1}{32}$; 6ti $\frac{1}{32}$ et $\frac{1}{64}$. (§. 4.). Auferendo itaque ex quouis Circulo exceſſiuo exceſſum, et addendo ad quemlibet defectiuum defectum, prodit duodecies Circulus verus $= \frac{25}{32}$ (§. 5.).

PROBLEMA II.

§. 18. *Quadratum Circulo factum aequale experimento comprobare.*

Reſolutio. 1. Ex laminis ferreis ſtanno obductis curetur confici vas cylindricum, cuius diameter ſit 8, et altitudo 17 digitorum: erit peripheria 25″ (§. 10.): conſequenter area baſis 50 digitorum, quae multiplicata per altitudinem prodit capacitatem huius vaſis = 850″.

2. Curetur etiam conſtrui vas quadrangulare eiusdem cum priore altitudinis, et cuius baſis ſit quadratum = baſi vaſis cylindrici; quod reperitur hoc modo: Ex dimidia baſi 25″ vaſis cylindrici extrahatur radix 5, et repraeſentetur linea recta 5″; tum huic radici iungatur linea eiusdem longitudinis ad angulum rectum, et ducatur hypothenuſa, quae erit latus quadrati quaeſiti: nam hoc quadratum = quadratis Cathetorum 25 + 25 eſt = 50; ſed baſis vaſis cylindrici eſt quoque = 50: ergo etc. Quoniam itaque ambo vaſa habent eandem altitudinem et baſes aequales; neceſſe eſt, vt capacitas vtriusque ſit eadem, nempe 850 digitorum.

3. Vas quadrangulare impleatur aqua: ita conſtabit in eo contineri 850 digitos cubicos: quae, qui deinde in vas cy-

Digitized by Google

cylindricum infuſi illud quoque exacte implebunt; ex quo manifeſtum eſt, ambo vaſa eſſe reuera eiusdem capacitatis. Quare, cum altitudo vtriusque ſit eadem; palam eſt, eorum baſes eſſe quoque aequales, h. e. quadratum = 50 eſſe = Circulo itidem = 50: nam ſi aequalia per eandem quantitatem diuidantur, quoti ſunt aequales. Iam vero peripheria vaſis cylindrici, inuenta per rationem 100: 314, eſt $25 + \frac{3}{25}$; et multiplicata per 2, h. e. 4tam partem diametri, producit baſin $50 + \frac{6}{25}$, quae deinde ducta in altitudinem 17, prodit vaſis cylindrici capacitatem $850 + \frac{102}{25} = 854 + \frac{2}{25}$: Sed vas ipſum, vt experientia docet, poteſt capere ſolum 850 digitos cubicos aquae, ergo capacitas, per rationem diam. ad periph. = 100: 314 reperta, peccat 4 digitis cubicis $+ \frac{2}{25}$ in exceſſu: conſequenter ratio ipſa, etſi minor Archimedea 71 : 223, excedit rationem veram 8 : 25 tribus 25tis digiti.

THEOREMA IV.

§. 19. *Segmentum eſt ad quadratum diam. vt* 9 : 64.

Demonſtratio. Aſſumtis diam. quadrato = 16, et rationibus eius ad ſegmentum exceſſiua, vt 28 : 4, et defectiua, vt 36 : 5, prodeunt ſegmenta $\frac{64}{28}$ et $\frac{80}{36} = \frac{2304}{1008}$ et $\frac{2240}{1008}$, quae, ex ſe inuicem ablata, relinquunt ſummam exceſſus et defectus $\frac{64}{1008}$ (§. 1.), cuius numerator eſt aggrega-

tum

Digitized by Google

tum ex denominatore $a = 28$ ſegmenti exceſſiui, et ex denominatore $d = 36$ ſegmenti defectiui. Quare exceſſus debet eſſe $\frac{1}{28}$ et defectus $\frac{1}{36}$ (§. 4.): conſequenter ſegmentum verum $\frac{64}{28} - \frac{1}{28} = \frac{63}{28}$; vel $\frac{80}{36} + \frac{1}{36} = \frac{81}{36}$ (§. 5.), et ad quadratum diametri 1mo: vt $\frac{63}{28} : 16$, h. e. multiplicando vtrinque per 28, vt $63 : 448$, et diuidendo deinde per 7, vt $9 : 64$; 2do: vt $\frac{81}{36} : 16$, h. e. *multiplicando* vtrinque per 36, vt $81 : 576$, et diuidendo deinde per 9, vt $9 : 64$.

THEOREMA V.

§. 10. *Sphaera eſt ad cubum diametri vt* 25 : 48.

Demonſtratio. Aſſumtis cubo diametri $= 8$, et rationibus eius ad ſphaeram exceſſiua $42 : 22$, et defectiua $54 : 28$, oriuntur ſphaerae $\frac{176}{42}$ et $\frac{224}{54} = \frac{9504}{2268}$ et $\frac{9408}{2268}$, quae, ex ſe inuicem ablatae, relinquunt ſummam exceſſus et defectus $\frac{96}{2268}$ (§. 1.), cuius numerator eſt aggregatum ex denominatore $a = 42$ ſphaerae exceſſiuae, et ex denominatore $d = 54$ ſphaerae defectiuae. Quare exceſſus debet eſſe $\frac{1}{42}$, et defectus $\frac{1}{54}$ (§. 4.): conſequenter ſphaera vera $\frac{176}{42} - \frac{1}{42} = \frac{175}{42}$; vel $\frac{224}{54} + \frac{1}{54} = \frac{225}{54}$ (§. 5.), et ad cubum diametri 1mo: vt $\frac{175}{42} : 8$, h. e. multiplicando vtrinque per 42,

Digitized by Google

et diuidendo deinde per 7, vt 25 : 48; 2do: vt $\frac{225}{54}$: 8, h. e. multiplicando vtrinque per 54, et diuidendo porro per 9, vt 25 : 48.

PROBLEMA III.

§. 21. *Rationem ſphaerae ad cubum diam.* = 25 : 48. *experimento comprobare.*

Reſolutio. 1 Ex plumbo curetur elaborari parallelepipedum, cuius altitudo ſit 5 digitorum, et baſis 6 $\frac{2}{3}$, nempe longitudo 3 $\frac{1}{3}$ et latitudo 2: erit ſoliditas eius 33 $\frac{1}{3}$ digitorum cubicorum.

2. Curetur etiam confici globus plumbeus, cuius diameter ſit 4 digitorum: erit ſoliditas, per rationem eius ad cubum diam. = 25 : 48 inuenta, pariter 33 $\frac{1}{3}$ digitorum cubicorum.

3. Vtrumque corpus imponatur bilanci, et patebit, illa manere in aequilibrio, quod illico tolleretur, ſi ſoliditas vtriusque non eſſet eadem. Iam cum ſoliditas parallelepipedi ſit 33 $\frac{1}{3}$ digitorum cubicorum; dubitari nequit, quin ſoliditas globi ſit quoque reuera 33 $\frac{1}{3}$ digit. cubicorum. Ergo ratio ſphaerae ad cubum diam. = 25 : 48 hoc experimento mire comprobatur.

Hactenus Korſonichius. Nobis licitum eſto, iudicium ſuper hac commentatione noſtrum iam ſubiungere.

Calculus algebraicus quidem hactenus impoſſibilem circuli quadraturam nondum euicit, conſtituit vero concluſio-

Digitized by Google

ſiones, quae mathematicis ſpem omnem adimunt, fore, vt aliquando inueniatur. Prodiere noſtro Saeculo complures Circulum quadrandi methodi, et praeter Dominum de *Leiſtner*, Centurionem Caeſareum, etiam Paſtor Rakeburgenſis, *Merkelius*, Ao. 1751. tandemque Profeſſor Stetinenſis *Biſchoffius* Ao. 1765. arripuere numeros 1225 et 3844 vel 1225 et 961. aperte falſos, moxque vnanimi totius Germaniae conſenſu reiectos. Hos omnes ſupereſſe videtur Korſonichius profunditate acuminis, ingenioque vſu rerum mathematicarum egregie exercitato; ita vt in eum dicere non liceat, quod nuper defunctus Lambertus, Seculi noſtri Archimedes, de quadraturam circuli quaerentibus ſtatuit. Videantur eius Beyträge zum Gebrauch der Mathematik und deren Anwendung. Zweyter Theil, p. 145. Dolemus tamen, ill. auctorem tanto apparatu, atque molimine ſexennali, nihil profeciſſe, maximeque miramur, amore putatii inuenti ſui ita fuiſſe praepeditum, vt vitium adhibitae demonſtrandi rationis tanto eius acumini ſe ſubtraxerit. Methodus profecto talis eſt, quam ſi quis adhibeat, facile quiduis ex quouis inuicte demonſtrauerit. Dabimus eius rei teſtimonium ex infinitis vnicum, admodum illuſtre.

Lex methodi, quam ſequutus eſt auctor, haec eſt, vt poſitis tribus quantitatibus Q, V, q, eius conditionis, vt ſit Q > V atque V > q, ex defectu atque exceſſu inueniatur intermedia quantitas V; eſtque forma demonſtrationis generalis haec:

$$\begin{aligned} Q - q &= E + D \\ \hline Q - E &= V \\ q + D &= V \end{aligned}$$

Haec eſt forma demonſtrationum omnium, iudicio Academiarum, etiam noſtrae, ſubiectarum, quamque ſtrictim ſequitur Perilluſtris auctor, in euincendis quantitatum rationibus. Iam vt appareat veritas iudicii noſtri de hac methodo, condemus demonſtrationem, quae perfecte refe-

Digitized by Google

erat imaginem expreſſam demonſtrationum Korſonichianarum. Pono autem theorema confiſto falſum ſequens:

$$L : D^2 = 1 : 9.$$

In qua analogia primus terminus, vt per ſe patet, lunulam deſignat, D^2 autem quadratum diametri. Eſt autem aſſumtae falſae rationis ad legem formata demonſtratio talis:

Demonſtratio. Eſto ratio exceſſiua $26 : 3$. defectiua vero $\frac{4}{37}$ erit ordo rationum, $\frac{3}{26}$ $\frac{1}{9}$ $\frac{4}{37}$ conſequenter ex $\frac{3}{26}$ et $\frac{1}{9}$ eſt $26 : 3 = 9 : \frac{27}{26} =$ exceſſiuae Lunulae ex $\frac{4}{37}$ et $\frac{1}{9}$ eſt $37 : 4 = 9 : \frac{36}{37} =$ defectiuae lunulae.

Ergo $\frac{27}{26} - \frac{36}{37} = \frac{63}{26.37} = \frac{26 + 37}{26.\ 37}$ et $\frac{1}{26} = E$ $\frac{1}{37} = D$ hinc $\frac{27 - 1}{26} = 1$, et etiam $\frac{36 + 1}{37} = 1$. Eſt adeo $L : D^2 = 1 : 9$, quod tamen abſonum.

Tales ſunt omnes demonſtrationes auctoris, in quibus praeterea etiam intermediam rationem conſtanter vt veram ſupponit, nec viam qua innotuerit oſtendit.

Iam de ratione diametri ad peripheriam nihil attinet dicere, cum ex iam dictis euidens ſit, adhibita methodo eam demonſtrari non potuiſſe. Eſt etiam aperte falſa, cum tota a numeris Ludolphinis, (qui ſunt lapis lydius,) aberret. Certe hoc ipſum Perill. Korſonich non potuit non videre: et ſi putauit $8 : 25$ veram eſſe, quod ſit rationalis, et $= 3,125$, oblitus videtur fuiſſe demonſtrationis, qua inuicte iam olim demonſtrarunt Mathematici, numeros eiusmodi rationem exprimentes, (ſi qui tamen ſint,) eſſe fere immenſos.

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. THEOD. VERPOORTENNII DISSERTAtiones tres: de regno Salaminio in Cypro: de verbo Graeco ἔπος, atque de πληροφορίᾳ fidei. Acceſſit praeter proluſiones totidem, eiusdem vita, Auctore ERDMANO RVDOLPHO FISCHERO. *Coniunctim edendas curauit* IOH. FRIDER. FISCHERVS E. R. F.

Lipſiae, ſumtu Guil. Aenothei Sommeri A. C. 1779. pll. 18. in 8.

Praeſtantiſſimum hunc *Verpoortennium*, Graecae linguae et eloquentiae quondam in Gymnaſio Caſimiriano Coburgenſi Profeſſorem, propter accuratam et exactam eruditionem, et merita in rem chriſtianam et litterariam, ſummis in hoc genere hominibus aequiparandum eſſe, extra controuerſiam poſitum eſt. Scripta eius, non pauca numero, et plura futura ſi ei diuturnior vita contigiſſet, hoc teſtantur, itemque fauor bonorum omnium confirmat. Sed adhuc fere ignorabantur, vix extra locum, in quo ſedem fortunarum habuiſſet, reperiebantur, pauciſſimis ea legendi, verſandi, ediſcendi pro eorum merito, copia erat. Quare Fiſcherus V. Cel. qui multis grauibusque de cauſſis, quas praefatio eleganter ſcripta, lectuque digniſſima, commemorat, ſe obligatum eſſe putabat, ad laudem eius magis diuulgandam, et ad eius nomen ſempiternae memoriae commendandum, edendis quibusdam eius certe potioribus libellis functim conſilium beati Parentis, Viri deo hominibusque probatiſſimi, quod alia, inprimis ſollicita et religioſa adminiſtratio muneris ſui intercepiſſet, diu cogitatum, perfecit.

Digitized by Google

Prioris igitur diſſertationis argumentum hiſtoricum eſt, alterius potiſſimum philologicum, tertiae theologicum. Prima quidem regnum Salaminium in Cypro breuiter, ſed accurate et cogitate deſcribit. Nam praemiſſis iis quae de nomine Cypri inſulae, de eius indole, de cerimoniis et cultu religioſo ibidem inſtituto, de ciuibus ciuitatibusque praecipuis in vniuerſum, quae ſcienda eſſent, accedit ſenſim ad Salamina, nobilem Cypri portum et vrbem. a quo et quando ſit condita, et a quibus regibus poſſeſſa ſit declarans. Eius origines paucis complexus memoratur Iſocrates, cuius illuſtrandi cauſſa hic maxime labor ſumtus eſt in Euagora c 4. Τεῦκρος δὲ τῆς τε τούτων συγγενείας ἄξιος, καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς χείρων γενόμενος κ. τ. λ. Mox poſterorum Teucri imperium tenentium ſub Perſarum dominatu fata narrat; inter Euagoram et Perſas motus et transactionem exponit, ſucceſſorum eius in regno Salaminio, ſub Perſarum et Macedonum clientela, tranquillitatem, denique poſt Alexandri M. mortem, ducibus Macedonum armis inter ſe decertantibus, inſequutum eius regni interitum perſequitur.

Quae omnia ita inſtruuntur et exornantur variarum admonitionum apparatu, vt totius diſputationis filum, cum magna lectorum et voluptate, et vtilitate, deducatur. Certe eam, propter praeſtantiam ſuam, b. Fromannum nuper Muſaeo Caſimiriano inſeruiſſe, ſcimus. Exercitationis de Graeco verbo ξένος quatuor capita ſunt. Prius de varia ſignificatione eius quaerit, et obſeruatur, poni cum de hominibus, tum de rebus. De hominibus ſumtum, denotare 1) hoſpitem, ſupplicem, §. 3. et 4. 2) peregrinum §. 8. 3) inquilinum §. 9. 4) peregrinantem, mercatorem, erronem §. 10. et 11. 5) conductitium militem, aut hoſtem ac barbarum §. 12. 6) ignarum atque inſcium. Rebus tributum ſignificare, inuſitatum ac ignotum. Adiungit, quae de cen-

conſtructione tenenda ſint, et vbi vel cum caſu ſecundo ac tertio, vel ſine nominis caſu abſolute ponatur, definit. Vbique obſeruationes bonae frugis pleniſſimas reperias, in his argumenta Lexicorum et veterum Grammaticorum emendationes. Sic de verborum ξεναλίζω et ξεναγίζω permutatione et diſcrimine noſſe iuuat, illud eſſe milites mercenarios cogere vel conſcribere, hoc, peregrinum putare. ξενοφωνεῖν, ξενολεξία, et, quod huic par eſt, καινοφωνία, vocabula ſunt Lexicis ignota et H. Stephano quoque praetermiſſa. Quorum vſus ex Euſebio, Epiphanio et aliis Patribus Graecis probatur. Pollucis locus eſt, vbi nomen ξενοφωνία laudat, vt peregrinam locutionem notet; adiectiuum vero ξενόφωνος minus probat. Nam verba καὶ ξενοφωνίαν τὸν ξενόφωνον ſic legit: κ. ξ. ὐχ ἂν ξενόφωνον. Haec omnia transferuntur ad illuſtrandum Paulli locum Eph. II, 11. Hinc ſecundo capite quaeritur, quae ſit horum verborum ſententia: ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας ab aliis aliter vertitur. In verſionibus autem haec fere verba adhibentur, hoſpites: peregrini: extranei: alieni; quibus expenſis, an *hoſtes* vertere liceat, collata veteri formula: *Hoſtis exeſto*, quaeritur. Sed hoc quoque repudiato, praefertur vocabulum *expertes*. Quod ſic apparet. Primum, ξένοι dicuntur expertes cuiuscunque rei: deinde ſpeciatim vocantur qui rei ſacrae expertes ſunt, et apud Pauſaniam in Atticis opponuntur τοῖς ἱερεῦσι, qui etiam ξεναγέται dicuntur. Fauet Chryſoſtomus Serm. V. in epiſt. ad Eph. p. 785. ed. Sauil. ὐκ εἶπεν, ὐ προσέχοντες, ἀλλ' ὐδὲ μετέχοντες καὶ ξένοι· et ipſe Apoſtolus cap. 3, 6. vbi εἶναι τὰ ἔθνη συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας ſcribit. Succedit Caput tertium, in quo de peregrinorum apud veteres moribus, conditione, ac fortuna, diſputatur. In hoſpites priſcorum hominum humanitas et liberalitas magna fuit, ſed ea paullatim refrixit, et inter populos quosdam in feritatem et barbariem degenerauit. Hinc Tauricorum, Ponticorum, Thracum, Aegyptiorum, in pere-

Digitized by Google

grinos crudelitas memoratur, Lacedaemonios vero hoſpitum eiectiones iuſſiſſe a Romanis Iudaeos quidem his vrbe pulſos eſſe, Athenienſium primo humanitatem, deinde faſtum erga peregrinos notabilem eſſe, demonſtratur, tum porro ab iuris communione in rebus multis, et honoribus maxime, excluſos fuiſſe, ipſos Iudaeos viles habere et contemnere peregrinos conſueuiſſe docetur.

Quarto capite exponitur miſeria eorum, qui ad ciuitatem dei non pertinent, et maior quidem gentium quam Iudaeorum inobedientia, auctore Chryſoſtomo loco citato, probatur. Hic etiam de vera loci Paullini lectione monemur, aliis ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας coniungentibus, aliis comma poſt διαθηκῶν ponentibus, vt τῆς ἐπαγγελίας ἐλπίδα μὴ ἔχοντες cohaereant. Praefertur prius vt pote veterum Codicum auctoritate, et verſionum, nominatim Syriacae, interpretumque veterum conſenſu, fundatum. Hanc autem et ſuperiorem diſſertationem in Gymnaſio Caſimiriano ad ventilandum propoſuit. Sequitur tertia, quae πληροφορίαν fidei explanat, quae eſt inauguralis, quam Verpoortennium Altdorfii pro licentia ſummos in theologia honores capeſſendi, publice, magna cum audientium admiratione defendiſſe accepimus. Ea inſcribitur: Theſes theologicae de fidei πληροφορίᾳ. Fides optimum homini bonum, et ad deum venturo vnice neceſſarium. Gradus ſunt fidei, nec omnes eandem eius menſuram nanciſcuntur. Hinc μέτρον πίστέως, hinc πίστις εἰς πιστιν, in ſacris libris dicitur, fides ipſa αὐξάνεσθαι, incrementa capere poteſt. ἀδύνατοι, ἀσθενεῖς aeque ac στερεοὶ; δυνατοὶ, ὑγιαίνοντες ἐν πίστει dicuntur, quin etiam πληροφορία πίστεως Hebr. X, 22. exſtat, et Abrahamus ἐνδυναμωθεὶς τῇ πίστει καὶ πληροφορηθεὶς Rom. IV, 20. appellatur. In vocabulo πίστις ineſt iam fiduciae notio; ergo, cum πληροφορία ei tribuitur, facile, aliud quam fiduciam denotari, intelligitur. Πληροφορεῖσθαι quidem H. Stephanus ſic interpretatur, quaſi ſit plenam menſuram ferre,

ferre, quam explicationem verbi meminimus etiam probari aliis viris doctis. Sed *Verpoortennius* ſequitur Flacii rationem, a nauibus, quae plenis velis feruntur, ſimilitudinem ductam exiſtimantis in Clau. Script. v. *Plerophoria*, vt adeo πληροφορεῖσθαι ſit plenis velis, h. e. omni animi propenſione ac motu in aliquid ferri. Vtitur ſane loco, e ſcriptoribus antiquis Graecis, qui nos in ſtabiliendo huius verbi vſu destituunt, vnico, Iſocratis in Trapezit. p. 858. Wolf. min. ἐμὲ δὲ πολλῶν ἀκουόντων ἔξαρνον πληροφορηθεὶς γεγενῆσθαι, μηδὲν κεκτῆσθαι. Sed etiam iſte eſt controuerſus. Nam quod is *in veteribus exemplaribus legi* ſcribit verbum, id Wolfius omiſit. Sed maxime Baſilii M. loci horum vocabulorum vſum firmant, in quibus cum de rerum certa notitia, tum de aſſenſu, tum de fiducia dicitur. Locorum, vbi pro *explere, ſatisfacere* πληροφορεῖν ponitur, cuiusmodi notionis exemplum ad Luc. I, 1. Clericus attulit ex Nili, Epiſcopi, libris, quia ad argumentum facere non putabat, rationem non habuit. Tum perſequitur homonymiam, per quam στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, στηριγμός, δύναμις, παῤῥησία vocari ſolet. Secundo diſſertationis capite definitio ſuppeditatur, et cauſſae memorantur. Definitionem, vt paullo longiorem, non exſcribemus; cauſſae repetuntur ex oraculorum diuinorum lectione, auditione et meditatione, mediorumque gratiae vſu, excluſis humanis perſuaſionibus, et mentis in ſe defixae imaginatione fallaci. Exſerit vim ſuam in rebus cum ſecundis, tum aduerſis. Vis autem eius et natura ineſt in magna animi totius certitudine de paterna bonitate, ſapientia, amore, auxilio et regimine Dei, ſecundum huius promiſſiones in Chriſto, nobis quoque ſpeciatim certo et ſemper praeſtandis, ac praeſentiſſime affuturis. Porro effecta, oppoſita et adiuncta, capite tertio recenſentur. Affert enim, (auctore Paullo Rom. XIV, 17.) iuſtitiam fidei, tranquillitatem conſcientiae, et animi alacritatem

diuini Spiritus virtute ſuſtentatam. Nec obſtat, quod ſalutem noſtram cum timore et tremore iubemur curare. Vbi bene quidem monet, iſtam locutionem non valere ad animi trepidationem, cum mali cuiusdam metu ſignificandam, ſed reuerentiam maieſtatis et ſanctitatis dei, cum agnitione indignitatis noſtrae, et cum animi religione, cautione atque obſeruatione noſtri, poſtulari. At tu, Lector, compara Ven. Erneſtum in Antimurat. in Opuſc. theol. p. 84. In oppoſitis ergo ſunt: timor ſeruilis, meticuloſitas, dubitatio etc. temeraria confidentia; in adiunctis: neceſſitas, imperfectio, incrementum et decrementum, amiſſio et reſtitutio. His expoſitis, tranſitus fit ad quartam ſectionem, in qua diffidentia erga deum, et amor rerum externarum, doctrina falſa, negatus valor infinitus meriti Chriſti, dubitatio de ſalute ſua, traditionum humanarum admiſſio, imminuta verbi dei reuelati efficacia, tanquam impedimenta πληροφορίας proponuntur; contra, oratio, meditatio, tentatio pro adiumentis laudantur.

Quisquamne igitur dubitabit, quin vere et eleganter ſcriptum ſit in praefatione: „hi libelli grauiſſimi ſunt locupletiſſimique teſtes exquiſitae et copioſae doctrinae, cum „Graecae, tum Latinae, auctoris, quam ille, exemplo „optimi cuiusque, ita retulerit ad interpretationem libro„rum diuinorum, et ad cognitionem doctrinae Chriſtianae, „vt in vtroque genere non parum excelluerit.“ Item: „Opuſcula viri eruditiſſimi omnia magnam grauis vtilisque „doctrinae vim continent.“ Singularem eiusdem hiſtoriae recentioris cognitionem, rerumque ciuilium prudentiam, et eloquentiam admirandam, additae tres eius Proluſiones teſtantur. Prior quorſum pertineat, ex eius initio, quod ita planum et naturale eſt, vt totius tractationis ſeriem manifeſtet, intelligere licet. Demonſtrat autem, Carolorum nomen

men, cum Germaniae inprimis memorabile et ſanctum, tum Hiſpaniae ac Neapolitano regno prope ſemper fatale fuiſſe. In altera, exemplo Samuelis, vatis, demonſtrat, ſi magni clarique homines virtute, non fortuna metiendi ſint, non minores eſſe qui conſilio rempublicam, quam qui armis adminiſtrent ac gerant. Tertia denique, cum oratione tunc temporis habenda, de vexillo militiae Chriſtianae, cruce, coniuncta eſt, atque de patienter et conſtanter ferendis Chriſti cauſſa calamitatibus agit. Reliqua de moribus, ingenio, doctrina, fortuna, ceterisque rebus eximii viri, cognoſcunt lectores ex vita Verpoortennii, ab Erdmano Rud. Fiſchero generali dioeceſeos Coburgenſis eccleſiarum ephoro rel. ſcripta; quam huic volumini inſertam, noſtra haec Acta Eruditorum Lipſienſia Latina a. 1752. m. Mart. P. 2. n 9. quo tempore primum edita eſt, pro merito ſuo laudauerunt.

IOH. FRIDER. FISCHERI PROLVSIOnes quinque, in quibus varii loci librorum diuinorum vtriusque teſtamenti, eorumque verſionum veterum, maxime Graecorum, explicantur atque illuſtrantur. Acceſſit Commentatio ſuper loco quodam epiſtolae quae inſcribitur ad Hebraeos.

Lipſiae, ſumtu Guil. Aenothei Sommeri A. C. 1779. pll. 13. in 8.

Habemus hic collectionem Proluſionum, a Cel. Fiſchero, Scholae Thomanae Senatore ac Lipſienſis Rectore, ſcri-

ſcriptarum nuper occaſione exercitationum oratoriarum, quas a ſe ſub cuiusque anni exitum vel inſtitutas, vel reuocatas eſſe, ipſe in Proluſionibus Palaephateis ab initio monet. Nunc autem denuo recognitae, et plurimis locis auctae, dantur. Prior inſcribitur: *Proluſio qua loci nonnulli librorum N. T. e Verſionibus Graecis, maxime Alexandrina, oraculorum Malachiae, illuſtrantur.* Praemiſſis vniuerſalibus nonnullis, ad commendandam veterum Graecarum verſionum biblicarum praeſtantiam et vſum, procedit ad rem ipſam, et primo formularum huius generis exempla quaedam ſe poſiturum, deinde de ſingulorum quorumdam verborum ſignificatu quaeſiturum eſſe, promittit; ita tamen, vt diligenter caueat, ne imitetur impudentem petulantemque temeritatem Graculi iſtius inani tumentis ſuperbia, qui pennas nuper, Pauoni quae deciderant, ſuſtuliſſet, ſeque exornaſſet. Quae quorſum pertineant, intelligent, qui meminerint, D. Car. Frid. Bahrdtium Malachiae vaticinia a ſe explicata edidiſſe.

Huiusmodi vero locus eſt Luc. 15, 2. οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, quae verba miſſis aliorum interpretationibus, *ille peccatores recipit*: *hic peccatores vultu et affectu beniuolo recipit*; quarum neutra ſatisfacit, cum Heſychius in Gloſſario gloſſam προσδέχεται, procul dubio ex illo ipſo Lucae loco ſumtam, interpretetur verbo προσποιεῖται i. *ſuos reddit*, optime vertuntur: *amat*, *probat*, ſceleratos homines: *delectatur* conſuetudine et familiaritate hominum flagitioſorum; *placent ei* tales. Nam Mal. 1, 8. Alexandrini interpretes pro הֲיִרְצְךָ habent: εἰ προσδέξεταί σε; quae lectio codicis Vaticani praeferenda eſt lectioni Alexandrini codicis, qui pro σε habet αὐτό; et Symmachus Pſ. 51, 21. חָפֵץ זִבְחֵי vertit προσδέχεσθαι θυσίαν. Eiusdem poteſtatis eſt θέλειν τινά Matth. 27, 43. nam et ipſum reſpon-

ſpondet eidem verbo חֵפֶץ Malach. 3, 1. in Alexandrina verſione, et ibidem 3, 12. γῆν θελητὴν אֶרֶץ חֵפֶץ apparet *ciuitatem* eſſe, *deo caram et acceptam*. Et quia Heſychius verbum θέλειν explicat per verbum εὐδοκεῖν, intelligitur etiam huic et vocabulo εὐδοκία in ſcriptoribus Noui Teſt. *amandi* et *amoris* ſignificationem ſubiici, v. Matth. 3, 17. 2. Petr. 1, 17. Ex alio vaticiniorum Malachiae loco c. 2, 2. qui Hebraice ita habet: אִם־לֹא תָשִׂימוּ עַל־לֵב לָתֵת כָּבוֹד לִשְׁמִי ab Alexandrinis autem Iudaeis conuerſus eſt: ἐὰν μὴ θῆσθε εἰς τὴν καρδίαν ὑμῶν τοῦ δοῦναι δόξαν τῷ ὀνόματί μου, plurima Noui Teſtamenta loca intelligi poſſunt. Primum τιθέναι εἰς vel ἐν τῇ καρδίᾳ obuium Act. 5, 4. Porro, cur ſcriptores N. T. iunxerint Infinitiuis Articulum τοῦ, vbi Graeca eum conſuetudo repudiat, v. c. 1. Cor. 2, 2. Act. 3, 12. etc. Cur ὄνομα ab iiſdem ita additum perſonarum nominibus reperiatur, vt redundet. Cur denique in libris N. T. verbum διδόναι et Accuſatiui nominum ita iungantur, vt hae formulae eamdem vim habeant, quam habent verba, a quibus illa nomina ducta ſunt, v. c. φίλημα διδόναι, ῥαπίσματα διδόναι, ἀπόκρισιν διδόναι etc. Haec fere de formulis. Sed in ſingulis verbis recte intelligendis, eadem verſio vaticiniorum Malachiae prodeſt. Sic φείδεσθαι, quod ita legitur cap. 3, 17. pro Hebraico חָמַל, vt valeat, non necari, non interire ſinere: *ſeruare*, vſurpatum a Paullo Rom. 8, 32. et Petro 2 ep. 2, 5. eandem notionem habet. Et cum in iiſdem oraculis c. 3, 17. verba Hebraica וְהָיוּ לִי־סְגֻלָּה vertantur ab Alexandrinis Iudaeis, καὶ ἔσονταί μοι εἰς περιποίησιν, coll. Exo. 19. 5; apparet, quae ſit ſignificatio vocabulorum περιποίησις et περιούσιος Tit. 2, 14. 1. Petr. 2, 9. quae vertenda ſunt, *populus, familia propria et peculiaris*. In Eccleſiaſte 2, 8. Symmachus vtitur voce πεκούλιον, quae in Gloſſario βασιλικῶν, a Labbeo edito, explicatur ὡσανεὶ μικρὸν ἴδιον, et ipſum vocabulum ἰδία habes

ibidem Aquila. Hoc explicatur ab Scholiaſta Doruilliano Ariſtophanis Plut v. 754. 830. nomine περιουσία; in quo περὶ ita redundat, vt in περίχωρος Matth. 3, 5. vbi vid. Keuchenius, atque adeo in περιουσιάζεσθαι, in περιούσιος etc. Veniamus ad ſecundam Proluſionem *de verſionibus Graecis oraculorum Malachiae, ſcientiae litterarum et Graecarum et Hebraicarum adiutricibus atque auctricibus.* Etenim Graecae linguae cognitio legendis verſionibus Malachiae Graecis, inprimis Alexandrina, ditari et ornari poſſe reperitur, ita vt multa verba in Lexicis recentioribus praetermiſſa, multorum verborum notiones, multarum denique formularum ſignificationes, ex eorum fontibus hauriantur. Sic ἔμμωμον Aquila cum Symmacho poſuit pro Hebraico מָשְׁחָת, (ſic enim legendum monet,) de pecude vitioſa et ad victimam inutili; quo vocabulo quamquam carent Stephanianus theſaurus et Scoti Supplementa, tamen eius vis facile ex oppoſito verbo ἄμωμος cognoſci poteſt. Sic verbum σκανδαλεῖν, vſurpatum ab eodem Aquila c. 2, 8. pro Hebraico הִכְשַׁל, pro quo alias σκανδαλίζειν ponitur, Lexicis adhuc inſerendum eſt. In quibus etiam deſiderari videmus poteſtatem, primam, vt videtur, et propriam verbi σχολάζειν, cum de iis dicitur, qui locum aliquem vacuum re aliqua reddunt. Sic adhibuit Symmachus 3, 1. pro Hebraico פִּנָּה. Item ἐπίφοβον, occurrens apud incertum, qui Aquila eſſe videtur 1, 14. pro *horribile*; ἔνυστρον pro *ſtercore* et *excrementis victimarum*, in Alexandrina verſione 2, 3. παρίεσθαι pro *negligi*, *contemni*, in Complutenſi exemplo et Barberiniano codice, fortaſſe Symmachi, 2, 9. Sed miſſis reliquis exemplis, pergamus ad alia. Etenim in altera parte proluſionis demonſtratur, quantopere adiuuetur doctrina et elegantia earundem Verſionum cum verborum diuini vatis intelligentia, tum omnino Hebraearum litterarum cognitio. Ciuitatem, quam dicit Malachias c. 1, 4.

עם

עַם אֲשֶׁר־זָעַם יְהוָה *cui deus infeſtus eſt*, Alexandrini interpretes vocant λαὸν ἐφ᾽ ὃν παρατέτακται ὁ κύριος, eleganter; ciuitatem *quam oppugnat deus*; Heſychii gloſſa huc referenda: παρατέτακται. ἡτοίμασται. Aquila c. 2, 13. cum Symmacho פְּנוֹת אֶל־הַמִּנְחָה vertit νεῦσαι πρὸς τὸ δῶρον, *annuere ſacrificiis* i. e. ea probare. Heſychius: νεῦσαι· ἐπινεῦσαι. Qui dicuntur 3, 5. מַטֵּי־גֵר h. e. qui aduenas, ſiue aduenarum ius opprimunt eos Alexandrini vocant τοὺς ἐκκλίνοντας κρίσιν προσηλύτου. Quae vis ſit formulae הַכּוֹת חֵרֶם 3, 24. diſcitur ex eadem verſione, in qua ei πατάσσειν ἄρδην reſpondet, h. e. *delere funditus*, *concidere ad internecionem vsque*. Heſychius: ἄρδην· παντελῶς. Ex hactenus dictis apparet, iſtarum verſionum ope multorum locorum Hebraici textus ſententiam cognoſci. Sed earumdem Verſionum copiis adiuuatur etiam ſtudium, verborum Hebraeorum notiones, ope reliquarum Orientis linguarum, indagandi. Nam nomine מַרְבֵּק alii *ſaginarium*, i. e. locum in quo pecus alligatum ſaginatur, alii *vinculum*, funem, quo pecus religatur, Arabicae Chaldaicaeque linguae auxilio demonſtrant ſignificari; vtrique vero notioni Alexandrina verſio fauet. Mal. 3, 20. habet μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα, at Ierem. 46, 21. μόσχοι σιτευτοί. Item פּוּשׁ traditur eſſe vel *turgere*, vel, *robuſtum*, *ſanum eſſe*, quod confirmatur Alexandrina verſione huius loci, καὶ σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια, nam ex illa notione facile ducitur etiam haec laſciuiendi et ſaliendi. Sequitur Proluſio *de Chaldaicis Onqueloſi Ionathaeque verſionibus Vet. Teſt. litterarum Hebraicarum ſcientiae, intelligentiaeque librorum diuinorum, adiutricibus*. Has quoque verſiones magno adiumento et ſubſidio interpretibus eſſe, primo exemplis a ſingulis verbis petitis demonſtratur. Ergo זֶרַע non tantum de progenie omni, ſed de ſingulis *filiis* poni, ex hac verſione intelligitur Gen. 4, 25. vbi habet Onkeloſus בַּר. Et כָּבוֹד de *opibus* et *diuitiis* Gen. 31, 1.

nam

nam explicauit illud verbo כַּכְסִין. De iisdem poni חַיִל Gen. 34, 29. quia is eodem vocabulo interpretatur, ſecus quam Alexandrini, qui vertunt *σώματα*, *mancipia*. Et חַיִל dici etiam de *probitate*, *virtute*; ex Ionathae verſione cognoſcitur 1. Regg. 1, 53. qui בֶּן־חַיִל interpretatur גְּבַר דָּחֵל חֲטָאִין. Quum autem idem pro verbis וְהָיִיתָ לְאִישׁ 1. Regg. 2, 2. poſuerit וּתְהֵיא לִגְבַר דָּחֵל חִטְאִין h. e. *et eris pius erga ciues*, eo magis ſuſpicandum eſt, eum legiſſe וְהָיִיתָ לְאִישׁ חַיִל, cum eiusdem lectionis veſtigia etiam compareant in interpretis Graeci verbis apud Procopium Gazaeum, et Montefalconium, a quo reperta ſunt in Cod. Pariſ. his, *καὶ ἔσῃ εἰς ἄνδρα δυνάμεως*. Acclamandi formula יְחִי non vertenda, *viuat*, ſed, *felix ſit*, *floreat*; Ionathan vertit paſſim יִצְלַח 1. Regg. 1, 25. 1. Sam. 10, 24. etc.

A ſingulis verbis tranſitur ad formulas, quae, quam accurate intelligi poſſint ope harum verſionum, aliquot exemplis declaratur: v. c. הִתְהַלֵּךְ אֶת־אֱלֹהִים eſſe, *probare deo pietatem*, confirmatur Onkeloſo, qui Gen. 5, 22. vertit הֲלַכָא בְּדַחַלְתָּא דַיְיָ i. e. *ſancte viuere*. Ac vbi legitur לֹא הָיוּ עִם־אֲדֹנִיָּהוּ 1. Regg. 1, 8. *ſectam eius non ſequebantur*, *eius conſilia non adiuuabant*, Ionathan habet haec verba: לָא הֲווֹ בַּעֲצַת אֲדֹנִיָּהוּ, *non erant ſocii conſiliorum Adoniae*. quod Ioſephus vno verbo dixit *ἀντέπρασσον* A. Iud. 7, 11. Denique Chaldaicae verſiones multos etiam locos obſcuros ita illuſtrant, vt qui eis vti velit, ei nullis aliis adiumentis Lexicorum opus ſit. Exemplorum loco ſunt Geneſ. 30, 2. et 1. Regg. 2, 5. cuius loci Chaldaica verſio Ionathae ſic redditur. *Qui occidit eos fraude: putaſſe videtur eos occidi a ſe poſſe, vt hoſtes victos, ſed occidit eos per inſidias, ſimulans ſe iis amicum, cruoreque eorum infecit et balteum ſuum et calceos.* Et

Digitized by Google

Et 1. Regg. 2, 7. כִּי כֵן קָרְבוּ אֵלַי vertit idem in hanc ſententiam: *nam praebuere mihi meisque commeatus copiam.* Etenim צָרְכִין a Chaldaeis dicuntur ea, quae Graeci ἐπιτήδεια vocant. Caetera petent lectores ex ipſo libello, in quo, pro copioſa Auctoris doctrina, omnium idonea et vberrima ratio redditur. Nam feſtinamus ad reliqua. Hanc autem excipit Proluſio *de Verſione librorum diuinorum veteris Teſtamenti Vulgata, verae legitimaeque rationis Hebraea in Latinum conuertendi magiſtra.* Initium fit a commendatione Verſionis Vulgatae, in vniuerſum eius bonis commemorandis. Nam inchoata tantum *quaeſtio*, aut alii tempori, quod *vt contingat* vehementer *velimus*, aut aliorum ingenio, doctrinae, et grauitati, perficienda ſeruatur et relinquitur. Quae hic habentur illuc potiſſimum pertinent, vt intelligatur, qua ſit ratione verſandum in libris diuinis Hebraice ſcriptis in Latinum ita vertendis, vt exſpectationi et cupiditati lectorum humanorum ſatis fiat, vt conſulatur ſtudiis et commodis iuuentutis ingenuae, et ipſius religionis Chriſtianae ſaluti. Exempla nonnulla e genere Nominum, Verborum, Particularumque, in quibus partes egregii interpretis expleuit, ſumta ſunt e libellis Eſtherae et Ruthae potiſſimum. Et artem quidem in vertendo ſuam, primum nomine חַיִל, cuius latam et variam poteſtatem plurimis in locis ſcienter expreſſit, declarauit. Nam שַׂר־הַחַיִל 2. Sam. 24, 2. nominat eleganter *principem exercitus*, בֶּן־חַיִל 1. Sam. 14, 52. vertit *aptum ad praelium*, et 1. Sam. 18, 17. *virum fortem*, et גִּבּוֹרֵי הַחַיִל Ioſ. 1, 14. *fortes manu.* Ad probitatem et bonitatem referri vidit 1. Reg. 1, 52. Ruth 3, 11. vertit enim: *virum bonum*, et: *mulierem virtutis*; ad diuitias ibidem 2, 1. nam habet, *homo potens et magnarum opum.* Nomen דָּבָר ſicut de omni orationis genere, ita quoque de omnis generis rebus vſurpa-

Digitized by Google

tur, quia nempe verborum atque rerum magna coniunctio eſt. Quare opus eſt, vt hoc nomen reddatur, videre interpreti, vtrum de verbis, an de rebus poſitum ſit, vtrum omnino de oratione et rebus, an vero de certo quodam orationis rerumue genere e ponatur. Quod ita effecit et praeſtitit docta Latini interpretis diligentia, vt tironum operae, facilius et felicius agendae, exemplo eſſe poſſit. Eſth. 5, 14. nomen דָּבָר, quod Ioſephus A I. 11, 6. *γνώμην* vertit, aeque ſcienter Vulgatus eſt interpretatus, *conſilium.* At, 5, 5. *volantatem.* Et 2, 22. וַיִּוָּדַע הַדָּבָר לְמָרְדֳּכַי. *quod Mordochaeum non latuit.* Ruth. 4, 7. לְקַיֵּם כָּל־דָּבָר, *vt eſſet firma conceſſio*, et Ioſ. 5, 4. *haec autem cauſſa eſt ſecundae eorum circumciſionis*, pro his: וְזֶה הַדָּבָר אֲשֶׁר־מָל יְהוֹשֻׁעַ. Quae in Deuteronomio commemorantur 3. 17. 4 49. אַשְׁדּוֹת הַפִּסְגָּה non ſunt *decliuitates*, vt vulgo volunt, ſed *radices*, Phasgae montis, vt eleganter dicuntur in Verſione Vulgata. כְּנָפֵים Ruth. 3, 9. non ſunt *orae, extremitates, veſtis*, ſed ipſum *pallium*, quo nomine expreſſit Latinus. Nam pallia erant veſtes quadratae non rotundae, atque adeo a parte aduerſa in medio apertae, ita vt duas ab vtroque latere partes haberent, quae ſpeciem alarum auium referrent. v. Salmaſ ad Tertull. Pall. p. 110. Haec pauca de ſingulis nominibus, pro inſtituto noſtro attuliſſe ſufficiat. Et quia promiſſa Verborum Particularumque recte et eleganter redditarum exempla huic commentatiunculae deſunt, tranſimus ad recognoſcendam quintam Proluſionem, *de linguae Graecae interioris ſcientia, interpretationis librorum N. T. adiumento maxime neceſſario.* Nititur autem hoc aſſerto quaſi fundamento: interpres librorum N. T. idoneus, multo pluribus et firmioribus Graeciae copiis inſtructus eſſe, quam omnium aliorum librorum enarrator, debet. Primo enim in his libris Hebraica Graecis ita miſta

re-

Digitized by Google

reperiuntur, vt in verſione librorum diuinorum Veteris Teſt. Alexandrina: deinde multis locis notae comparent tamen et veſtigia exquiſitae cuiusdam, reconditaeque orationis Graecae. Nec ſummi Graeceque inprimis docti interpretes, reperire potuerunt ſententiae expediendae rationem loci Luc. 22, 42. πάτερ, εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ. Vna vera ratio horum verborum explicandorum eſt per figuram quam ἀνανταπόδοτον Grammatici vocant, qua in enuntiationibus hypotheticis ſolet omitti membrum poſterius, ſiue apodoſis. Sic Homer. *Il.* α, 13. Ariſtoph. *Plut.* 468. *vbi vid. Bergl. cf.* Luc. 13, 9. ibique Raphel et 1. Sam. 12, 14. Dan. 3, 15. vbi vid. cl. Scharfenberg. Plene Theophr. C. E. 9, 2. ἐὰν μὲν λάβῃ εὖ ἔχει. Sic intelligitur non opus eſſe ambagibus illis, vt Infinitiuus παρενεγκεῖν, ab Imperatiuo βούλει, inciſi nota, dirimatur, neque vt Infinitiuus pro Imperatiuo poſitus dicatur; multo minus neceſſe eſſe, vt ipſe Imperatiuus pro Infinitiuo recipiatur, aut ad Latinam rationem confugiatur. Sed ſimiles ambages ſequuntur in explicando Eph. 1, 17. πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν. Quibus miſſis, ſciendum eſt, ſolere optimos diligentiſſimosque ſcriptores, Datiuis, etiam Genitiuis, Accuſatiuos ita poſtponere, vt habeant vim Genitiuorum conſequentiae v. Marcland. ad Lyſiam p. 556. Eorum, quae ibi laudantur, appoſitiſſima ſunt Dinarchi contra Demoſth. p. 62. Hanov. et Andocidis contra Alcibiad. p. 303. Dictum igitur pro πεφωτισμένων τοὺς ὀφθαλμούς, intellecto pronomine ὑμῶν, quod pronomen non raro omittitur. Qui vero negant, (vid Tempe Heluet. Tom. 4. Sect. I. p. 1—35.) φωνεῖν de cantu galli dictum eſſe, et ἀλέκτορα non gallum, ſed cornicinem et buccinatorem in Euangeliſtarum commentariis eſſe volunt, ſuis ipſi telis configuntur. Nam φωνεῖν ſic prorſus dici copioſiſſime deinceps demonſtratur. Quam vero

 παρ-

νάρδον πιστικὴν legimus Marc. 14, 3. Ioh. 12, 3. vocari, ea non eſt, vt vulgo putant, *nardus pura et ſincera*, ſed, *quae bibi poteſt, ſeu liquida*, χεπτὴ Dioſcoridi 1, 75. Neque enim a πίστις, vt vulgata Lexica volunt, deducitur, ſed a πίω, et πιστικὸς cum πιστὸς vnum idemque eſt. Meminiſſe autem debemus, tria medicamentorum, φαρμάκων, genera referri, πλαστὰ et κατάπλαστα, πάστα et χριστά, ποτὰ et πιστά. Vid. Schol. Vet. et Doruill. Ariſtoph. Plut. 717. Idem videbatur nobis patere e Theocrit. Id 11, 2. Heinſii Exercitat. p. 233. et Valkenar. ad Eurip. Hippol p. 223. Claudit agmen, ſiue, vt cum Vulgato Interprete Ioſ. 8, 13. loquamur, nouiſſima eſt *Commentatio ſuper loco quodam Epiſtolae Paulli ad Hebraeos ad Chriſtoph. Sancquium, virum maxime reuerendum, Collegii Philobiblici, quod in Acad. Lipſ. floret, nomine miſſa.* Eſt autem tempore primus fere libellus eorum, quos Cl. Auctor edidit, ante hos triginta annos ſcriptus. Extat is locus Cap. 9. 3. ſ. cuius ῥήσεως prima quidem pars plana ſatis et perſpicua eſt; in altera vero ſectione difficultatis non parum ineſſe videtur. In qua e planda ita verſatus eſt A. vt primo de ſingulorum verborum vi atque poteſtate quaereret, deinde, quomodo quae Apoſtolus dicat, cum aliis librorum diuinorum locis ita vt nulla repugnantiae ſpecies reſtet, conciliari poſſint, traderet. Hic primum de thuribulo, θυμιατηρίῳ, dicitur, et Braunii et Deylingii ſententia, exiſtimantium vtrumque vas, cum thuribulum, tum acerram, hoc nomine ſignificari, reiicitur. De arca foederis omnia iam a Buxtorfio, Seccho, Lamio, Braunio, occupata ſunt. At quae aſſeruata in ea fuerint, de his quaedam dicenda reſtabant. Vaſculum manna completum, στάμνος, qua figura fuerit, ambigitur. Probabile tamen eſt inſtar vrceoli auſati fuiſſe, quod et nummi demonſtrant, et vocabulum στάμνος per nomen ἀμφορεύς explicatum ab Ariſtophanis ſcholiaſte ad Ran. 22. Qua materia

fue-

fuerit, aeneumne, an teſtaceum, an vitreum, quae Iudaicorum magiſtrorum opiniones ſunt, docet optime Paullus, qui, recepto ex Alexandrina Verſione verbo, cui non eſt quod in Hebraeo reſpondeat, χρυσῆν, diſerte aureum vocat, declarans hanc veterem traditionem eſſe. Deinceps de virga Aharonis, deque tabulis praeceptorum, breuiter dicitur. Iam primum tempus, de quo Paulo ſermo ſit, conſtituitur. Docetur, non de templo altero eum diſſerere, in cuius adytis nulla arca fuerit; nec de aede Salomonis, in cuius arca praeter tabulas legum duas nihil omnino incluſum fuiſſe, Ioſephi A. I. 8, 4, 1. et litterarum ſacrarum 1. Regg. 8, 9. teſtimonio ſciamus. Relinquitur ergo, Apoſtolum de templo, ſiue tabernaculo Moſaico diſputare, quod etiam ſeries orationis a verſiculo priori capitis declarat; non quod ibi σκηνὴ memoretur, vocabulum nec ab Syro interprete redditum, ab aliena manu, Beza, Millio, et aliis monentibus, profectum, in exemplo denique Bengeliano, aliisque, recte ſublatum: ſed quod vocabulum πρώτη ad διαθήκη referendum eſt, vt vidit Photius apud Oecumen. ad h. l. p. 838. Veron. Haec dicitur χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, hoc ſenſu, vt in eius aediculae parte ſanctiſſima thuribulum aureum, ſola expiationis die adhibitum fuiſſe, intelligatur. Sed quoniam legum tantum tabulas in arca, vrceolum vero mannae, et baculum Aharonis, iuxta vel ante arcam poſita fuiſſe, ex capite Exodi decimo ſexto, et Numerorum ſeptimo decimo conſtat, expenſis aliorum conatibus, multis adhuc implicitis difficultatibus, vna verborum Paulli cum narratione Moſis conciliandorum ratio eſt, vt ex conſuetudine ſcriptorum tribuendi poteſtatem duplicem vni eidemque praepoſitioni, vni pluribusue nominibus vno eodemque loco iunctae, verba ἐν ᾗ cum verbis στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ Μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, ita cohaerere dicantur, vt vertenda ſint, *ad* ſeu *iuxta quam*; ſed cum

verbis *καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης* ita coniungantur, vt reddantur *in qua*. Particula Hebraeorum ב, praedita hac vi, vt et *in*, et *iuxta* declaret, vſus praepoſitionis *μετά*, in ſignificando *poſt* et *in* Matth. 1, 12. aliaque, quae ad iſta confirmanda et ornanda afferuntur, ſatis illuſtrant hanc explicationem, et diligenter commendant.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXXVI.

DIONYSII LONGINI QVAE SVPERSVNT Graece et Latine. Recenſuit, notasque ſuas atque Animaduerſiones adiecit, IOANNES TOVPIVS. Accedunt emendationes DAVIDIS RVHNKENII.

Oxonii, e typographeo Clarendoniano MDCCLXXVIII. pagg. 254. vel Alph. 3. pll. 5. fol. min.

Multi noſtrorum temporum ſcriptores ita agunt, quaſi ſentire tantum, non cogitare velle videantur, ipſique ſemet eos, penes quos ſit norma ſcribendi, aliis venditant, veteresque ac recentiores in iudicium vocant. Hos enim fateamur neceſſe eſt ſibi perſuadere, poſſe quemquam ſapidiſſimam tenere orationem, ſine cogitandi, et ſapienter quidem et nobiliter cogitandi et ſentiendi, ſcientia.

Digitized by Google

Ab horum numero cum Longinus abeſt quam longiſſime, quem ſcimus magno ingenio, magnaque rerum, quae orationem perficiant, ſcientia fuiſſe, collecta obſeruandis exemplis veteris aeui ſcriptorum et praeſtantiſſimorum, et ſecundorum, tum etiam Clariſſ. Editor eius, *Toupius*, qui accuratae et infinitae lectionis copia et amplitudine, obſeruationis diligentia, ſingulari inprimis ingenio, editisque illius illuſtriſſimis monumentis, conſecutus eſt, vt inter principes Criticos noſtri et ſuperioris temporis numeraretur. Quibus praeſidiis inſtructus, ad Longini librum nouis ornamentis condecorandum et illuſtrandum vnice idoneus erat. In huius autem etiam laudis ſocietatem venit *Dau. Ruhnkenius*, qui litteras Graecas et Latinas in Academia Leidenſi cummaxime ornat, qui Emendationes ſuas in Longinum cum Editore Cel. communicauit.

Ac de Longino quidem ſatis conſtat, magnam eius famam ſemper et opinionem fuiſſe. Nam cum is ea perſequutus fuiſſet, quae vel Ariſtoteles affecta reliquiſſet, vel alii prorſus intacta omiſiſſent, cum is animum lectoris ad ſentiendam, quanta concipi poſſet, ſublimitatem tolleret: nemini ea de re iudicare, nemini fontes ſublimitatis indagare et quaerere licuit, quin Longini exemplum et declarationem admiraretur.

Aliam commendationis cauſſam orationis eius elegantia habet. Haec enim, qua Dionyſio Halicarnaſſenſi maxime ſimilis eſt, lectorum ſtudium acuebat ſemper et excitabat. In ea etiam elucent alia inſigniora, e Poetis, e Platone, ex Plutarcho, ducta et formata, quae adhuc obſcura latebant, de quibus ſuſpicionis temeritas magis, quam veritatis ratio exſtabat, antequam lectores ad ipſa loca, e quibus profeciſſet, et ſua ditaſſet, ducerentur. Quibus eximiis virtutibus promeruit, vt magnum eſſet deſiderium iſtius Commentarii integri habendi; quem nunc mutilum et multis partibus truncatum queruntur omnes, qui eius vel legendi, vel edendi curam vnquam ſuſceperunt. Neque

que vero eius vlla ſpes eſt, donec iis adhuc codicibus, quos omnes ex vno Cod. Pariſino ductos eſſe conſtat, vtimur, nec meliorum alicunde conſequendorum via patefit.

At de Longini quidem rebus aetate, magiſtris, fortuna, ſcriptis, maximam partem deperditis, denuo accurate, magnaque cum ſcriptorum veterum, tum recentiorum ſcientia egit in diſſertatione philologica, quae de vita et ſcriptis Longini inſcribitur, Petr. Iohannes Schardamus, Sparendano-Batauus, quam, viginti ſex paginas complexam, operi praemiſſam tenemus.

Toupii autem labor in hoc Commentario et libello, non mutilo tantum magnam partem, ſed etiam paſſim deprauato, perpoliendo, eximiam praeſtat lectoribus vtilitatem. Nam et Graecae orationis verba partim ex libris, partim ex ingenio conſtituit, et in quibus ſuperiorum interpretum negligentia aberraſſet, ad veritatem reuocauit; quin etiam nonnulla, quae a nemine erant intellecta, nunc demum explicauit, et clara luce perfudit. Rhetoras pleroſque omnes veteres, atque alios probatiſſimos ſcriptores, ad partes vocauit, Dionyſium Halicarnaſſeum inprimis, Plutarchum, Quintilianum, quos, vna cum antiquioribus diligenter legerat Longinus, atque ita ſibi familiares reddiderat, vt eorum in oratione fingenda formas lubenter exprimeret. De rarioris ſignificationis verbis ſaepe admonuit, et quae tenenda eſſent, exemplis cum pluribus, tum idoneis, confirmauit. Morem Graecorum in exquiſitioribus quibusdam formis declarauit. Editorum autem Graecorum librorum mori et conſuetudini vt inſeruiret, Latinam verſionem integram et intactam Pearcii adiungendam putauit, ſubinde vero admonendum in notis, vtcunque eum aberraſſe intellexiſſet. Is igitur eſt, qui paſſim viri doctiſſimi nomine appellatus commemoratur.

Dau. Ruhnkenii Emendationes, hoc tantum, quod paucioribus paginis abſoluuntur, quod ad fragmenta Longini non pertinent, Toupianis cedunt; eruditionem ſi ſpe-

ctes, ſi emendandi conatum et ſollertiam, ſi ſimilitudinis reperiendae et declarandae facultatem, ſi Graecitatis exquiſitioris origines requiras, ſi litterarum vtriusque linguae opes deſideres, nulla parte interiores, ſed eodem prorſus numero locoque habentur.

Statim Sect. 3. leguntur; οἱ χαῦνοι καὶ ἀναλήθεις, vbi ſequitur coniecturam T. Fabri, οἱ χ. καὶ ἀναλθεῖς. Ab ἄω, ſcribit, *ſpiro*, eſt ἄλω vel ἅλω, latinum *halare* et *halere*, vnde halitus, et ἀλέα *vapor calidus*, et ἀλεαίνειν *calefacere*. Ab ἄλω etiam deriuatur ἄλθω et ἄλθα. Heſych. Ἄλθα· θερμασία, ἡ θεραπεία. In quibus prima vis eſt calefaciendi, altera ſanandi. — Habent etiam vicinam *augendi* poteſtatem. — Hinc quis non diſcipulum ad Hemſterhuſii ingenium formatum agnoſcat? Putat autem, Longinum traduxiſſe hoc vocabulum ad orationem *macram* et *exilem*, qualem oratorem Cicero Brut. 16. *ſtrigoſum* dicat. Verumtamen iſta emendatio, et vt arbitramur non male, a Toupio repudiatur. Certe ſi ἀληθῆ ſunt *ſolida*, *vera*, et opponuntur fictis atque pictis rerum formis et imaginibus, vt Io. Alberti demonſtrauit Obſeruat. N. T. ad Ioh. XVII, 3. facile intelligitur, ἀναλήθεις eſſe *inanes et ſpecie tantum fallentes*. Si quid mutandum, lenior eſſet mutatio ἀναλκεῖς.

Sect. 8. τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπίβολον. Vocem nullo dum exemplo comprobatam refingit ſic: τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρὰς ἐπίβολον. Toupius in his non offendit.

Sect. 10. vbi Sapphus verſiculi amatorii commemorantur, vna opera Ariſtaeneti II, 5. verba emendat, πυκνὰ παλλομένης ἐφάπτομαι τῆς καρδίας, καὶ δεινῶς ἐκπηδᾶν καὶ φλέγεσθαί μοι δοκεῖ. At legitur vulgo φθέγγεσθαι, quod nobis verum videtur. Ecquis autem dubitat, quin verba βοᾶν, ὑλακτεῖν, atque adeo φθέγγεσθαι, et apud Latinos *fremere*, de corde ſaepe dicantur. Non recordabatur Vir doctus eorum, quae ſcripſiſſet Doruillius Crit. Vann. p. 615.

Sect.

Digitized by Google

Sect. 28. φυσώδές τι καὶ ἄμυσον: Scripſiſſe videtur ei Longinus more ſuo φλοιώδές τι, quod collatis Sect. 3, et 10. Perſii quoque verſu Sat. I, 96. *Nonne hoc ſpumoſum et cortice pingui*, probabilitate non caret.

Sect. 35. τῇ θεωρίᾳ καὶ διανοίᾳ τῆς ἀνθρωπίνης ἐπιβολῆς: legit autem τῇ θεωρίας καὶ διανοίας τῆς ἀνθρωπίνης ἐπιβολῇ, de qua emendatione nec Toupius, qui eam etiam in textum recepit, dubitauit

Sect. 44. multa habet Longinus, quae Platonis imitationem prodant. Statim iſta: οἷον ἐκτρίβεται etc. cum Platonis Polit. IV. p. 451. C. conueniunt: καὶ τάχα ἂν παράλληλα σκοποῦντες καὶ τρίβοντες, ὥσπερ ἐκ πυρείων ἐκλάμψαι ποιήσαιμεν τὴν δικαιοσύνην. Philonem haec ipſa non tam imitatum fuiſſe, quam exſcripſiſſe, ait T. I. p. 683. τρίβοντες γὰρ ἀεὶ τοὺς περὶ ὁσιότητος λόγους, καθάπερ ἐκ πυρείων τὸ θεοειδέστατον εὐσεβείας φέγγος ποιοῦσιν ἐκλάμπειν. Porro λόγον νᾶμα, quod cum Platone Polit. VII, p. 490. Tim. p. 545. habet Philo ſaepius, veluti T. I. p. 325. 693. Nobis videbatur e poetis ductum eſſe: vid. Stanleius ad Aeſchyl. Prom. 401. Doruillius ad Charit. p. 42. Tum νεοττοποιεῖται, quod ſumtum a Platone Polit. IX, p. 503. ἆρα οὐκ ἀνάγκη μὲν τὰς ἐπιθυμίας βοᾷν πυκνάς τε καὶ σφοδρὰς ἐννεοττευμένας. Quae etiam attigit Toupius. Neuter tamen, quod miramur, rationem habuit Anacreonticorum Od. 33. Ἔρως δ' ἀεὶ πλέκει μου Ἐν καρδίῃ καλιήν. Πόθος δ' ὁ μὲν πτεροῦται Ὁ δ' ὠὸν ἐστιν κ. τ. λ. et diui Iac. I, 15.

Ac Toupius quidem Editiones principes conſuluit, Manutianam, Robortellianam, quarum illam inprimis ei magno vſui fuiſſe apparet, cum eius ope, vt ex notis cognoſcitur, textum ſaepius conſtituerit. Quin etiam variantes lectiones omnes, quas ex libris MſſT. collegerant viri eruditi, in conſilium aduocauit, inprimis lectiones MStorum Pariſ. et Elienſis, quorum hoc, cum Cantabrigiae verſaretur, ipſe inſpexit, illius autem collationem Voſſianam ab Dau. Ruhnkenio impetrauit. Alteram quoque eiusdem

MSti collationem, Pariſiis ad ſe transmiſſam, et Pearciana longe accuratiorem, ad Longini orationem reſtituendam, opitulatricem habuit.

Ac Sect. 1. in initio locum, vbi verba leguntur: ὠ πολλήν τε ὠφέλειαν, totum, deleta vocula τὲ, ſic ſcribendum cenſet: ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὅλης ὑποθέσεως καὶ ἥκιστα τῶν καιρίων ἐφαπτόμενον, ἢ πολλὴν ὠφέλειαν, ἧς μάλιστα δεῖ στοχάζεσθαι τὸν γράφοντα, περιποιεῖν τοῖς ἐντυγχάνουσιν, *Caecilii liber ieiunior eſt viſus, et cum praecipuas res* minime attigerit, *non multam vtilitatem legentibus afferre.* Quaerat aliquis, cur ei ſic placuerit; recte, ait, procedere ſic argumentationem, quae prius nulla fuiſſet. Mox περιέβαλον εὐκλείαις τὸν αἰῶνα, mutat in περιέλαβον, et tamen vertit, *ſuisque laudibus ſaecula circumdederunt*, hoc enim poſtulat *complexi ſunt*, vel *occuparunt.*

Sect. 2. Καὶ ὡς ἐπικινδυνότερα etc. Locum elegantem fatetur, ſanum negat. Tentat tamen aliquid, quod ipſe hariolari eſſe concedit, hunc in modum: καὶ ὡς ἐπικινδυνότερα τὰ πλοῖα αὐτὰ ἐφ' ἑαυτῶν δίχα ἐπιστήμης ἀστήρικτα καὶ ἀνερμάτιστα ἐαθέντα, οὕτω καὶ ἐπικίνδυνα τὰ μεγάλα ἐπὶ μόνῃ τῇ φορᾷ καὶ ἀμαθεῖ τόλμῃ λειπόμενα. Nimirum iterationem feſtinatam eiusdem vocis quis ferat? Quis omnes omnium ſcriptorum βραχυλογίας ita reſarciat et compleat? Platonicum fontem, qui eſt in Theaet. T. I. p. 144. ed. Steph. vterque indicauit. Ruhnkenio autem vocem ἀστήρικτα tanquam gloſſema ſuſpectam habenti, opponi poſſit Philonis locus de Fortit. p. 742. ed. Francof. τῆς νεότητος ἀνερμάτιστα καὶ ἀνίδρυτα ἤθη. Nam quo iure hic aliquis ἀνίδρυτα gloſſema putet?

Sect. 3. καί τινα τῶν Καλλισθένους. MS. Vat. καί τινα τῶν Περσῶν Καλλισθένους, vnde ſcribit τῶν Περσικῶν. Optime factum, quod ab lectione hac textus manſerit ſincerus, quippe gloſſema redolet. Mox pro μεγάλως ἀπολισθάνειν, μεγάλων ἀπολισθαίνειν, eleganter. Tum, pro ἐποκέλλοντες, ex editione Robortelliana, ὑποκέλλοντες, non admittimus.

Ὑποκέλ-

Ὑποκίλλειν an fuerit in vſu non demonſtratur. Ἐποκίλλειν vſitatum eſt.

Sect. 4. τὰς ἁπάντων ἑξῆς κόρας recte vertit: *omnes omnino pupillas*, coll. ſect. 33. ſed quae ſequuntur, ὡς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς· ἰταμόν, male corrupta et diſtincta putat. Sic autem diſtinguit: ὅπου φασὶν οὐδενὶ οὕτως ἐνσημαίνεσθαι τὴν τινῶν ἀναίδειαν, ὡς τῷ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰταμῷ. Fruſtra haec ſollicitat vir doctiſſimus. ἰταμὸν non de oculorum obtutu, ſed de animi moribus, vel morbo potius, dicitur. Quo facit Plutarch. Amator. p. 767. et ſimul aduerſatur propoſitae emendationi. Quod autem Xenophon de rep. Lac. 3, 6. referente Longino, dixerit τὰς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένους, *oculorum pupillas*, Mſtorum conſenſu confirmatur. Quin etiam Stobaeus ſic legit Serm. XLII. p. 287. Vulgati quidem Stobaei libri habent ἐν τοῖς θαλάμοις, ſed ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς in Codd. Regiis reperit Hugo Grotius, cuius collatio eſt in Bibliotheca Leidenſi. Aretaeus etiam Cappadox de Cauſ. Morb. lib. 7. p. 34. Τάδε πάσχει ἀμφοῖν τὰ εἴδεα, καὶ ἡ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖσι παρθένος. Quem locum vterque, Ruhnkenius et Toupius, laudant. Quod autem Iohannis verba II, 1. καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγίνετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, ad ἀνακαλυπτήρια, quorum in hac ſectione mentio eſt, ad *Repotia* vt Latini dicunt refert, et verba ſic vertit: *tertio poſt nuptias die erat conuiuium nuptiale in Cana Galileae*, nondum probamus.

Sect. 12. σκηπτῷ τινι παρεικάζοιτ' ἂν ἢ κεραυνῷ recte tuetur contra quosdam, qui mallent iſta corrigere, et aut χειμάῤῥῳ, aut aliud vocabulum ſubſtituere, et conferri iubet Valkenar. ad Eurip. Hippolyt. p. 212. Addi poterit Potterus ad Lycophron. p. 144. qui, quid σκηπτὸς ſit, quid κεραυνὸς, quoad conueniant, quid differant, planiſſime docet.

Sect. 13. init. τὸν τύπον οὐκ ἀγνοεῖς, *formam eius* (Platonis) *ac morem ſcribendi non ignoras*, notam locutionem merito tuetur. At in notis quoque interdum offendimus,

Sect.

Sect 17. A nemine adhuc Interpretum intellecta verba, καὶ πῶς παραληφθεῖσα ἡ τοῦ πανουργεῖν τέχνη τοῖς κάλλεσι καὶ μεγέθεσι, emendatione, παραλειφθεῖσα, ſcite et commode explicat. Nempe vt verbum ſit παραλείφειν, occurrens apud Ariſtotelem in Rhetor. III, 4. quod ſignificat *illinere, oblinere*, non παραλείπειν, vt adeo hoc denotetur: *ſplendore verborum fraudes obtendere et oblinere.*

Sect. 22. προεισέβαλε γοῦν εὐθὺς ἀπὸ τοῦ φόβου, recte verti iubet: *Exorſus eſt ſtatim ab ipſo metu.* Sicut et nos intelleximus in recenſendo Cl. Mori noſtri Longino, in Act. Erud. anni CIↃIↃCCLXVIIII. p. 519. Ac in aliis etiam quibusdam ibi notatis, nobiſcum facere Cl. Toupium gaudemus.

Sect. 23. Neceſſariam non putamus correctionem, vt pro ἀλλ' ἐκεῖνα μᾶλλον παρατηρήσεως ἄξια, legatur ἀλλ' ἐκεῖνο μᾶλλον παρατηρήσεως ἄξιον. Frequens enim eſt enallage numeri omnibus ſcriptoribus, et hic de vi nominum in plurali poſitorum cummaxime agitur, vnde ipſius Longini oratio facile ad hunc numerum delabi poterat.

Sect 28. per θήλειαν νοῦσον aliud Herodotum, aliud recentiores intellexiſſe, notat. Cum ibi citatis comparetur Ern. Gottl Boſii, Viri Exc. et Exper. Proluſio *de Scytharum νόσῳ θηλείᾳ, ad illuſtrandum locum Herodoti*, anno ſuperiore 1778. Lipſiae edita.

Sect. 31. e corrupto πτικώτατον ſcite fit ποιητικώτατον. Mox autem Sect. 32. de elegantiſſimo verbo, et a nemine Interpretum intellecto, ἐπιπροσθεῖν, diſputatur, ac ἐπιπροσθεῖν τῷ πλήθει τῶν τροπικῶν docetur eſſe, *multitudinem troporum obnubilare et abſcondere.* Eſt enim, non *proruere*, ſed *obtegere.* Suidas: Ἐπιπροσθεῖ· ἐπισκιάζει. Cum aliis rarioribus habet Philo de Spec. Legg. p. 744 qui locus ſimul emendatur: μηδενὸς ἐπιπροσθῶντος ἡλίῳ τὸ παράπαν, ἀλλ' ὡς ἐν αἰθρίᾳ καθαρᾷ ὅλος ὅλον ἀναφαίνοντι. Apud Plutarchum occurrens de Audit. p. 41. non intellectum eſt ab Reiſkio. Apud eundem quoque ἐπιπρόσθησις, *obtegumentum*, exſtat. At enim ſciendum eſt,

Digitized by Google

eſt, Cl. Morum noſtrum agnouiſſe iam pridem et retractaſſe errorem, ac de hac verbi ſignificatione dixiſſe in Act. Eruditor. anni CIↃIↃCCLXXIII. p. 88.

Ibid. τόν γε μὴν σπλῆνα τῶν ἐντὸς μαγεῖον. Sic enim e Cod. Vat. edidit pro μαγειρεῖον. Idem autem μαγεῖον eſſe dicit quam ἐκμαγεῖον, de quo merito aliquis dubitet. Neque enim quod ἐκμάττεσθαι et ἀπομάττεσθαι frequentatur, ideo dicendum μάττεσθαι quoque in vſu fuiſſe quod ſecus eſt. Exempla quoque allata ἐκμαγεῖον tantum illuſtrant, vno excepto in Anthol. lib. 6. p. 571. τόν τε μαγῆα σπόγγον.

Sect. 34. Vocem εὐγένεια, fruſtra ſuſpectam Ruhnkenio, qui ἐμμέλεια legebat, recte tuetur Photii Bibl. p. 525. et Quinctiliani X, 1. locis. Nimirum, vt nobis videtur, ἐμμέλεια eſt *dicacitas*, quae poteſt eſſe etiam ſeruorum et ancillarum, et aliorum de plebe hominum; εὐγένεια habet *ſales et iocos liberales*, quibus vtuntur et delectantur ingenui, et rebus optimis inſtituti.

Sect. 35. editum eſt: καὶ ποταμοὺς, ἐνίοτε τοῦ γηγενοῦς ἐκείνου καὶ αὐτοῦ μόνου προχέουσι πυρός. Eleganter. In altero haerebat Ruhnkenius, qui αὐτόχθονος legebat. At αὐτοῦ μόνου defendit Toup. et vertit, *fluuios ſubterranei iſtius et puri puti ignis.* Iuuat hoc confirmare loco Philonis de Agric. p. 193. αὐτὰ μόνα τὰ ἐπιτήδεια, *non niſi neceſſaria.* De αὐτὸ μόνον alibi egit, ad fragmenta Longini p. 248. Ac de eleganti hoc Graecismo, ad vindicandum Heſychii locum contra Pauum et Doruillium Vann. Crit. p. 269. diſputatum eſt ab Abreſchio, Dilucidatt. Thucyd. p. 56. Nobis videbatur adhuc corruptus eſſe Thomas Mag. v. Βασίλεια, et ibi pro αὖ μόνον legendum αὐτὸ μόνον.

Sect. 36. verba ὑπὸ τοῦ Φθόνου παρανοίας ἁλῶναι, a nemine Interpretum intellecta docet ſignificare, *ab ipſa Inuidia dementiae argui.* Elegans hoc quoque, vſitatum autem Graecis, vt exempla declarant. Eiuſdem generis eſt Sect.

V 39.

39. ὅσα γε τῆς θεωρίας ἦν ἡμῖν ἐφικτά. Cum θεωρία ſit *inſtitutum, argumentum,* vertenda ſic iſta: *In duobus libris ſatis expoſuimus quantum huius argumenti nobis erat perſpectum.* Ibid. χεύσει καὶ μίξει τῆς συμφωνίας, recte ſcripſit κράσει καὶ μίξει. Niſi fortaſſe κλάσει· cf. Sect. 41. ῥυθμὸς κεκλασμένος λόγων, et Philon. de merced. meret. p. 862. κλάσεις ἐμμελέστατοι φωνῆς, in quibus impegit Mangeius.

Sect. 42. τὰ ἐκτάδην ἀπόψυχα τὰ γὰρ ἄκαιρον μῆκος ἀνακαλούμενα. Locum iquinatiſſimum ita dedit: δῆλον δὲ ὡς ἔμπαλιν τὰ ἐκτάδην ἀπόψυχα, ἅτε παρὰ μῆκος ἄκαιρον ἀναχαλώμενα. *Conſtat autem, ea quae nimis extenduntur eſſe frigida et emortua, quippe quae ob intempeſtiuam longitudinem relaxentur.* παρὰ eſt *propter*, vt παρὰ τοῦτο 1. Cor. 12, 15. *propterea.*

Sect. 43. λόφους ἀντωθουμένους. Dedit συνωθουμένους *colles tumulosque congeſtos.* Sed nonne eandem ſententiam refert ἀντωθουμένους? *colles prominentes* vertimus in Actis hiſce iam memoratis a. CIↃIↃCCLXIX. p. 510. In hac ipſa ſectione extrema dedit: Ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐπ' οὐδοὺς ἐπείγει τὰ μικροποιὰ διαριθμεῖν, e veſtigiis MSS. Par. et Vat. οὐκ ἐπιδοὺς ἐπείγει. *Sed haud neceſſe eſt ea, quae orationem deturpare ſolent, particulatim enumerare.* Οὐκ ἐπείγει, οὐ κατεπείγει, et οὐδὲν ἐπείγει, eſſe *nihil neceſſe eſt*, item τὰ κατεπείγοντα denotare *neceſſaria*, exemplis allatis pateſcit. Sane hoc elegantius quam vulgatum δεῖ, e quo tamen Pearcius hanc quoque verſionem formauit: *Sed enim non neceſſe eſt, ſingula quae minuunt orationem enumerare.*

Toupius igitur non omnes varietates librorum, quos ſibi ad manus fuiſſe memorat, enotauit, nec ſeparatum eis locum dedit, ſed notis intermiſcuit. Texta verborum plerumque ad eum modum formauit, quem in notis proponit. Quod, etſi audentis et fiducia artis elati eſſe videtur, tamen arbitramur et fatemur, eum critica poteſtate non cupide et libere, ſed moderate vſum fuiſſe. De fragmentis quoque Lon-

Digitized by Google

Longini, ab aliis editoribus fere neglectis, bene meritus eſt. Ad ea §. 7. conſtituit etiam verba Scholiaſtae ad Ariſtophanis Nub. 263. τὸν δὲ ἀέρα προσεύχεται ἐπὶ αἱ νεφέλαι τὔτυ. Μερικοῖς φιλοσόφων λόγοις, ſic: τὸν δὲ ἀέρα προσεύχεται ἐπὶ αἱ νεφέλαι τὔτυ μέρη ἢ κατὰ τὒς φιλοσόφων λόγυς. — Μερικοὶ certe philoſophi non commode dicuntur.

Caeterum haec quoque, cum aliis Graecorum auctorum editionibus in Britannia natis, commune habet hoc, vt in ea inſint crebrae mendae typographicae. Quod diximus, item affirmauit et probatum dedit Reiskius, in praefatione Dionyſio Halicarnaſſeo praemiſſa.

IOANNIS IACOBI REISKE CONIECTVRAE IN IOBVM et PROVERBIA SALOMONIS, cum eiusdem Oratione de ſtudio Arabicae linguae.

Lipſiae typis Guil. Gottlob Sommeri MDCCLXXIX.
22. plagg. octonis.

Pietati, amori coniugali, nulla fatorum vi exſtirpando, ſtudioque litterarum ſingulari, quo ornatiſſima vidua Reiskii perpetuo incenſa flagrat, vt alia ſcripta Viri Celeberrimi poſthuma, ita et hoc Opuſculum debemus, quod non modo continet Coniecturas, vt titulus libri prae ſe ferre videtur, ſed etiam explicationes atque illuſtrationes, ex nullo alio fonte quam ex Arabica lingua ductas, cuius amori Vir ſummus ita indulſit, vt ſolum ope harum literarum, atque critices, vel corrigendi licentiae, veram reperiſſe auctoris ſententiam ſibi videretur; cum plurimi Iobi interpretes

hoc vnum egerint, *vt auctor ſuus ludibrio cauillatoribus fieret, vt cloaca nugarum, vortex barbariei, et inſaniae videretur.* Nec ſane negandum eſt, multos interpretes in expediendis huius libri difficultatibus haeſiſſe, quod tamen non tam inſcitiae linguae Arabicae, cuius dialecti ope etiam multi veterum, ſine vlla vero iactantia vſi ſunt, quam potius antiquitati libri, eiusque ſcribendi generi, formae orationis dialogicae, carminis rationi incognitae, aliisque fortaſſis cauſis tribuendum eſſe videtur. A Capite III, v. 3. ad cap, XLII, 6. metricam eſſe orationem, ex ſententia Hieronymi Praefat. in Iobum, hexametris verſibus conſtantem, et veteres, et recentiores cum Iudaei, tum Chriſtiani conſentiunt. Quum permulta Arabicae linguae veſtigia in libro Iobi reperiantur, adeo vt ſint qui vel Iobum ipſum, vel quendam amicorum, fata ſua Arabicis literis tradidiſſe ſibi perſuadeant: b. Reiske hoc ſibi agendum putauit, vt hebraicas voces Iobi cum Arabicis verbis compararet, Arabicae linguae ope ſenſum, qui ſibi videretur, erueret, quomodo legendum quoque ſuſpicaretur, hic et illic traderet vſus, vt fatetur, nullo alio adiumento, quam Schultenſii Commentario. Coniecturarum eius atque obſeruationum quaedam exempla dabimus, vt cognoſcatur, quam rationem b. Reiske in interpretando ſecutus ſit, qua in re ſe noluiſſe Theologum, ſed modo Criticum agere, profitetur. Capite III, a quo initium cepit explicandi Iobi, verſu 3. legendum ipſi videtur אמי חרה גבר *nox, qua concepit mater mea virum nobilem et honeſtum* mutato Pyal in Kal et voce אמר abſolute poſita in אמי. Verba verſus 4. אל־ידרשהו poſſunt duplici modo exponi vel illo conſueto *non requirat eum Deus* vt aegrum deſperatum, vel *dies hic fiat caligo, quam non deleat, et detergat deus.* Verſu quinto צלמות non eſt compoſita vox, ſed vnica, כמרירי vero ſunt *calyptrae noctis* vel *ſubluſtres tenebrae* colorem muſtelinum habentes *τὰ ἀμφίλυκα τῆς νυκτός*, *ſeptimo* verſu comparatur natalis Iobi cum

cum dura ſilice: *Vt dura ſilex ſurda et muta eſt, ſic ille dies non edat iubilos, non audiat.* גלמוד notat *omne ſolidum* ל enim inſertitium eſt. Si conferantur loca Iobi XV, 34. et XXX, 3. vbi Graeci interpretes vtuntur vocibus ἄκαρπος, ἄγονος his quoque vis huius vocis גלמוד confirmari poſſe videtur. Beſtiam *Leuiathan* dictam, qualiſcunque fuerit quod non eſt huius loci disquirere b. Reiske verſu 8. abeſſe iuſſit legens לוית חך reddensque *qui parati ſunt ad volutandum in puluere et coeno cinnum ornabilem, vel crinium vel florum:* Iobi XVI, 15. יעצי ארץ v. 14. ſunt δημιυργόροι oratores et נגש v. 18. notat *truſorem, impulſorem* qui mancipia ad opus vel ad cataſtam pellit כי v. 24. ſaepiſſime in hoc libro reddit beatus Reiske per *Ecce* vel *heus*, quia reſpondet Arab. حيّ particulae exclamandi. Capite IV, v. 5. Reiske coniicit legendum כי בעתה תבא *ecce incurſat in te terror* vt et v. 13. vult legi בשעפי *in dementari me, in turbatione mea propter viſiones.* Verſu 14. קראני aut eſt *frigidum me fecit* a קרה *frigus* aut eſt pro קרני *contudit me* alternantibus ע et א. Verſu 19. videtur ipſi legendum ידכאו מלפני עש *qui conteruntur ab ore tineae* proprie *ab eo, quod ante eſt tineae* i. e. a tinea et משים vel eſt a כשם *absque dante reſpirare* et ſi ſic explices, pertinebit ad יכתו vel quod rectius a שום *absque vt quis ſolutis vinculis libere paſtum ire ſinat* et tunc ad ſequentia pertinebit. Verborum capite V, v. 5. ſic legendorum ואלם צנים יקחר ea videtur eſſe ſententia: *et robur, diuitias eorum, capiebant aegri, miſeri, pauperes et lue peribat ſelectiſſimum et puriſſimum opum ipſorum* חוצות v. 10. ſunt vel *piſcinae, ſtagna* vel *loca depreſſa, valles.* Vox שוט v. 21. vel cum سوط *flagellum* comparari pote, ſt vel cum سطن *effrenis graſſatio* vel cum شاط *vſſit, combuſſit.* Verſui 24. is ſenſus tribuitur: *Et ſcies* (abſens in itinere) *tentorium tuum* vel et *familiam tuam ſartam tectam eſſe,* vel et, *et quieſces, tranquillus eris, reſpicies ad foſſam tuam* i. e. domum retro meabis, requires eam poſt abſentiam aliquam, et non

V 3 aberra-

Digitized by Google

aberrabis, non fruſtra requires eam verſus vero extremus ſic redditur *Ecce hoc eſt, quod in penum nobis recondideramus*, (haec eſt ſapientia, quam traditam a maioribus fida ſeruamus aure) *ſic eſt quod audiuimus.*

In ſermone Iobi quiritantis de inhumanitate amicorum ſpemque melioris ſortis capientis cap. XIX. Reiske v. 3. pro תהכרו mauult legi תחברו *rixamini mecum* et v. 5. pro אמכם legi אטכם hoc ſenſu. *An funes contra vel ſupra me torquebitis*, an argumenta litis contra me intendetis Funis eſt Arabibus ſymbolum omnis eius, per quod ad optatum finem perueniri poteſt: hoc igitur loco omnis cauſa, et praetextus, quo tanquam fune aduerſarius implicari ac proſterni poteſt. Verſu 10. legendum videtur יחצני quod eſt vel *depilat*, *deglabrat* vel *denudat oſſa mea* ואלך *vt nudus ſceletus adſtem.* Verſum 25. et ſeq. ſi ex Arabiſmo conuertantur hunc dare ſenſum b. Reiske, de reſurrectione mortuorum cogitaſſe Iobum negans, docet: *Quis efficiet vt videam meam foueam et vt poſterus poſterior aetate quis ſuper tumulo meo flet* i. e. vtinam mortuus ſim. *Et quis efficiet, vt poſtquam ceu fuſte contuſa eſt per hunc morbum cutis mea, et carnoſae meae partes diffluxerunt a ſe inuicem et ab oſſibus abſceſſerunt, videam deum, qui dirimat meam litem, contempler, ego, conſpiciam mihi meis ipſis oculis luſtrem, non alius.* Voces vero priores v. 26. ſic conſtituit ונאחו ואתר עורי נקף, מבשרי atque de voce ונאח conſulere iubet locum Prouerb. XXX, 27. quo et nos ipſi iubemur relicto Iobo quaſdam coniecturas b. Reiskii e Prouerbiis laudare, atque in conſpectum proferre.

Vt ex praefatione ante hos triginta annos ſcripta intelligitur Commentarius Schultenſii in Prouerbia Salomonis tum modo natus, atque recens, huic libro natales dedit, atque Viro maxime induſtrio vires ſuas primum in Prouerbiis Salomonis tentandi commodam occaſionem praebuit. Quum enim Vir doct. Schultenſiani libri et virtutes et defe-

ctus

ctus in Actis Eruditorum anni quadrageſimi noni menſis Ianuarii commemoraret: multa diligentius perſcrutatus eſt, quaeque ibidem dixit, hic digito modo attigit. Sic cap. VI, v. 3: pro ורהב legendum eſſe monuerat והרב i. e. *multiplica tuas cogitationes*, verſa tua conſilia in omnes partes, quae explicatio, vt nos quidem videmus, et huic loco conuenit, et haud longe quaeſita videtur.

Quum b. Reiske Cap. XI, v. 3. יסלף בגדים שודם legendum putat, priori ſubſtantiuo in verbum, extremo Verbo in ſubſtantiuum mutato, hoc ſenſu *ſtudium omnia peruertendi praeuaricatores peruertet* (a via abducet) non reſpexiſſe videtur morem ſcriptoris vtrumque membrum voce eiusdem generis finiendi vt h. l. ſibi reſpondet ישרם et תנחם. Verſu 21. eiusdem Capitis יד ליד recte explicari *a filio ad nepotem*, ab hoc ad pronepotem, intelligitur ex oppoſito זרע. Quod verſu 22. וסרת טעם et חסרת טעם ſignificatione non differunt: non erat, quod Reiskius receptam lectionem ſollicitaret, vt et v. 27. vbi pro יבקש reperiet, ילקש legendum arbitratur. Capite XI, v. 17. b. Reiske pro יגיד צדק mauult legi עד צדק vt reſpondeat τῷ עד שקרים quae tamen correctio haud videtur neceſſaria, cum יפיח אמונה (אשר) opponi videatur τῷ עד שקרים et voces אמונה et שקרים vt et צדק ac מרמה bene ſibi inuicem reſpondeant. Vocem יקרא v. 23. eo ſenſu accipi poſſe docetur, quo Arabes dicant قرا *deriuare aquam in lacum, vt os ſtulti ſit quaſi lacus in quem e pectore ſuo deriuet omnem futilitatem*. Magis tamen cuperet legi Vir doct יקדא i. e. *exaeſtuat ſuas quisquilias*. Ex Arabica lingua illuſtrantur v. 25. דאגה vt notet *obnubilationem, caliginem* c. XIII, . 2. נפש *deſiderium cupiditas* v. 9. ישמח idem ac *alte ſe eleuabit* v. 19. נהוה *ſuis terminis et repagulis incluſum deſiderium* v. 33. רב *ſaepe eſt* i. e. o quam *multi ſunt comedentes* vt alia taceamus. Nolumus enim in his diutius morari certo ſperantes, fore, vt multi et litterarum ſacra-

rum

rum recte intellegendarum cupiditate allecti, et fama doctrinae Reiskianae commoti, hunc Commentariolum legendum ipſi, atque examinandum, arbitrentur. Subiuncta atque adiecta eſt huic libello Oratio ſtudium Arabicae linguae commendans, quam Reiskius die vigeſimo primo menſis Auguſti anni quadrageſimi octaui huius ſeculi Profeſſionis Arabicae linguae extraordinariae adeundae cauſa in conſeſſu Doctorum recitauit, in qua etſi non ſcribendi elegantia, non dicendi vis, diffuſae tamen doctrinae copia cernitur. Cauſis enim nonnullis neglecti ſtudii Arabicarum literarum enumeratis, Vir Cel. hoc agit, vt quanti fructus, quantae vtilitates, quanta commoda in eos redundent, oſtendat, qui cum ſacris litteris recte interpretandis dant operam, cuius rei Pocokius, et Schultenſius egregia documenta dedere, tum qui de iure reſpondent, hiſtoria imperii Saracenorum rerum politicarum ſtudioſis maxume fructuoſa, tum qui in arte Medica docenda exercendaque verſantur Arabum genti vniuerſa chymia pharmacia et parte non contemnenda materiae medicae in acceptis referenda, tum denique qui ad matheſin, geographiam, hiſtoriam et poeſin vel diſcendam, vel docendam naturae impetu, ingeniique felicitate feruntur, Arabibus in hoc literarum genere niſi excellentibus haud tamen plane nihil praeſtantibus. Quamuis igitur ſtudium linguae Arabicae non ſit multorum, nec lucroſum, nec facile: tamen eſt honeſto animo digniſſimum, atque dolendum, non vidiſſe b. Reiskium, quae ſub finem orationis optaret: *Vtinam* enim ſcribit *excitaret almum prouidumque rebus humanis numen opulentum aliquem et liberalem Muſageten qui opes — coemendae impenderet bibliothecae codicum manuſcriptorum Arabicorum, et erigendae typographiae Arabicae qualis olim Romae fuit inſtituta, ex qua vt alios taceam ignobiliores, Auicenna, et Geographus Nubienſis prodierunt. Vtinam Lipſia noſtra, niſi opulentae, certe eruditae Germaniae caput vexillum tolleret ceteris vrbibus omnisque, generis bonos li-*

libros Arabicos tanquam ex diuite cornu Copiae profunderet.

At ne longiori mora lectorum patientia abuti velle videamur; laudanda quoque paucis videtur Epiſtola huic libro praemiſſa quam b. Reiskii vidua *Petro Friderico de Suhm*, Cubiculario primi ordinis in aula Danorum regis, grati animi teſtandi cauſa ſcripſit. His enim literis venuſtis, nec foemina docta indignis, cum defuncti mariti vel potius amici, quo nomine ipſi vti placuit, tum ſuo nomine gratias agit, gratamque beneficiorum memoriam nunquam ſeſe depoſituram ſpondet. Scribit vero, malumus enim ornatiſſimae Reiskiae, quam noſtris verbis vti: *piis manibus viri mei quaſi iuſta facis, et inſigni pietati quaſi inferias publice inſtituis, comparatis aere non exiguo omnibus, qui nondum editi in pluteis meis reſtarent, foetibus ingenii Reiskiani, iisque in ampliſſima bibliotheca Tua repoſitis, non vt tibi ſoli aut tineis ſeruiant, aut per cancellos tantum ſpectentur, ſed in omnium vſum, praeſertim Tui ſimilium, ſerues, bonamque partem harum lucubrationum publici iuris facere conſtituiſti. — — a me Tua erga me inſignis gratia extolli et verbis explicari ſatis non poteſt. Tu enim Muſas meas humi repere, et cum rerum inopia conflictari noluiſti, tu pectus ſollicitum de futuro, tacitis leuatum curis, conſolatione ſuſtentaſti non minima, tu viduam penſione annua inſtruxiſti munifice, de quo mihi vehementer gratulor.* Gratulamur et nos digniſſimae Reiskiae de hac ſingulari felicitate, optamusque, vt omnibus probis atque honeſtis viduis doctorum virorum, quibus ſaepiſſime cum paupertate conflictandum eſt, tales obtingant patroni atque tutores.

Digitized by Google

Johann Heinrich Lamberts — Pyrometrie, u. ſ. w.

h. e.

IOHANNIS HENRICI LAMBERT, nuper Soc. Scientiar. Berolinenſis Membri ordinarii, etc. Pyrometria: cum tabb. aer. 8.

Berolini, apud Haude et Spenerum, Alph. 2. pl. 3. in 4.

Diu exſpectatum hoc immortale opus patientiam eruditorum exercuit; viginti enim fere anni praeterlapſi ſunt ab edita photometria, quae quaſi prodromus ſpem tum fecerat orbi erudito, fore, vt ſuo tempore ederetur pyrometria. Sed quamuis iuſto forte tardius celeb. auctor, quam vel ipſe propoſuerat, nomen contractum diſſolueret, tarditatem tamen abunde compenſauit grauitate atque praeſtantia doctrinarum. Eſt naturale quoddam vinculum, quo pyrometria photometriae iuncta, multarum rerum explicationes et demonſtrationes ex eadem repetit; quod etiam reliquis matheſeos vtriusque diſciplinis familiare eſt. Multa occurrunt in ſcriptis Philoſophorum ad pyrometriam ſpectantia, diſperſa tamen, nec omnia certa, ambigua multa, non rite ſuis gradibus determinata vel vitio praecipitationis, vel etiam inſtrumentorum admodum rudium. Plura autem praeſtitit Lambertus, quam vt iſta omnia in formam artis colligeret; et collegit profecto ita, vt profundiſſimi Geometrae acumine nouiendo augeret, inuentis aliorum apte committeret, certa incertis ſubſtitueret, et impenetrabili caligine inuoluta retegeret. Cum inter experimenta inſtituta vel inuitis nobis et inſciis etiam ſubinde inaequaliter admodum operantes cauſae ſeſe inſinuent, fieri profecto nequit, quin multum a calculo recedant phaenomena, neque

adeo

Digitized by Google

adeo exſpectationi reſpondeat euentus; quo quidem caſu ſuo officio ſatis feciſſe cenſendus eſt experimentator, ſi anomaliarum nodum inexplicabilem vel indicauerit, vel ſcite praeſciderit. Atque vt a vulgaribus ordiamur; quis vnquam demonſtrauit, calorem et lucem ab vnica cauſa venire? non enim haec duo vbiuis in comitatu ſunt, ſed ſeiuncta comparent, ita vt ſentiatur calor ſine luce, lux ſine calore. Quamobrem a genuinis principiis et legibus Philoſ. experimentalis non recedit, nec entia praeter neceſſitatem quod dicitur cumulat, qui non ex vnico fonte lucis calorisque explicationem ſumit; quam viam, teſte *Plutarcho*, nonnulli antiquiorum Philoſophorum tentaſſe dicuntur.

Corporum ambientium nec frigus, nec calorem, proprie loquendo ſentimus, quamuis ex ſenſu frigoris aut caloris, quo membra conſtringuntur vel extenduntur, ratiocinando colligamus, corpora extra nos poſita frigida vel calida eſſe, hocque iudicium ſaepiſſime ſit vitium ſubreptionis. Acutiſſimus auctor huius obſeruationis inter experimentandum tenaciſſimus fuit adeo, vt in deſignandis caloris gradibus non vnice ſpectaret qualitatem corporum, ſed ſimul ad vtramque circumſtantiarum coniunctionem adtenderet. Effectus caloris maxime conſpicuus eſt in extendendis corporibus ſolidis aeque ac fluidis, ne aëre quidem excepto, qui calore ſeſe inſinuante maximis etiam preſſionibus reſiſtit, hisque remotis quaqua verſus expanditur. Patiuntur talem expanſionem metalla, vitrum, Mercurius, oleum, aqua, Spiritus vini, aliaque fluida, diuerſis tamen legibus, in quibus detegendis Lambertus multum laborauit, licet difficultate rerum impeditus omnia ad liquidum non perduxerit. Vtitur vero inprimis hoc effectu caloris non tantum in cognoſcenda ſpatiorum, per quae diffunditur calor, diuerſitate, verum etiam in determinando quolibet gradu ad arbitrium. Et profecto, huic rei iam olim Philoſophis aër viſus ſuit ac-

commodatiſſimum adminiculum, qui etiam occaſionem praebuit inueniendorum thermometrorum, quorum vſus ſatis etiam inter non eruditos iam pridem innotuit. Itaque accuratam thermometrorum hiſtoriam dedit b. auctor, talemque theoriam philoſophicam, quae et ambiguitati graduum conſuleret, et a rigore geometrico quam fieri poſſet minimum aberraret. Res eſt profecto admodum intricata, cum rectitudo thermometrorum indicis fere ab accurata ſolutione quaeſtionis: num ſcilicet aequales extenſionis gradus, aequales ſemper caloris gradus indicent? pendeat. Quoniam autem in ſoluenda hac quaeſtione res tota redit ad certum medium communicandi thermometro aequales caloris gradus, temporis partibus aequalibus, viſus fuit celeb. Lamberto ſol meridianus ad hoc cognoſcendum aptiſſimus. Itaque radiis ſolaribus expoſuit thermometrum ſpiritu vini repletum, deſignaturus eius adſcenſionem ſingulis minutis; cumque primo minuto adſcenderet ad $\frac{11}{8}$ iam proxime ſequentibus ad quartum decimum continenter decreſceret, ita vt proxime ante vltimum minutum altitudo eſſet $\frac{2^\circ}{5}$ tantum; pateretque, hanc inaequalitatem a calore ſolis eodem manente toto experimenti tempore nullatenus eſſe deriuandam. Prona hinc fluxit concluſio: *thermometro apricanti maiorem a ſole fuiſſe communicatum calorem, quam aëri, quandoquidem thermometrum aliud in vmbra haerens, intra idem 14′ tempus, ad inſenſibilem fere altitudinem adſcenderat.*

Quia corpus quoduis, aëre calidius, neceſſario pedetentim frigeſcit; euidens ſane eſt ratio, cur Spiritus vini in thermometro Lambertiano ſingulis minutis non vniformiter extenderetur; atque ſucceſſiue ſingulis tempuſculis tanto plus caloris perderet, quanto maior fuerat ante communicati caloris:

ſoris gradus. Calculus inde enatus primum quidem experientiae non ſatis reſpondit, tandem vero, tubo ab aſſerculo remoto, parte ſuperiori aperta, globoque circumiacentia corpora non tangente, experimento repetito magis eidem ſatisfecit. Quod ad legem fundamentalem, vnde omnis ratio de communicatione caloris eſt dependens, attinet, quaeue ſtatuit, calorem ſingulis minutis ex frigeſcente corpore effluentem eſſe eius calori quem habuit proportionalem: de eius veritate et naturali euidentia priusquam legiſſet opuſcula Neutoni, ſciretque, hunc Philoſophum eiusdem principii experimentando iam pridem vſum feciſſe, adeo perſuaſus erat vt tum de eius demonſtratione condenda ne cogitaret quidem. Et quamuis eruditus Amonton acerbo admodum animo experimenta Neutoni cenſuerit, nihilo tamen ſecius Lambertus noſter, ea quam iniit via, acriter perrexit, docuitque modum et conditiones explicandae eius legis, cuius explicationem diductiorem ab eius ſequelis petiit.

Idcirco ergo ſimpliciſſimum caſum euoluit, quo globus non adeo magnus, materiae fluidae, qualis v. c. aër eſt, impoſitus, ſucceſſiue frigeſit. Atque hic ex mente auctoris potiſſimum exceſſus caloris in globo pedetentim euaneſcentis in cenſum trahendus eſt. Quodſi iam hic exceſſus caloris, ponatur $= y$, eius vero tempus exprimatur per t, ac quouis alio tempuſculo $= dt$, exeat ex globo caloris quantitas dy; tum, ſi quantitas dt ſit conſtans, vi vtique legis fundamentalis etiam $dy : y$ conſtans erit. His ergo ita conſtitutis, oritur aequatio $-\frac{dy}{Y} = \frac{dt}{T}$, in qua formula quantitas T. homogenea eſt numeratori dt. Poteſt valor quantitatis y per ordinatas lineae logarithmicae exhiberi, cuius ſubtangens ſit $= T$, abſciſſae vero $= t$; vnde etiam aſſumto valore $t = 0$, $y = v$, ſequitur ſua ſponte, fore

Digitized by Google

$$l\frac{v}{Y} = \frac{t}{T} \text{ ideoque } y = v.e^{-t:T}$$

Iam ſuperiori ſeculo magnus Neutonus aſſumſit, quantitatem d y quouis tempuſculo ex corpore calido exeuntem ſequi ſuperficiem corporis, y vero ſemper ſequi ſpatium corporeum, eſſeque ideo y in globo in ratione cubi, d y vero in ratione quadrati diametri. Hanc ſententiam Lambertus veram quidem eſſe dicit, at non neglecta conditione diffuſionis vniformis caloris per corpora, quod nonniſi in globis minoribus, quales fere ſunt thermometrorum, accidere ſolet: quodſi contra corpora non ſint admodum irregularia, homogenea tamen, neque ſummus petatur rigor, poni poſſe, *ſubtangentem refrigerationis eſſe in ratione directa ſpatii corporei, atque inuerſa ſuperficierum, immo ſubtangentem calefactionis aequalem eſſe ſubtangenti refrigerationis.* Quodſi calor ex igne in adiacentia corpora tranſeat, atque ob interruptas eius operationes communicati caloris gradus ſucceſſiue iterum in ambientem aerem tranſeant; iam vtique variatis circumſtantiis diuerſus calculus ad phaenomenon rite intelligendum inſtituendus eſt. In huius ergo rei vſum Lambertus condidit formulam $dy = n\,dt - \frac{y\,dt}{T}$ in qua y calorem corpori, elapſo tempore t communicatum, n gradus caloris ab igne venientes, n d t autem calorem tempuſculo d t reſpondentem, denotat. Quodſi in hac formula n ſit quantitas variabilis; omnes vtique ſub ſe complectitur caſus inaequalis calefactionis, patetque, poſito $dy = 0$ aequationem $y = nT$ exhibere *Maximum* caloris Nec minus, eadem euidentia, adhibitis integrandi legibus, formatur aequatio, ex qua directe colligi poſſit, *fore hoc caſu calefactionem prorſus eandem, quae fuiſſet, ſi corpus in aëre calore n T modificato incaluiſſet.*

Quod-

Digitized by Google

Quodſi contra quantitas n ſuerit mutabilis, vt proinde ignis ſeu ſol aequali tempore non aequales caloris gradus corpori communicet, poteſt n inſtar functionis ipſius t conſiderari; atque eatenus quantitates variabiles facile ſeparantur, vt adeo obtineatur aequatio

$$Y = (S\, n\, e^{\frac{t}{T}}\, d\, t + A).\, e^{\frac{t}{T}}$$

fitque caſus ſimpliciſſimus hic, ac quem quadret formula Lambertiana $n = a + b\,t$; ex qua ſequitur vim ignis augeri, vel etiam decreſcere ſecundum progreſſionem arithmeticam, pro quo quidem caſu valet integrandi formula ab auctore adhibita.

$$y = aT - bT^2 + Tbt - (aT - bT^2 - v)\, e^{-\frac{t}{T}}$$

Calor continuo ex corporibus effluens propemodum eas leges ſequitur, quas lux in omnes partes ſeſe diffundens; atque hinc factum eſt, vt auctor analogas quasdam propoſitiones ex photometria aſſumtas experimento inſtituto firmaret, earumque vſum in cognoſcenda caloris diffuſione demonſtraret. Adhibuit vero quinque thermometra, diſpoſuitque ita, vt globi pede rhenano mutuo diſtarent, ac tandem, batillo adhibito, ſequentem condidit tabulam, in quam referret diſtantias centrorum a foco, quadrata diſtantiarum, ac rationem inuerſam

Di-

Diſtantiae Digit.	Quadrat. diſt. nr.	Inuerſ. rat.
12, 62	159, 3	1, 0000
23, 05	531, 3	0, 2998
34, 51	1191, 3	0, 1337
46, 25	2139, 3	0, 0740
58, 10	3375, 3	0, 0472

thermometra non erant repleta mercurio, ſed Spiritu vini, debebantque ideo vel maxime magis a batillo remoueri. Caeterum diametri globorum notantur numeris 8, 3. 5, 2. 6, 8. 6, 1. 9, 5. Altitudinem vero Spiritus adſcendentis ſequens tabella ſiſtit:

Tempus.	I. Therm.	II. Therm.	III. Therm.	IV. Therm.	V. Therm.
2'' 16'	0, 0	0, 0	0, 0	0, 0	0, 0
16	0, 2	0, 1	0, 1	0, 0	0, 0
17	1, 1	0, 7	0, 2	0, 1	0, 1
18	2, 2	1, 2	0, 3	0, 2	0, 2
19	3, 2	1, 6	0, 4	0, 3	0, 3
20	4, 2	2, 1	1, 6	0, 4	0, 4
22	5, 8	2, 7	0, 0	0, 5	0, 6
24	8, 6	3, 4	1, 3	0, 7	0, 7
26	10, 9	3, 9	1, 6	1, 0	0, 8
28	12, 5	4, 3	1, 9	1, 2	0, 9
30	13, 7	4, 7	2, 1	1, 3	1, 0
32	14, 5	5, 1	2, 4	1, 5	1, 1
34	15, 2	5, 3	2, 6	1, 6	1, 2
36	16, 0	5, 4	2, 7	1, 7	1, 3
38	16, 0	5, 4	2, 7	1, 7	1, 4
40	15, 7	5, 2	2, 8	1, 8	1, 4
42	15, 0	4, 8	2, 7	1, 7	1, 4

Quamuis

Digitized by Google

Quamuis vis caloris, ob multifarias minusque praeuiſas cauſas concurrentes, infinitis etiam mutationibus obnoxia eſt; idem tamen gradus caloris tanto operatur vehementius, quanto eſt aër denſior quem permeat: cuius quidem euentus miri rationem beatus auctor exinde deriuat, quod partes corporis communicatum a particulis igneis ictum propagent, atque adeo quaſi multiplicent. Intelligi hinc porro poſſe aſſerit, qui fiat, vt communicando corporibus ſolidioribus calori aequali, minor particularum ignearum quantitas ſufficiat, quam quae requiritur ſi corpora fuerint rariora. Compluribus ſcriptoribus iam olim haec veritas innotuit, erantque, qui eam ad formandam proportionem geometricam, experientiae repugnantem, adhiberent, ideoque putarent, quantitatem particularum ignearum eſſe in ratione ſoliditatis corporum reciproca. Itaque peropportune monuit auctor, vires corporum, quas cohaeſiuas dicunt, magis in cenſum trahi debere, quam ipſam ſoliditatem. Inuenit videlicet, exiſtente vbique calore aequali, quantitates particularum ignearum in maſſa mercurii vnius digiti cubici, ſpiritu vini, atque aqua, eſſe perpetuo in ratione numerorum 4, 6, 7. Licet etiam ſaepiſſime quantitas caloris cum particularum ignearum quantitate reapſe coincidat, nihilo tamen ſecius, monente auctore, multi ſunt caſus obuii, quibus haec duo diſtinguere permultum interſit. Et profecto, methodus, qua hoc diſcrimen, quod paradoxum videtur, comprobauit, tantum habet acuminis et elegantiae, vt ingenio ſui auctoris perfecte digna cenſeri debeat. Atque intelligentia eius diſcriminis in his potiſſimum momentis cernitur: duorum corporum homogeneorum, inaequalium tamen, eodemque caloris gradu aſſumto, maior nihilominus plus caloris continet minori; ac quamuis caloris vis in vtroque eadem prorſus ſit, *quantitatem tamen caloris creſcere in ratione voluminis corporum, euidenter patet.* Contra ſi corpora homogenea aequalia, inaequali imbuta fuerint calore, quantitas

 calo-

caloris hoc quidem caſu vtique eius vi proportionalis erit. Quodſi ergo duorum corporum A et B caloris quantitates denotentur litteris Q et q, atque V et v deſignent operandi modum, M vero et m corporum A, B magnitudines; orietur ſua ſponte analogia; Q: q = V. M: v m, in qua ratio poſtrema compoſita eſt.

Cum vero corpora fuerint heterogenea, eadem quidem adhuc obtinet ratio, tantum eo caſu, quo tranſitus fit caloris ex corpore in corpus, ad inaequalitatem operationis ſeu effectus animaduertendum eſt; igneae nimirum particulae proprie tantum tranſeunt, quae non promiſcue in quibusuis corporibus eandem vim conſeruant et exſerunt. Conſilium itaque acutiſſimi auctoris eo tendit, vt quantitates particularum ignearum ſeorſim calculentur, eumque in finem adhibeantur corpora, in quae eiusmodi particulae ſeſe inſinuarunt. Quia corpora calore extenduntur, oportet vtique ſpatium inibi occupent particulae igneae, videturque haec ipſa noua extenſio eadem cum ſpatio ab occupantibus particulis igneis repleto, adeo vt ſi triginta digiti cubici ſpiritus vini accedente calore extenderentur ad triginta et vnum digitum, ſpatium ab igneis particulis occupatum, vnius ſit digiti, poſſitque ſano ſenſu dici maſſam, ſeu quantitatem igneam efficere vnicum digitum cubicum. Aliter longe comparata res eſt mutato corpore. Dum nimirum eaedem particulae igneae mercurium permeant, vires earum duplum propemodum augentur, quo fit, vt idem digitus cubicus maſſae igneae in hoc fluido comprimatur fere ad $\frac{9}{40}$ digiti cubici. Similes obſeruationes etiam ſuppeditant alia corpora, et b. Lambertus mutabilium eiusmodi euentuum rationem reperiſſe ſibi viſus eſt in elaſticitate particularum ignearum vi cuius, ſecundum vires cohaeſionis corporum diuerſas, etiam ipſum ſpatium neceſſario di-

ner-

uerſum eſſe debet. Quod iam adtinet ad ſubtangentem, eiusque magnitudinem, quoties aquam, vel etiam alia corpora tangimus, eam plerumque breuiorem iuſto fieri ſolide demonſtrauit, oſtenditque, quantitatem caloris ſolaris pendere tum a denſitate radiorum, tum etiam a duratione eorum, atque magnitudine ſuperficiei ſuper qua diffunduntur.

Corpus quoduis ardens in ratione ſubtangentis negatiuae frigeſcit, niſi deficiens calor per continuum materiae inflammabilis affluxum ſuppleatur. *Etenim*, ſi eo tempore, quo *ignis maximum* ardoris gradum adtigit, affluxus ceſſet, *imminuetur* ardor continenter ſecundum ordinatas *lineae* logarithmicae, cuius prima ordinata ſit $= 3000$, ſubtangens autem $= 1^h\ 3600''$. Ex calculo ergo auctoris erit defectus caloris tempuſculo dt conueniens $= \frac{3000\, dt}{3600} = \frac{5\, dt}{6}$ gr. cumque affluxu durante, exceſſus 3000 graduum remaneat, ſequitur, ſubſequenti quouis tempuſculo dt itidem $\frac{5\, dt}{6}$ euaneſcere, atque iterum accedere, imo *Maximo* inuariato manente per horam integram, fore ſummam caloris euaneſcentis $= \frac{5\, dt}{6} \cdot \frac{3600}{dt} = 3000$, aut $\frac{3000}{12}$ ſi loco horae tantum $\frac{1}{12}$ eius temporis ſumatur. Iam ergo igne ſucceſſiue langueſcente, exceſſus quidem 3000 remanet aliquamdiu, quod ad intenſionem adtinet, quamuis copia ignearum particularum interea decreſcat. Vt autem huius incrementi et decrementi accuratior ſit obſeruatio, iubet complura circa ignem ſuper foco exſtructum thermometra circumlocare ita, vt globi libere exponantur ardo-

ri,

ri, quo facto ope ſubtangentis refrigerationis facile, vt patet, ſingulis minutis determinari poterit, quantus fuerit caloris ad thermometrorum globos acceſſus, atque a poſteriori conſtrui curua cum ſuis ordinatis affluxum denotantibus. Quod reliquum eſt, illuſtre hoc pyrometriae opus merito habetur explanatior commentarius *Tentaminis de vi caloris, qua corpora dilatat, eiusque dimenſione*, olim actis helueticis inſerti, in quo celeberrimus auctor momenta ad praeſens negotium ſpectantia ſummatim tantum expoſuerat. Natura rerum pertractatarum non patitur ſyſtema ab omni hypotheſi remotum, quale eſt geometria vulgaris et ſublimior; ſique fuerint ſumtiones ingenioſae, veritatibus abſtruſis aliquantum explicandis inſeruientes, ferendae erunt tamdiu, quoad nouus alter Achilles mathematicus certiora protulerit.

EVSEBII VERINI COMMENTATIO IVRIDICA critica, de hereditario Iure Sereniſſimae Domus Auſtriacae in Apoſtolicum Regnum Hungariae: de Iure eligendi Regem, quod Ordinibus inclitis Regni Hungariae quondam competebat: de Corregente, Rege Iuniore, et Ducibus Regiis, quos olim Hungaria habebat.

Viennae et Lipſiae apud Ioh. Frider. Iahn MDCCLXXI. in 8.

Quisquis huius Commentationis pereruditae auctor ſit, videtur enim vti ficto nomine, praeſtitit profecto quod inſtituerat, laudabili admodum induſtria, qua verſatur non

non tantum in colligendis infinitis fere ſcriptorum in ſententiam ſuam documentis, ſed etiam in propellendis opinionibus hactenus peruulgatis; nec niſi defectu veriorum in hiſtoriam Hungariae intruſis. Repetit vero rem omnem pertractandam a primis fere temporibus, quibus nomen Hungarorum inclaruit, ſummamque rerum in Arpadum, filium Salmutzi, ſeu Almi, deuenit; hortante ad id inprimis Chagano, Chazariae Principe. Rem ita geſtam narrat *Conſtantin. Porphyrog.* de adminiſtrando Imperio, Cap. 38. quem auctor excitat.

Hunc Arpadum Monarchiam Hungaricam iure hereditario fuiſſe conſequutum, atque ita in poſteros transmiſiſſe, multis argumentis firmauit, inprimis autem antiquiſſimo omnium diplomate (an ſuppoſititio?) quo fundatio primae in Hungaria Abbatiae in monte Pannoniae, S. Martino dicatae, exponitur. Creditum fuit olim, ſuntque nunc forte etiam non pauci qui putet, primum Hungarorum Regem Stephanum, titulum honoresque regios ſumſiſſe a Pontifice Romano Silueſtro II. ſed fabulam hanc eſſe affirmat Verinus, quod Bulla huic Pontifici adtributa Seculo demum ſuperiore, per *Raphaelem Lewakovich*, Croatam, Ordinis minorum obſeruantium, et S. Theologiae Lectorem, impudica induſtria, docente hoc *Adamo Franciſco Kollar*, Viro ſummo, conficta eſſet; neque etiam *Petr. de Ludwig* ſententiam, ſtatuentis, Stephanum regale diploma ab Henrico Imperatore accepiſſe, honoratiore loco habendam cenſet. Placuit ei, ſponte ſibi ſumere titulum Regis, nemine contradicente. cum regia poteſtate longe ante iam vſus eſſet, adeo vt falſum pronunciet Verinus, cum nouo regis titulo accepiſſe Stephanum quandam in ſubditos poteſtatem, qua antea caruerit: quinimo ne doceri quidem poſſe vel leuiſſimis argumentis, occaſione primae huius coronationis Ordines Regni diploma quoddam a S. Stephano accepiſſe.

Domeſtici rerum hungaricarum Scriptores fere omnes vno quaſi ore clamitant, maiores ſuos libere, proprioque nutu, Stephanum in Regem Hungariae elegiſſe, et Iura maieſtatica, dum coronaretur, in eum transtuliſſe, hacque ſimul occaſione poteſtatem eius regiam, legibus, quas dicunt fundamentales, valde fuiſſe circumſcriptam. Adhuc horum nonnulli eo deuenere, vt aſſerere non dubitarent, primum Hungarorum Regem, cum primis eius ſucceſſoribus, non tam Imperium ſummum, ICtis directum et eminens dictum, quin Iuris quandam duntaxat dictionem obtinuiſſe. At vero horum Scriptorum argumenta ita eneruat clariſſimus Verinus, vt, ſi ſtet hiſtorica fides, rem omnem confeciſſe dicendus ſit. Non hoc tantum, ſed et hereditarium fuiſſe Hungariae Regnum a prima origine ad noſtra vsque tempora, quod Toxus reuera pater eſſet omnium Hungariae Regum, exceptis tantum Matthia I, et Zapolya, perſpicue docet, partim ex Decreto S. Stephani, et confirmatione Decreti Andreae II. partim vero ex Matthiae Regis Decret. V. art. 2. cuius ſequentia verba profert: *Si quisquam Regum, heredem in tenera aetate conſtitutum reliquerit, Palatinus ex officio tenetur et debet illum tanquam tutor in Regnis et Dominiis paternis conſeruare, et fideliter conſeruare.* Et ſane, quis ſit talium Decretorum valor, quidue ſpectent, prorſus dici nequit, ſi electionis, non vero hereditatis iure, Reges creabantur.

Poſtquam Reges Hungarorum, comperta Regis iunioris auctoritate, noxia ſibi, regnoque fatali, eandem abrogaſſent; orti ſunt Corregentes Saeculo XIV. Refert eruditiſſimus auctor nouae huius dignitatis initia ad Ludouicum I. quaeue cum eadem coniuncta fuerint iura diligentiſſime explicat: fuiſſe nimirum poteſtatem Corregentis longe diuerſam ab ea, qua eſſent olim Duces, et iuniores Reges; exercuiſſe eum plenam poteſtatem regiam, aegrotante Rege, aut

aut extra regnum commorante; retinuiſſe dignitatem ſemel acceptam, defuncto quoque Rege; absque conſenſu eius regem nouum in locum demortui eligi non potuiſſe; habuiſſe cum Rege communes quosdam reditus, bona etiam propria, de quibus libere diſponeret. Quibus fuſe ſatis diſputatis, ad eam tractationem progreditur, qua rationibus inuictis ius herediarium in Regnum Apoſtolicum Sereniſſimae Genti Habspurgico Auſtriacae aſſerit; huiusque iuris originem ad aetatem Sigismundi Imperatoris refert, atque male notat Hungarorum conſpirationem Anno 1505. factam, qua fuit decretum, vt Vladislao, eiusque heredibus maſculis forte extinctis, perduellionis reus habeatur, qui externum aliquem Principem eligendum exiſtimaret. Reapſe irritum fuiſſe hoc Decretum Verinus noſter non absque argumentis contendit. Maximilianum etenim iure quod habuerat priuare iuſte non poterant Ordines Regni, nec poſt fatalem cladem Mohatſianam vlla legendi Regis neceſſitas fuit, quod eſſent Ferdinandus Archidux Auſtriae, eiusque vxor Anna, heredes Regni, quorum ius ſuccedendi in dubium vocare iura diuina, humanaque vetuere.

Leopoldus, reportata inſigni victoria, regnum Hungariae interitui proximum fortitudine et prudentia vindicauit, praeualuit nihilo ſecius apud Imperatorem clementia, quamquam poſſet vti victoria, legesque praeſcribere. Itaque ab Ordinibus regni obtinuit, vt clauſula extremi articuli Decreti Andreae II. tolleretur, et poſteri ſui maſculi ea lege in regno ſuccederent, vt Primogenitus reliquos anteiret. Cur vero Imperator hac tempeſtate maſculorum tantum heredum, excluſis ſexus ſequioris, mentionem fecerit, eius rei has adducit auctor rationes. 1) Quidem, ſunt verba Verini, necdum videbatur conſultum, ius, quod lege expreſſa primogenitis eſt adtributum, ad femineos etiam heredes extendere. Qui in Hungariae hiſtoria non prorſus ſunt hoſpites

ſpites, illis conſtat, quanto labore et induſtria opiniones praeiudicatae, de iure legendi Regem, Hungaris eximi, his in Comitiis debuerint. 2) Habebat eo tempore Leopoldus duos iam filios, Ioſephum et Carolum Archiduces, ſperabatque, per hos antiquiſſimam proſapiam Habſpurgico Auſtriacam, ſeram in poſteritatem propagatum iri. Nec ipſe Leopoldus ſpem adhuc plurium filiorum obtinendorum depoſuerat. 3) Altera in linea Auſtriaca vnicus erat Princeps Carolus II. Rex Hiſpaniarum. Certum iam fere videbatur, eum filium nullum relicturum ſuperſtitem, quia tamen eius et Hiſpanorum fauorem Leopoldus tueri volebat ſollicitius; quidquid adfini huic voluptatem quandam adferre poterat, id Auguſtus multa cura faciebat. Qua re id inprimis intendebat, vt eius poſt obitum liberis ſuis eo faciliorem ad Hiſpanica regna et imperia acceſſum pararet. 4) Fundamentum iuris huius hereditarii, et conſtitutionis, in pactis, quae Fridericus III. Imperator cum Matthia I. Rege Hungariae inierat quaerendum eſſe videtur. Cum vero Ferdinandi non minus, quam Caroli poſteri, eum Patrem ſatoremque communem reuereantur: propterea in ordine hoc quoque, ſucceſſionem in regno Apoſtolico concernente, linea Caroli Hiſpanica non videbatur praetereunda.

In fine commentationis denique adiunxit auctor breuem hiſtoriam ſanctionis pragmaticae, qua ius hereditarium Sereniſſimae Domus Auſtriacae accuratius determinatum fuit, quaeue Hungaris, quorum tamen fere pars maxima paullo ante de conſtituendo regno electitio egerat, adeo arriſit, vt praeter ſpem omnem atque exſpectationem vltro eam aſſumerent. Legitur celebris haec ſanctio in principibus articulis Decreti Anni 1723, cuius ad propoſitum ſpectantia momenta haec ſunt. „In defectu ſexus maſculini „ſacratiſſimae Caeſareae et Regiae Maieſtatis, quem defectum „Deus clementiſſime auertere dignetur, ius hereditarium

„ſuc-

„ſuccedendi in Regnum Vngariae, et coronam, ad eamque „partes pertinentes, prouincias et Regna, iam diuino auxilio „recuparata et recuperanda, etiam in ſexum Auguſtae „Domus ſuae Auſtriacae femineum, primo loco quidem ab „alte fata modo regnante ſacratiſſima Caeſarea et Regia „Maieſtate, dein in huius defectu a diuo olim Ioſepho: his „quoque deficientibus, ex lumbis diui olim Leopoldi, Impe„ratorum et Regum Vngariae deſcendentes, eorumque legi„timos Romano Catholicos ſucceſſores vtriusque ſexus, Au„ſtriae Archiduces, iuxta ſtabilitum per ſacratiſſimam Cae„ſaream ac Regiam regnantem Maieſtatem, in aliis quoque „ſuis regnis et Prouinciis hereditariis, in et extra Germa„niam ſitis, primogeniturae ordinem, iure et ordine prae„miſſo, indiuiſibiliter ac inſeparabiliter, inuicem et inſi„mul, ac vna cum Regno Vngariae, et partibus, regnis, „et prouinciis eidem annexis hereditarie poſſidendis, „regendam et gubernandam transferunt etc.“

HOMERI ILIAS, EX RECENSIONE SAMVELIS CLARKII, in vſum Scholarum et Academiarum edidit, notas adſperſit, Clauem adiecit, AVG. HERM. NIEMEYER. Volumen primum.

Halae, impenſis Ioannis Iacobi Gebaueri, cum Priuilegio Saxonico Electorali, 1778. plagg. 22. in 8. mai.

Poeſin Homericam, ad omnes deinceps et ligatae et ſolutae orationis ſcriptores, ita tranſiiſſe, vt plurima inde,

 cum

Digitized by Google

cum rerum, tum verborum ornamenta, ſuis quique operibus intermiſcerent et intexerent, non eſt quod multis argumentis doceri debeat. Nec quisquam paullo humanior dubitat, quin ab Homericorum carminum lectione, cognoſcendorum intelligendorumque reliquorum omnis generis et aetatis Scriptorum, adiumentum ingens perueniat ad omnes, qui Graecarum litterarum expertes eſſe nolint. Vt autem adoleſcentes hunc Poetam ſtudiis frequentent, carum habeant, legant, ediſcant, opus eſt et magiſtris bonis, et editionis commodae exemplis non raris et paucis, ſed crebris et paratu facilibus. Senſit hunc defectum, qui lectionibus ſuis in Halenſi Academia hunc poetam interpretari conſtituiſſet, Auctor huius editionis, Vir Cl. Satis quidem parabilem eſſe videbat, quam curauit *Hogerus*, Homeri ἔκδοσιν; magna vero mendarum typographicarum copia inquinatam, typorumque tenuitate impeditam, omnibus denique, quae aliquid facere poſſint ad ſubleuandum tironem, ſubſidiis deſtitutam eſſe intelligebat. Neque erat in illo viro doctrinae atque ingenii tantum, quantum commendando vel tironibus Homero, et enucleando, pertinere quiuis, nobis non monentibus, intelligit. Eam autem, quam poſt Clarkium ſuis curis ornauit et illuſtrauit Ven. *Erneſtus*, (quem Deus nobis et litteris ſeruet,) quam omnibus graecarum litterarum cupidis commendari debeat, quam paucis commendari poſſit, neminem fugere arbitramur, qui reputauerit, quam anguſta eorum plerumque ſit res, qui maxime Graecorum Scriptorum amore teneantur. Adhuc enim bonae mentis ſoror eſt paupertas. Igitur in noua Iliadis, nam huius tantum, vt videtur, terminis continebitur labor, editione adornanda, textum ſequi iuſſit editionem Clarkio-Erneſtianam, quam a vulgatis non niſi paucis in locis diſceſſiſſe conſtat. Verſionem Latinam abiecit. Nam et Homerum numquam aſſequi; verſus elegantiſſimos et magnum poetae animum vehementer ſpirantes, frigidiſſimos reddere;

Digitized by Google

re; tironum denique in legendo ſtudia reprimere intelligebat. Ex eadem editione Erneſtiana varietatem lectionis multis in locis notauit, vt aliquam ſaltem iuuenes materiam haberent, iudicium criticum excitandi, acuendi, et adhibendi. Quod conſilium nobis, vt debebat, vehementer placuit. In animaduerſionibus conte tui ſubiectis duplex ſe fatetur ſequutus eſſe conſilium, cum diſcentium, tum docentium vſibus accommodatum: alterum, vt loca difficilia explicaret, ſiue circumſcriptione, ſiue comparatione locorum parallelorum, vel *ipſius poetae*, vel *poetarum Graecorum* et *Romanorum*; alterum, vt iis, quibus explicandi Homeri *ſuſtinendae partes ſunt*, copiam praeberet, *latius et diſertius* enarrandi poetae virtutes, abſconditas praeſertim, nec ſtatim cuiusuis ſe ingerentes notitiae. In his partim opibus Commentariorum veterum, Pſeudodidymi et Euſtathii, partim admonitis recentiorum, Popii inprimis et ſimilium detegendis et indicandis adiutus eſt. Horum etiam imitationes, iudicia quorumdam, Klotzii et nonnullorum, de locis Homericis, protulit, refutauit, aut a quibusnam ſint refutata enotauit, ipſe non pauca, vernaculo idiomate conuerſa, dedit. Igitur admiratores recentiorum poeticorum opuſculorum, hac tanquam eſca inuitati, hoc libentius vtentur paratis. Alii, ſeueriores, ea tenebunt, quae antiquam et grauem doctrinam produnt. Quae, quamquam Clarkio et Erneſto fere ſublecta ſunt, nec tamen temere, ſed loco poſita pro inſtituti ratione reperiuntur. Ac, vt ſpecimen aliquod notarum demus, obſeruetur, ait ad Il. α, 435—441. mira in narrandis rebus minutiſſimis breuitas. V. 528—530. Locus dignitate ac ſublimitate celeberrimus praedicatur. De hoc enim exemplo Phidias ſe diuinam Iouis Olympii imaginem mutuatum eſſe profitebatur. *Macrob.* V, 13. Cf. loca parall. *Virg.* Aen. I, 407. X, 115. et *Ouid.* Metam. I, 179. *Winkelmann* Geſchichte der Kunſt, *Leſſing* Laocoon V, 599. *Plato* hunc locum in re-

Digitized by Google

prehenſionem vocans de rep. I, 3. quaſi philoſophi potius perſonam induens, quam aequi artis poeticae iudicis, repudiatur. Iniquius, quam par ſit, in hunc locum inuehi *Klotzium* in epiſt. Homer. p. 75. ſq. cuius accuſationem egregie refutari ab auctore libri, Kritiſche Waelder II, 23. Nimirum ἄσβ. γέλωτα non eſſe *immenſum riſum*, ſed dulcem illum ſummae diuinaeque voluptatis ſenſum, qui diis immortalibus paſſim tribuatur. Vulcanum non hiſtrionem agere, ſed ſermonibus ſuis litigantium iras reprimere. Nos vero arbitramur, verbis in hanc ſententiam acceptis, veram eorum vim admodum infringi, veterum Grammaticorum explicationibus obſtrepi, nihil denique profici ad deorum Homericorum dignitatem defendendam, quam multo grauiora, quam riſus eſt, vitia iis tributa, ſatis labefactant. *Maxim. Tyr.* Diſſ. 24, 5 καὶ θεοὶ πίνοντες καὶ γελῶντες θεοὶ ἄσβεστον γέλωτα. Alias ἀκραιφνής. Idem Maximus Tyr. Diſſ. 2, καταγελάσεται γέλωτα ἀκραιφνῆ. Heſychius ἀκραιφνής· καθαρὸς, ἀκριβὴς, ἀληθής. Il. β, 212—227. Totum hoc epiſodium Klotzio aliisque, carminis epici grauitatem dignitatemque parum decere viſum fuiſſe; quorum accuſationes acerbe et diſerte refutaſſe ſupra laudatum Virum eruditum, in Kritiſchen Waeldern II, p. 35. ſq. et eſſe profecto pulcherrimam Therſitis, et ad deformitatem animi, et ad prauitatem corporis inſignis, deſcriptionem, maximeque aptam ad lectoris animum, infinitis ducum contentionibus fatigatum recreandum et diſtrahendum. Sed verbo *diſtrahere* pro auocare et aliorſum vertere, non bene vtitur V. Clar. V. 700—710. obſeruari iubet quam diſerte Proteſilaum iſtum laudauerit, lectorumque de praematura eius morte commiſerationem mouerit, argumentis a familiae nobilitate (v. 700. 701.) animi virtute, (702.) militum in eum amore (704. 710.) ductis. Il. γ. v. 306. Aen. XII, 151. admonentur lectores, quam curioſe Homerus heroum imagines ad naturae exem-

exemplar expreſſe it, quod ſaepe in ſequioribus poetis, quin etiam hiſtoricis, deſideretur, apud quos non raro in magnis, quos inducunt, viri, aliqua conſtantiae ac animi magnitudinis affectatio appareat, humana parum digna natura. Homericos heroes homines eſſe, humani nihil a ſe alienum putare, V. 409. Notaſſe *Bentleium* ad Hor. Od. I, 9. vim voculae ἐγ, quam Latini quoque imitentur. Iſtam vero elegantiam linguas recentiores prorſus ignorare, vix cum Clarkio contendere audet. Patriam certe linguam eam agnoſcere ait, v. g. Verachte die Goetter, Du, die Unſterblichen nicht. Nobis videbatur veriſſima eſſe Clarkii opinio nec hoc vno exemplo, per ſe non ſatis apto, demonſtrari latius patentem voculae iſtius apud Graecos Latinosque vſum, quam in praecipiendo. Il. δ, 194. φῶτα, ait, videtur abundare. Forte idem eſt h. l. quod apud nos *Held Machaon*. Il. ε, 49. ἀμ. Θηρ. Epitheta iſta breuioresque deſcriptiones, ſingulorum quos a Graecis victos narret heroum, multum facere ad ſummam iſtam varietatem, quam in proeliorum enarrationibus admiremur: vid. de h. v. Popium. At referantur quoque alius generis quaedam: Il. α, v. 97. βαρείας χεῖρες ſunt, ait, μεθ' ὅπλων βεβαρημένας e nota Erneſtii. Nos putabamus eſſe *hoſtiles, damna ferentes, nocentes*; Pſal. XXXI, 4. ἐβαρύνθη ἐπ' ἐμὲ ἡ χείρ σου. Il. β, 143. ὅσ' οὐ βουλ. *qui conſilia Agamemn. non ſatis perſpecta habebant ac cognita*. Sic omnes interpretes. Quid, ait, ſi legerem οὗ? — Senſus: Quicunque conſilium audiunt, mouentur omnes. V. 543. ὀρεκτ. μελ. quibus nempe cominus pugnabatur. Hoc enim eſt ὀρέξασθαι, cui opponitur πάλλειν; cf. *Strab.* X. Il. ε, 234. φθόγγον ποθέοντε: forte, ait, improprie de gubernatione, vt apud Virgil. Nec audit currus habenas. Non opus eſt, ſi quid videmus. Sermo eſt de equis, qui libenter obtemperant, et delectantur moribus et voculis etiam eorum, a quibus tractari conſueuerunt. Docet *Xenophon*, de re Equeſtri, aſſuetudine

οὐ μόνον φιλεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ ποθεῖσθαι homines ab equis. V. 441. Ἶσα θεοῖσιν φρονέειν, non eſt, inquit, *paria meditari*, ſed *conari*; *diis ſe aequiparare.* Nempe ita haec verſio ferri poteſt, ſi meditari ſumatur pro exercere, vt ſaepe. Et quia verbum φρονεῖν in Noui Teſtamenti quidem libris de iudicio de rebus et animi affectione erga rem ſimul dicitur, apud Graecos autem ſcriptores fere de affectione ſola ponitur, non abſurdum ſit φρονεῖν vertere *adſpirare*, *ſibi arrogare*. Il. Λ, 225. ἥβης ἐρικυδέος μέτρον. Ἥβης μέτρον eſt ipſa pubertas ſ. iuſta pubertas. Bene. At quod ſequitur, ἐρικύδης dicitur iuuentus, quia appetentiſſima eſt gloriae, et gloriae quaerendae aptiſſima, quamquam eſt Ven. Erneſtii, tamen veremur vt verum ſit. Videtur ἐρικύδης, luculentus, hic quoque ſic poni, vt Il. γ, 65. θεῶν ἐρικυδέα δῶρα, de pulchritudine praeſtantiaque formae et corporis. Nos autem faueamus operi, clarorum et illuſtrium exemplorum *Heynii* et *Harleſii*, vt ſatis apparet, aemulatione ſuſcepto, et abſoluta altera quoque Iliadis parte, cuius dimidiam tantum hoc volumen tenet, cum Claue, ſingulorum verborum explicationibus inſtructa, Cl. Auctori laudem allaturo.

NOVA LITTERARIA.

PROPOSITA SVBSCRIPTIO OPERIS CVI NOmen: Hiſtoria Critica comitatus Hollandiae et Zeelandiae, Auctore A. KLVIT, eloq. et lingu. graec. Profeſſ. in illuſtr. athenaeo Medioburgi in Zeelandia, ibidemque Scholarum Rectore.

Nemo ignorat, et ne ipſi quidem exteri diffitebuntur, quam parum nota exteris ſit genuina *Comitum Hollan-*

landiae et Zeelandiae Hiſtoria; et per quam ſpiſſas tenebrarum nebulas penetrare ii debeant, qui linguae Belgicae cognitione deſtituti, vel munere cogente, vel impellente animo, quidquam antiquioris noſtrae Hiſtoriae prodere memoriae aggreſſi ſunt; Germanos praeſertim innuo, et Gallos. Immo in rebus huic aetati propius admotis dolent Noſtrates, interdum vix noſtrarum regionum eam, quam par eſſet, haberi rationem. Ipſe ROBERTSONVS, egregius ille ero qui Vitae Caroli V. Imp. Comitis noſtri ſcriptot, hac in parte culpa vix immunis nonnullis perhibetur. Quam tamen litem vt noſtram facere prorſus detrectemus, ita fatendum tamen eſt, vetuſtam noſtrorum Comitum hiſtoriam, originem, vitam, fata, iura, dominia, feuda, tanta adhuc caligine eſſe obruta, vt non modo peregrinis, ſed ipſis etiam indigenis, operae hinc pretium facturus eſſe auctor videatur, ſi illorum res illuſtratum eat. Vt autem ſciret Lector, quid exſpectare poſſet, non ante de ſubſcribendis nominibus cogitatum eſt, quam quaedam Operis particula, praelo liberata, in publicum prodire iuberetur. Prodit igitur nunc *Prior Pars Tomi primi,* quae complectitur: *Chronicon Comitum Hollandiae, omnium quotquot ſunt antiquiſſimum, quod XII. priorum Comitum res geſtas vsque ad infelicis* ADAE, *Comitiſſae, Ludouici Loſſenſis vxoris, fata, recenſet;* quodque tamquam reliqui Operis baſis et fundamentum futurum eſt, *perpetuo vberrimoque* ab editore *Commentario* illuſtratum; adiectis etiam DD. virorum A MATTHAEI, DOVZAE, SCRIVERII, aliorumque obſeruationibus. De quo videri poteſt Praefatio ad Lectorem.

Pars altera huius Tomi, quae deinceps ſequetur, complectetur *Excurſus aliquot,* ad quos in Chronico ſaepe prouocatur; qui vt ad pleniorem rerum intellectum omnino faciunt, ita prolixitatis ergo in alteram hanc Partem reiecti ſunt, et tot circiter paginarum plagulas, *quaterniones* quos vo-

vocant, continebunt, quot prior Pars. Sunt autem ſequentes XI.

Excurſus I. ad a. 728. p. 9.

Num S. Wulfrannus Epiſcopus Senonenſis Radbodum Friſonum Regem a. 719. aquis febriuis luſtrare potuerit? Qua occaſione IONAE FONTANELLENSI vitae S. Wulfranni ſcriptori lux affunditur, et eius interpolationes indicantur.

Excurſus II. ad a. 863. p. 16.

De vera origine vocum *Theoderici, Feodi, Leodii, Alodii, Neomagi*, et ſimilium.

Excurſus III. ad a. 1018. p. 44.

De prima *Zuidhollandiae*, olim ſub *Merewedae* et *Flardingae* nomine cognitae, occupatione per Comites, *Hollandiae* poſtea dictos.

Excurſus IV. ad a. 1057. p. 48.

Vindiciae Chronici Hollandiae contra Vir Ill. Huydecop. ſuper infeodatione *Walacriae* facta ab Henrico Imperat.

Excurſus V. ad a. 1063. p. 50. 55.

De fatis et rebus geſtis *Roberti Friſonis* Comitis Holland. poſtea Flandriae, praeſertim in Hollandia.

Excurſus VI. ad a. 1063. p. 53.

De *Hollandiae* et *Friſiae* ſub Roberto Friſone diſtinctione.

Ex-

Digitized by Google

Excurſus VII. ad a. 1168. p. 118. et 158.

De Zeelandia Occidentali, et quomodo inter Flandriae et Hollandiae Comites iuris controuerſi dicta ſit.

Excurſus VIII. ad a. 1198.

De Comitatus *Ooſtorgoae et Weſtergoae* conditione ſub Wilhelmo I. poſt Com. Hollandiae, fratre Theoderici VII.

Excurſus IX. ad a. 1200. p. 173.

Vindiciae Chartae Brabantinae de *Feudo Zuidhollandiae* a. 1200.

Excurſus X. ad a. 1203. p. 176. ſq.

De iure deuolutionis Comitatus Hollandiae poſt mortem Theoderici VII. Comitis, relictis filia *Ada*, et fratre *Wilhelmo*.

Excurſus XI. ad a. 1203. p. 180. 188.

Genuina *Adae*, Comitiſſae *de Los*, vxoris Ludouici Comitis de Los, poſt illorum fugam, ex authenticis Documentis et coaeuis Scriptoribus illuſtrata, vindicata.

Tomus II. complectetur *Codicem Probationum* ad antecedens Opus ſpectantium, id eſt, Codicem integrum Chartarum ſiue Diplomatum, maximam partem ineditorum, et ex ipſis Originalibus cum Sigillis depromtorum; ex quibus multa priorum Comitum *Sigilla*, hactenus nec noſtris in terris, nec alibi vnquam publice viſa, vna cum *Scripturae ſpecimine* in aes incidenda, curabuntur. Chartae, quas dabo, ex Archiuis *Inſulenſibus*, *Bruxellenſibus*, *Namurcenſibus*, *Medioburgenſibus*, variisque Abbatiis depromtae,

numerum 300. excedent; quamquam duntaxat ab a. 839. vsque ad annum 1324. ſeſe extendant; quorum ingens pars FRANCISCO VAN MIERIS, noſtri *Codicis Diplomatici Comitum Hollandiae et Zelandiae* Conditori, penitus fuit incognita, vel non adhibita, vel Belgice tantum, vel mendoſe edita.

His Tomis duobus, qui integrum per ſe corpus abſoluunt, ſuccedet proxime *ipſa Comitum Hollandiae et Zeelandiae Hiſtoria critica*, variis abſoluenda *Diſſertationibus*, an dicas *Commentationibus*, pro rei argumento plus minus prolixis, quarum hic ſequitur Catalogus.

Diſſertatio I.

Diſſertatio Chronologico diplomatica, quam omni in poſterum dubio eximetur, duas illas *Donationum Chartas*, quas hactenus plerique Noſtratium, immo et exteri, Carolo Caluo a. 863. et Ludouico German. a. 868. attribuerunt, non alios agnoſcere datores, nec annos, quam *Carolum Simplicem* a. 922. et *Lotharium* Reg. Francorum a. 969. Vnde laetior poſtmodum lux Hiſtoriae Comitum, et explanatior rerum ſeries euadet.

Diſſertatio II.

Diſſertatio Critico genealogica, ſiſtens Origines et Genealogiam Comitum Hollandiae, ex Domo *Widikindea*, *Billungana*, et *Gandauenſi* repetendam.

Diſſertatio III.

Diſſertatio Critico-hiſtorica, de Regno Friſiae et rebus geſtis inde ab aduentu Sancti Willibrordi a. 690. vsque ad a. 734. quo quidem anno *Regnum Friſiae*, ſub Carolo Martello, Franciae Maioredomus, in poteſtatem Francorum deuenit, et in Ducatus formam redactum eſt.

Diſſ

Diſſertatio IV.

Diſſertatio Hiſtorico-politica de Francorum Imperii adminiſtratione politica; vbi de Francorum Rege, populi conditione, et eius ſtatu quadruplici, Praelatis, Comitibus, Dynaſtis, Ingenuis, ac Ruſticis. Porro de Regis dominiis (*Domainen*); de bonis Eccleſiarum, Nobilium et Ingenuorum. Inquiritur, quae ſit natura Fidelium, ſeu Vaſallorum; quae ratio Beneficiorum ſiue Feudorum, et origo Dominiorum (Gall. *des Seigneuries*). Quid ſint Duces, Comites, Comitum Vicarii et Centenarii, Scabini, Miſſi Regii, Pagi. Denique Francorum Placita, Regum Palatia, Leges, Capitularia ectt. ſtrictim explicantur.

Diſſertatio V.

Diſſertatio Critico-hiſtorica de rebus in Friſia geſtis ab a. 735. vsque ad annum obitus Caroli M. 814. in qua de multiplici et iterata Friſiae inter Francos diuiſione; de rebus S. Bonifacii noſtris in terris; de Radbodi Regis Friſiae poſteris; de bellis Friſonum et Saxonum cum Carolo Magno geſtis. Denique disquiritur, qua in re proprie conſtiterit illa *libertas*, quam ſibi a Carolo M. donatam Friſii tantopere iactant.

Diſſertatio VI.

Diſſertatio Hiſtorico politica, ſiſtens origines Friſiorum politicas ſub regibus Francis: in qua fuſius ex ipſis Chartis et coaeuis monumentis probatur, omnia ea, quae Diſſert. IV. de adminiſtratione Francorum politica diſſeruntur, etiam in his terris per haec tempora valuiſſe, et locum obtinuiſſe, agiturque de Statu Populi Friſiae in genere; in ſpecie de Eccleſiaſticis, Dynaſtis, et Comitibus, de Ingenuis et ſeruis, horumque differentia, miniſteriis, ac iuribus. Re-

Digitized by Google

cenſeatur Friſiae Duces, et Comites, Regum et Fiſci in Friſia Bona; Bona Eccleſiarum, et Dynaſtarum, eorumque creſcens potentia. Porro iura Comitum, et origo Comitum hereditariorum, imprimis Hollandiae, Teiſterbantiae, Zutphaniae, Cliuiae, Benthemiae, ett. ſummatim propoſita.

Diſſertatio VII.

Diſſertatio Hiſtorico-iuridica, de forma iurisprudentiae Friſiorum ſub Regibus Francorum, hiſtorice propoſita.

Diſſertatio VIII.

Diſſertatio Critico-hiſtorica de rebus Friſiae geſtis ſub Regibus Francorum, a Carolo M. vsque ad captiuitatem Caroli Simplicis Reg. Francor. ab a. 815—922. quo anno 922. Theodericus Comes ſua dona ac bona a Rege Francorum accepit, quando Regnum Lotharienſe ditionis Germanicae eſſe coeperat.

Diſſertatio IX.

Diſſertatio Hiſtorico-politica, ſiſtens Pagos medii aeui Friſicos, ex chartis et coaeuis monumentis maximam partem petitos et illuſtratos, ordine alphabetico propoſitos, in quo multis locis emendatur, explicatur, augetur ALTINGIVS.

Diſſertatio X.

Diſſertatio Hiſtorico-politica, ſiſtens Origines ciuiles Hollandiae ſeu Friſico-Hollandiae ſub Germanis Imperatoribus, variis partibus abſoluta:

1) Habitus ſeu relatio Epiſcoporum Traiectenſium et Comitum Hollandiae erga Imperatores Germaniae, vna cum Catalogo Comitiorum Imperii, quibus Epiſcopi et Comi-

mites, tamquam Principes Imperii, interſuerunt, nempe in Imperatoris *electione*, *unctione*, et *coronatione*, aliisque publicis Imperii deliberationibus. Adducuntur Imperii Comitia in noſtris regionibus, *Traiecti* ac *Neomagi*, ab Imperatoribus celebrata.

2) Quid armis Epiſcopi et Comites Imperio R. G. praeſtiterint.

3) Officia alia ab Epiſcopis et Comitibus extra ordinem Rom. Germ. Imperio praeſtita: vbi docemur, inter noſtros Comites fuiſſe Imperii *Vicarium*, immo et ipſum *Regem* Germaniae.

4) Hollandiae Comitum agendi ratio cum vicinis populis.

5) Ratio et relatio Comitum erga Ordinem Equeſtrem, (Milites olim dictos), ac Terrae Nobiles; deque eorum ſtatu immediato ac mediato, et iure, in Comitiis Imperii publicis.

6) Iura Comitum in proprios ſubditos, in quibus ſequentia noua methodo diſcutiuntur: a) Homagium a ſubditis Comiti praeſtandum, ſeu potius inauguratio Comitum ſollemnis, ac diſcrimen inter Homagium Nobilium et praeſtationem fidelitatis Vrbium. b) Priuilegia Comitum cum fundamentalia tum munifica; poſtero tempore vrbibus priuatisque conceſſa. c) Status Ruſticorum et Ciuium. d) Origo Vrbium Belgicarum, earumque creſcens potentia; Origo Magiſtratuum, iuris Municipalis, ac Gildarum. e) Origo Statuum ſiue Ordinum Prouincialium: 1. Nobilium, 2. Vrbium. f) Regimen politicum Comitatus, et diuiſio

 in

in Satrapias. g) Adminiſtratio Iuſtitiae, et erectio Curiarum.

Diſſertatio XI.

Iuriſprudentia Hollandica ac Zeelandica, ſub Germanis, hiſtorice propoſita, vbi de introducto vel admiſſo iure Iuſtinianeo in Terras noſtras.

Diſſertatio XII.

De eo, quod Comites noſtri, vel Alodii, vel Feudi Imperialis titulo poſſederunt: duabus partibus, quarum prior continet: 1) Alodia Comitum, quantum ſpectant cum ad bona auita, tum ad comparata per Regum aliorumque donationes; per arma; per hereditates, permutationes cett. ex chartis aliisque monumentis illuſtrata. 2) Quid Feudi iure veniat in Comitatu Hollandiae et Zeelandiae; vbi diſſeritur de Iurisdictione Comitum, de Regalibus, de crebra Comitatus apertura, indeque orta Hoekiorum et Cabeliauiorum tumultu; de Homagio Imperio R. Germ. praeſtando ac praeſtito, et id genus aliis.

Diſſertatio XIII.

De Origine, diuerſitate, et natura Feudorum Belgicorum, imprimis Hollandicorum et Zeelandicorum; ex quibus Feudorum diuerſitas 4. Capp. abſoluitur: 1) De Feudis a Hollandiae Comitibus datis, in eoque de Curia feudali erecta. 2) De Feudis Comitibus raptis. 3) De Feudis Comitibus oblatis. 4) De Feudis Comitibus emto aut alio onere acquiſitis.

Accedent Indices varii generis.

Quae omnia *duos treſue Tomos* iuſtae magnitudinis complectentur. Ex ſuccincta autem argumentorum ſerie ſatis

Digitized by Google

ſatis intelligi poteſt, quid ſibi tractandum ſumſerit Auctor, et quantum lucis genuinae Veteris Hollandiae hiſtoriae ſit allaturus. Vti vero non alia ei mens eſt, quam vt publicae inſeruiat vtilitati, atque idcirco nulli pepercit, nec parcit, labori impenſisue, quo ea ſibi comparet adminicula, quae rebus illuſtrandis inſeruiant: tamen vt Typographorum votis obtemperet, ipſum Opus per *Subſcriptionem* offert, his conditionibus: 1) Quicumque integro Operi ſubſcripſerit, is, ſicut reliquos Tomos, ita et huius Tomi, quae nunc editur, Partem priorem, ſibi *pretio quarta parte minori* comparabit, quam qui ſubſcribere haud dignantur. Eadem quoque obtinebit ratio in *Tabulis aeneis* Sigillorum et veteris ſcripturae ſpeciminum. Vt autem ſciatur, quanti aeris pretio conſtitutum ſit opus, pro ſingulis plagellis, quales nunc offeruntur, non amplius debebit Subſcriptor, quam ſesquiſtuferum, ſiue 12. Chalcos Monetae Holland. 2) Simulatque modicus Subſcriptorum numerus aderit, integrum porro Opus typis plane nouis imprimetur, et a diſtracta hac Parte ſingulis annis ſinguli Tomi praelo liberabuntur. 3) Nihil in anteceſſum ſoluetur, ſed numerato demum opus erit argento, quotiescumque quis in publicum prodeat Tomus. 4) Nomina Subſcriptorum, vbi commode id fieri poterit, honorifice exhibebuntur.

Vbicumque hic Conſpectus publice proſtat, vel in Diariis Eruditis cum lectore communicatur: ibi fieri ſubſcriptio poterit, imprimis apud Librarios, qui vt eam mittant ad P. GILLISSEN et I. DE WINTER, typographos Medioburg. in Zeelandia, rogantur. —

Nos vehementer optamus, vt eruditiſſimi Auctoris conſilium, omni hiſtoriae, Belgicae inprimis, multis modis profuturum, feliciſſimum euentum ſortiatur, neque vllis impedimentis ſuf-

ſufflaminatum lucem videat quantocyus. Non committemus, quamprimum, beneficio auctoris, liber in manus noſtras venerit, ut per nos neſciant lectores noſtri laudes eas, quibus proſequi doctiſſimum auctorem inſtituti laudatiſſimi oporteat.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Maji Anno MDCCLXXVI.

D. IOH. PETRI MILLERI INTRODVCTIO plena in Theologiam Moralem in genere, et in Moshemianam in ſpecie.

Lipſiae 1772. 4.

Autor Libri V. Cl. cum caeteros huius generis libros, nec Moshemiano excepto, non ſatis probaret, non inanem operam ſibi viſus eſt collocare, in iſta introductione elaboranda. Idem et nos exiſtimamus. Nam ſi fidei doctorum maxime intereſt, accurata aliqua dogmatum inſtitutione vti; eorum non minus eſt curare, vt, qui de Chriſtianis moribus recte praecepturi ſunt, ſanctiore morum diſciplina rite imbuantur. Noſtris enim temporibus, quum multi Chriſtiani ritus doctores, de vita ad Chriſti normam componenda expoſituri, parum ſibi temperent quin ad

ad Ethnicorum et Naturaliſtarum placita quam proxime accedant, optime ſuas ſibi partes agere viſi, ſi illecebras orationis, et aurium potius titillationem, quam veram audientium vtilitatem, conſectentur: operae pretium facere videntur, qui illorum vanitati occurrunt, ne ſeria et grauiſſima morum diſciplina in nugatoriam et circumforaneam aliquam artem degeneret. Sed res in eo verti videtur, vt anquiramus, quae vis eſſe debeat eiusmodi Introductionis vtilis et neceſſariae, et limites definiamus, quibus circumſcripta modum ne excedere videatur: eſt enim eius notio nuper ita incerta facta, vt ſibi plane non conſtare videatur; partim illa adeo vaga, vt res contineat ab ſe alieniſſimas; partim ſibi eam vim vendicante, quam compendii verbo tribuimus. Autor quem ſenſum illi tribuat, expoſita mox libri indole, patebit legentibus. Abſoluitur is duabus partibus, vtraque in minores ſectiones, iisque mox in alias, diſtinctis. Quod primo loco poſitum eſt, generatim de moralitate agit, quadripartitum: 1) de felicitate humana in genere, 2) de primariis notionibus diſciplinae moralis, 3) de obſeruationibus pſychologicis earumque vſu in explicandis morum praeceptis; vbi de voluntate et intellectu agitur, 4) de natura hominum morali, ſiue omnium, ſeu ſingulorum: at hoc ſuperſedere potuit Autor, ſpectat enim ad Philoſophiam moralem. Nam qui Theologiam moralem diſcunt, vt eam alios doceant, eos conſentaneum eſt prius Philoſophiam et Pſychologiam didiciſſe: quare haec aliena videntur, neque hic niſi partis alterius vſus eſſe tripertitae, et 1) de lege diuina agentis. Sed, quaeſo, anne ea tractatio velut fundamentum totius diſciplinae ad ipſam officiorum expoſitionem pertinet Chriſtiani hominis? De vera ratione et ambitu Theologiae moralis 2) et de norma animi interna actiones liberas componendi, ſiue de conſcientia 3) actum eſt. Conſcientia, vero et genuino ſenſu ſumta, ad Theologiam moralem pertinet; at

L Pau-

Paulino ſpecialiori, quem autor hoc loco amplexus eſt, συνείδησις nihil eſt quam de noſtra viuendi ratione, rectane ſit, quam ſequamur, an praua? iudicium. Atqui hoc vel ad intellectum pertinet, qui non recte norma dici videtur, vel ad aliorum inſtituta, quae non ad noſtrum de iis qualecunque iudicium exigenda ſunt. Patet enim per ſe, ſi voluntas noſtra normae cuidam diuinae conformanda ſit, iudicium vnius cuiusque noſtrum ad illam exigi oportere: at illud non conſcientiam vocamus, et in accurato et ſubtili ſermone vitandae ſunt eiusmodi ambigua, etſi non e vita prorſus eliminari poſſe videantur. Nam cuius fabri aut opificis tum interna aliqua norma fingitur, cum, ſi quod opus ſtruit, illud ad normam fabrilem expendat? Omnis igitur in Theologiam moralem Introductio parte ſecunda abſoluitur, copioſa ſane et erudita, tamen, ſi quod res eſt ſpectemus, nimis ſuccincta. Primo loco definitum eſt argumentum Theologiae moralis: deinde prodita ſunt eius, qui de illa recte Chriſtianis praecepturus eſt, adminicula et indoles, id eſt, quibus litteris inſtructus, et quo animo eſſe debeat: pio nimirum, ne perfunctorie, ſed cum virium contentione ſuas partes agat, p. 304—312. Deinceps a p. 313—368. fata huius diſciplinae, a primis Chriſtianorum initiis ad noſtra vsque tempora, proſecutus eſt autor. Iam ad alia digrediamur, quae hinc inde in libro occurrunt, partem alteram potiſſimum amplexuri, quod de theol. mor. vere praecipit, non tamen altera, etſi minus huc facere videtur, plane omiſſa. P. 245. ſub legis diuinae nomine comprehendit autor praecepta Ieſu, de vita hominis cum interna, tum externa, eorumque rationes; quae omnis virtutis et ſanctificationis regula ſunt: at facultas his praeceptis inhaerendi a fide proficiſcitur, cum latiori, tum, et maxime, ſtrictiori, per quam homo particeps redditur ſalutis per Chriſtum partae, et ad illam conſequendam, ab ipſa Dei virtute, niſi impediat agentem, vires nanciſcitur. Haec praecepta, cum colle-

cta in ordinem digeſſit, tum quo modo a Chriſto prodita ſint, indicauit, §. 91—95. Rationum quoque, prout iis ad honeſte viuendum vel mouemur, vel obligamur, propoſita ſunt genuina diſcrimina; quamquam vtrisque hoc inter ſe commune eſt, vt moueant animos, §. 96. Praeceptis Chriſti, quae et noui foederis vocantur, omnes Chriſtiani obligamur, pariter ac lege genus humanum naturali, et gens Iſraelitarum Moſaica obſtringitur. §. 97. Autor exiſtimat, lege Moſaica Iſraelitas tantum teneri, neque adeo moralem eius partem vllo modo ad Chriſtianos ſpectare: cuius praecepta, quia cauſas officiorum ſiue naturales, ſiue morales, nullas contineant, ſatius eſſe ex natura rerum, et Chriſtiana reuelatione rationes peti, quibus homines noſtri ad recte viuendum inuitentur, non tamen ex libris Moſaicis: quaſi vno fonte, quae res huc vsque obtinuit, improbanda autori: 1) Quod Moſes non morum religionisque magiſter, ſatis enim populus ab vtroque inſtructus erat, ſed Dei legatus fuit cum poteſtate et imperio, cui Iſraelitae obtigerant prae reliquis populis Deo cari. Quare 2) et 3) edicta huius viri, externam regiminis et religionis formam ſpectant: neque enim rationibus ſuadent, ſed arbitrariis, ſiue poenis coercent, ſiue praemiis alliciunt, Deut. 28. 29. 30. Difficultatem, conceſſa hac ſententia videri neminem fuiſſe, qui eos ad honeſte viuendum erudiret, ita expedit, vt aut ſenatores aut ſacerdotes cum contribulibus Leuitis Iudaeorum magiſtros faciat. Quod tamen nobis non probatur: quis enim ante iſtorum tempora huic rei operam dederit non videmus, cum ne ſucceſſu quidem temporis illi doctores fuerint, nedum ab initio; nec locus Malach. 6, 7. quicquam probat, quod legem Moſaicam tantum reſpicit. Ceterum autor non negat, in inſtituendis Chriſtianis vſum aliquem eſſe Pſalmorum et reliquorum Prophetarum, ſi praeceptores morum agant; non tamen probat, ſi quis in publica ſupplicationum

ſo-

Digitized by Google

ſolemnitate, loca V. T. proponat, quae Idololatris et Sabbatorum profanatoribus, ſupplicium minentur. Denique ad confirmandam hanc ſententiam Paullum teſtem adhibet multis in locis, vbi Chriſtianos legi Moſaicae ſubeſſe negat: verum cui haec parum certa videantur, non illum ab ſe impediri, quo minus ab hac ſententia diſcedat.

Quae etſi vt plurimum probanda videntur, multa tamen ſunt quae in ea diſcutias: nimirum, quod Chriſtus et Apoſtoli legem Moſaicam, et nominatim Decalogum allegent, cum de officiis praecipiunt; nobis tamen videtur et eorum poſſe rationem inueniri, ſi quis cum genus hominum quibus praeceperunt, tum vim illarum legum, recte conſideret. Inter commoda quae ex hac ſententia emanant, et quibus probabilior efficitur, illud maximum eſt, ab auctore allegatum, de gradibus prohibitis: ſic enim omnia matrimonia, niſi quae iure naturae nulla ſunt, contrahi poterunt; quae verba autoris p. 279. leguntur. Nobis tamen hoc inde non magis ſequi videtur, quam illud, nullas eſſe leges poſitiuas, quamuis diuerſo ſenſu ab illo autoris, cui pro arbitrio datae ſunt, ſine aliqua ſine vtilitatis ſeu rationis euidentia: cuiusmodi nulla eſt inter omnes leges Moſaicas, quas arbitrarias exiſtimamus; neque enim ſequitur, legem, quod pro arbitraria habemus, ideo omni ratione et vtilitate deſtitutam eſſe debere. Autor deinde recte factorum notionem informat, et de vi, ratione, fine praemiisque Chriſtianae virtutis diſſerit. P. 291. contendit, hominem non Chriſtianum, ſi honeſtati ſtudeat, quam omnes a natura et ſapientum praeceptis docemur, poſſe eum bene agere, adeoque eius bonis factis Deum poſſe delectari, bona tamen opera in eum non cadere. Quae oratio, quomodo ſibi conſtet, non videmus: nam actio et opus hoc ſenſu non differunt, neque haec Graeci homines vulgo aliter exprimunt quam per ἔργον; nec verba, quae apud Germa-

 nos

Digitized by Google

nos vtrique voci reſpondent, aliter differunt, quam quod alterum vulgi, alterum Philoſophorum ſit. Mox ſanctimonia vitae Chriſtianae ad notionem boni operis expenditur, diſceptata quaeſtione ſatis nota, an et quo ſenſu illi ſanctimoniae perfectio competat? Ad alteram partem, quam iam ſupra tetigimus, pauca videntur monenda eſſe, quae ad Patres ſpectant, morum in veteri Eccleſia doctores. Autor ſecutus eſt in hoc genere vulgarem rationem; non autem ſunt illi, quos omnes vel laudemus, vel vituperemus, inter veteres Chriſtianorum doctores Quidam, (multi eorum qui ad noſtra tempora peruenerunt,) in diſciplina morum errores fouerunt; ſed hi hominum fuerunt, non diſciplinae; ſicut e noſtris hominibus multi errauerunt, quod Lutheraniſmo neutiquam vitio vertendum eſt. Ceterum haec ad hiſtoriam dogmatum moralium pertinent, non vero ad Introductionem in Theologiam moralem, eadem ratione, qua hiſtoria fidei dogmatum, et variorum in iis errorum, aliena eſt ab Introductione in Theologiam dogmaticam. Haec autorem non fefelliſſent, vt nobis videtur, ſi in definienda morum doctrina, finem methodi ſyſtematicae ſimul edidiſſet, qui eſt, vt futurus doctor Chriſtianus, noſtris hominibus de vera vitae ſanctimonia et virtute poſſit clare et accurate praecipere, eosque mouere vt illis pro viribus ſtudeant: et ſic illam tractationem eius Theologia moralis, quae in canonibus et conciliis deprehenditur, quod haec ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant, ſine dubio omiſiſſet. At aliquam Aſcetices hiſtoriam, deſcriptamque eius genuinam indolem, deſiderauimus, quae tamen pars eſt partis practicae Theologiae moralis. Pag. 353. excuſauit ſe A. quod de ſcriptis noſtrorum aſceticis tacuerit, qua re facile carere poteramus; promittit tamen, alio tempore hanc rem ab ſe traditum iri! Sed in genere quaedam de Aſcetica monere, non minus neceſſarium fuit, quam de Myſtica, ab hac multum diuerſa. Pag. 9. praef. ex animi noſtri

ſtri ſententia dicitur is minime more ſcripturae S. docere, qui voces et ſententias biblicas, id eſt Hebraicas et Graecas, ad verbum expreſſas, e concordantiis et lexicis compilet: hoc enim impediri homines, quo minus claras et diſtinctas rerum notiones conſequantur; nec litteras ſacras homines erudire vel mouere vllo modo poſſe, niſi noſtro dicendi more explicatas, cfr. p. 253. P. 13. Pſychologiam deſiderauit, qua doceremur quae libri ſacri de viribus et effectis animorum noſtrorum ſuo modo moneant. Putauit quondam huc pertinere quae in Roos fundamentis Pſycholog. ex S. S. collectis leguntur; ſed nihil fere deprehendit, quam loca ex concordant. collecta, vbi verba nepheſch, pſyche, ruach, pneuma, lebh etc. occurrunt, omiſſis plane verſionibus Graeca et aliis, quae in eam rem conſuli debeant. P. 264. Autor ſe iam pridem cenſuiſſe dicit, ne in Catechiſmis et aliis Chriſtianorum libris, quibus rudes inſtituuntur, officia ad ordinem decalogi diſponantur: ſed totam hanc diſciplinam deducendam eſſe ex iis locis ſcripturae S. quae eam rem clarius et vberius tractent, maxime N. T. In hanc opinionem adductus eſt iisdem rationibus, quibus Lutherus ad componendum Catech. min. inuitatus eſt, et ipſa illius libelli praefatione, vbi cuiusque arbitrio permiſſum eſt ius aliam, formam eligendi. Certe vir magnus, ſi viueret, Catechiſmum modo longe diuerſo ſcripturus eſſet: at illam ſententiam neceſſario fouet, qui vt §. 97. legimus de decalogo ſentit; et eſt illa bene monentis oratio, vtut nihil profecturi. In recenſendis PP. ſcriptis, quibus officia Chriſtiana tractantur, autor videtur, interdum aliorum ex his excerptis inhaeſiſſe. Clementis Paedagogus ipſi puerorum magiſter noſtra lingua vocatur, nec illi cum finis libri, tum eius habitus ad Stromata, ſatis noti eſſe videntur. Chryſoſtomum, ait, in ſermonibus in loca ſ. librorum, et Paulina, multa de officiis eaque praeclara docuiſſe, ſed dolendum eſſe, quod nimis declamatoriae vani-

tati

tati indulſerit; quorum verborum quae ſententia ſit non ſatis compertum habemus. Si Homilias in Euangeliſtas et Epiſtolas Paullinas et ἠθικὰ alteram cuiusque partem dicit, illae quidem non ſunt ſermones ſacri, nec in illis, vt in his, rhetoricatus eſt: contra Homiliae in Matthaeum primo loco ſunt habendae, nec eſt quod futuris oratoribus ſacris magis commendandum ſit. Erga Scholaſticos ſumma aequitate vſus eſt, quorum cauſam egit aduerſus eos, quibus, quamuis ignoti, deridentur: neque ipſorum eſſe vitia, ſed potius temporum habenda eſſe. Non tamen de iis vniuerſe quicquam ſtatuendum erat, nec illi, vt vulgo in commentariis hiſt. ſacr. vocantur, doctores ſcholae et vniuerſitatis dicendi fuerunt: eſt enim Scholaſticus is, qui, quae ex ratione et libris ſ. cognoſcimus, in formam artis digerit, adhibita argumentorum et ſententiarum perſpicuitate et ordinis concinnitate; et ſunt Scholaſtici doctores, quibus Theologia ſyſtematica multum debeat, quorumque aliquis et in Theologia morali ſit honos, ſed ita operae pretium fecerunt, vt materiam cuiusque rei inuenerunt. De myſtica morum diſciplina bene monet autor, illam, vt reliquam Myſticen, melancholicis eſſe periculoſam: talia ſunt fere hypochondriacis Apocalyptica Sueuorum ſomnia. Cum queſtus eſt, deſerta Lutheri methodo officia Chriſtiana exponendi, libera et naturali (nimirum vt eſt in Poſtillis domeſt. et quibusdam libris,) Melanthonis Philoſophico Scholaſticam arreptam eſſe, non ſatis intelligimus quid haec ſibi velint. Philoſophicum et Scholaſticum vnum idemque eſt, et philoſophica, id eſt ſyſtematica methodus, perutilis eſt, ſi recte adhibetur: illa Luthero, cum Melanthoni neceſſe eſſet, vti non licuit.

VA-

Digitized by Google

201. ſeqq.

Fig. I.





Fig. II.



VARIA AD ELLIPSIM SPECTANTIA,

Auctore Archidiacono IO. FRANCISCO de TVSCHIS a Fagnano, ex S. Honorii Marchionibus, Patricio Romano et Senogallienſi.

Theorema I. Fig. I.

In Ellipſi A B D E, cuius axes ſunt rectae A D, B E, et centrum punctum C, circumſcripto rectangulo T V S R, inſcribatur parallelogramum B A E D, et ductae ſint diagonales T C S, V C R, curuam ſecantes in punctis F, G, I, L, et parallelogramum in punctis N, P, O, M.

Dico Imo rectas F C G, I C L eſſe Diametros inter ſe coniugatas: Secundo etiam eſſe inter ſe aequales.

Demonſtratio Partis Primae.

Per conſtructionem $\frac{TA}{AV} = \frac{TB}{BR}$, ergo B A parallela ad A V, id eſt ad Diametrum L I.

Vlterius $\frac{TN}{TC} = \frac{NA}{CV} = \frac{NB}{CR}$, ſed C V = C R, ideoque N A = N B, eritque A B a Diametro F C G biſariam diuiſa in N.

Simili modo demonſtrabitur, rectam E D parallelam eſſe ad Diametrum L I, et aequaliter a Diametro F C G diuiſam in O; conſequenter per Definitionem II. Tractatus Ellipſis P. Gregorii ex S. Vincentio, (ad quem in ſequentibus habebitur ratio,) rectae A B, E D, erunt ordinatae ad Diametrum F C G.

Digitized by Google

Non ſecus demonſtrabitur, rectas A E, B D paralle-las ad Diametrum F C G ordinatas eſſe ad Diametrum I C L; erunt ergo per Definitionem IV. Diametri F C G, I C L Diametri coniugatae Q. E. P. D.

Demonſtratio Secundae Partis.

Per conſtructionem, cum recta T A ſit axi B E pa-rallela, per Propoſit. XIII. curuam tanget in A.

Vidimus ſuperius rectam A B ordinatam eſſe ad Dia-metrum F C G et rectam A E ad Diametrum I C L, ergo per Propoſit. XXXII.

$$CN \times CT = CF^2$$
$$CM \times CV = CI^2$$

Sed per conſtructionem $CN \times CT = CM \times CV$, ergo $CF^2 = CI^2$, at $CF = CI$, et per Propoſit. VII. erit Diameter F C G aequalis Diametro I C L. Q. E. Se-cundo D.

Corollarium I.

Si iungantur puncta F, et I, cum ſit $\frac{CV}{CT} = \frac{CI}{CF}$ nempe ratio aequalitatis, erit recta F I parallela ad T V, conſequenter biſariam, et ad angulos rectos ab axe diui-detur in Q.

Corollarium II.

Ideoque non ſolum per conſtructionem, ſed per co-rollarium praecedens ang. A C F = ang. A C I, et ſemiaxis C A aequaliter diuidet angulum a ſemediametris aequalibus contentum.

Co-

Corollarium III.

Per conſtructionem $CN = \frac{CT}{2}$; ergo $CN \times CT = \frac{CT^2}{2}$; ſed per conſtructionem $CT = \sqrt{CA^2 + CB^2}$; ergo $CN \times CT = \frac{(CA^2 + CB^2)}{2}$ ſed vt vidimus in demonſtratione ſecundae partis Theorematis $CN \times CT = CF^2$, erit igitur $CF^2 = \frac{(CA^2 + CB^2)}{2}$, et $CF = \sqrt{\frac{CA^2 + CB^2}{2}}$

Corollarium IV.

Demittatur ex vertice ſemidiametri FC ad ſemidiametrum IC normalis FX, erit per propoſ. LXXII, $AC \times BC = CI \times FX = CF \times FX$; ideoque $FX = \frac{AC \times BC}{FC}$, poſitoque a pro radio, CF. FX : : a. ſin. FCI. Hoc eſt ſin. ang. $FCI = \frac{a \times FX}{CF} = \frac{2a \times AC \times BC}{2CF^2} = \frac{2a \times AC \times BC}{CA^2 + BC^2}$

Theorema II. Fig. II. et III.

In ellipſi BAD, cuius ſemiaxes ſunt rectae CA, CB, ductae ſint ſemidiametri coniugatae aequales CH, CL, et fuerint rectae CF, CI quaeuis alia ſemidiametrorum coniu-

iugatio. Dico angulum H C L, quem continent ſemidiametri coniugatae aequales, minorem eſſe angulo FCI a quauis alia ſemidiametrorum coniugatione contento.

Demonſtratio I.

Per Corollarium propoſit. XLVI. quadrans H C L = quadranti F C I, dempto ergo communi ſectore H C I, erit ſector H C F = ſectori L C I, ductisque rectis F H, I L per corollarium II. propoſit. LX. erit Triang. H C F = Triang. L C I, et demiſſis ex verticibus F, et I ad ſemidiametros coniugatas aequales, normalibus F R, I S obtinebitur C H $\times$ F R = C L $\times$ I S, conſequenter F R = I S.

II.

Sit modo a radius circuli, eritque a. ſin. ang. F C H : : C F. F R, et ſin. Ang. F C H $= \frac{a \times FR}{CF}$. Similiter erit ſin. ang. I C L $= \frac{a \times IS}{CF}$; ideoque ſin. ang. I C L. ſin. ang. F C H : : $\frac{a \times IS}{CI}$. $\frac{a \times FR}{CF}$: : C F . C I. Sed per corollarium I. prop. LXXI. C F eſt minor C I; ergo ſin. ang. I C L minor erit ſin. ang. F C H, conſequenter et ang. I C L minor erit ang. F C H; adiectoque communi ang. I C H, erit ang. L C H minor Ang. F C I. Q. E. D.

Corollarium.

Conſequenter cum ſit per corollarium IV. Theorematis praecedentis ſin. ang. F C I $= \frac{2\,a \times CA \times CB}{CA^2 + CB^2}$;

Sin.

Sin. anguli, quem amplectitur quaeuis alia Diametrorum coniugatio, maior eſſe debet $\frac{2a \times CA \times CB}{CA^2 + CB^2}$.

Theorema III. Fig. IV.

Data ſit longitudine in ellipſi E A B D quaeuis Diametrorum coniugatio, datae erunt quoque longitudine caeterae coniugationes.

Demonſtratio.

Sint Diametri A D, B E ſe decuſſantes in centro C longitudine datae, et ſit quaeuis alia coniugatio Diametrorum F G, I H pariter ſe ſecantium in C.

Per propoſitionem LXXVII. et VII. erit

(1) $AC^2 + BC^2 = IC^2 + FC^2$.

Demittatur ex vertice A Diametri A D ad Diametrum B E normalis A Q, et ex vertice I Diametri I H ad Diametrum F G normalis I F, erit per prop LXXII.

$$BC \times AQ = FC \times IP$$

ſed poſito a pro radio, $AQ = \frac{AC \times \text{ſin. } ACB}{a}$; $IP = \frac{IC \times \text{ſin. } ICF}{a}$, ergo $\frac{BC \times CA \times \text{ſin. } ACB}{a} = \frac{FC \times CI \times \text{ſin. } ICF}{a}$; ideoque $\frac{BC \times CA \times \text{ſin. } ACB}{\text{ſin. } ICF} = FC \times CI$, et per aequationem (1)

$$CA^2 + \frac{2\, BC \times CA \times \text{ſin. } ACB}{\text{ſin. } ICF} + BC^2 =$$

$IC^2 + 2\,FC \times CI + FC^2$, et

(2) $\sqrt{CA^2 + 2\,\frac{BC \times CA \times \text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + BC^2} = IC + FC$

et

(3) $\sqrt{CA^2 - 2\,\frac{BC \times CA \times \text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + BC^2} = IC - CF$

et addendo vtramque aequationem et poſtea diuidendo per 2

(4) $\frac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + 2\,\frac{BC \times CA \times \text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + BC^2} + \sqrt{CA^2 - 2\,\frac{BC \times CA \times \text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + BC^2}\right) = CI$

et auferendo aequationem (3) ab aequatione (2) et diuidendo per 2

(5) $\frac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + 2\,\frac{BC \times CA \times \text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + BC^2} - \sqrt{CA^2 - 2\,\frac{BC \times CA \times \text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + BC^2}\right) = CF$

Q. E. D.

Corollarium I. Fig. V.

Si fiat $\frac{BC \times CA}{\text{ſin.}\,ICF} = R$, et $2\,R \times \text{ſin}\,ACB = ss$, aequatio (4) hanc induet formam

$\frac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + ss + CB^2} + \sqrt{CA^2 - ss + CB^2}\right) = CI$

et aequatio (5) euadet

$\frac{1}{2}\left(CA^2 - ss + CB^2 - \sqrt{CA^2 - ss + CB^2}\right) = CF$

Quae aequationes hanc donant geometricam conſtructionem.

Super

Super A C ad angulum rectum erigatur normalis C B, ductaque recta B A, ex eius extremo A erigatur ſuper eadem perpendicularis A V = 5, et iungantur puncta B, et V.

Deinde ſuper Diametro A B deſcripto ſemicirculo A Z C B, aptetur in eius peripheria chorda A Z, quae ſit aequalis rectae A V, ductaque recta B Z, erit

$$CI = \tfrac{1}{2}(BV + BZ)$$

$$CF = \tfrac{1}{2}(BV - BZ).$$

Corollarium II.

Si angulus I C F fuerit rectus, tunc

$$CI = \tfrac{1}{2}\left(\frac{\sqrt{CA^2 + 2BC \times CA \times \sin. ACB + BC^2}}{2} + \frac{\sqrt{CA^2 - 2BC \times CA \times \sin. ACB + BC^2}}{2}\right)$$

erit axis primarius

$$CF = \tfrac{1}{2}\left(\frac{\sqrt{CA^2 + 2BC \times CA \times \sin. ACB + BC^2}}{2} - \frac{\sqrt{CA^2 - 2BC \times CA \times \sin. ACB + BC^2}}{2}\right)$$

erit axis ſecundarius.

Corollarium III.

Si vero angulus A C B fuerit rectus, erit

$$CI = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2BC \times CA \times 2}{\sin. ICF} + BC^2} + \right.$$

$\sqrt{CA^2}$

$$\sqrt{CA^2 - \frac{2\,BC \times CA \times a}{\text{ſin. } ICF} + BC^2}\,)$$

$$CF = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2\,BC \times CA \times a}{\text{ſin. } IFC} + BC^2} - \sqrt{CA^2 - \frac{2\,BC \times CA \times a}{\text{ſin. } ICF} + BC^2}\right)$$

Corollarium IV.

Si fuerit $CI = CF$, hoc eſt, ſi fuerint CI, CF ſemidiametri coniugatae aequales, patet per corollarium praecedens, quod

Quantitas $\sqrt{CA^2 - \frac{2\,BC \times CA \times a}{\text{ſin. } ICF} + BC^2}$ ſit aequalis nihilo, ideoque $\text{ſin. } ICF = \frac{2\,BC \times CA \times a}{CA^2 + BC^2}$, vt in corollario IV. Theorematis I.

Corollarium V.

In hac hypotheſi, cum ſit tam CI, quam $CF = \tfrac{1}{2}\sqrt{CA^2 + \frac{2\,BC \times CA \times a}{\text{ſin. } ICF} + BC^2}$, per corollarium praecedens, factis debitis ſubſtitutionibus, erit

CI, vel $CF = \tfrac{1}{2}\sqrt{CA^2 + CA^2 + CB^2 + CB^2} = \sqrt{CA^2 + CB^2}$, vt in corollario III. Theorematis I.

Co-

Corollarium VI. Fig. V.

In hac hypotheſi erit A V = 5 = $\sqrt{CA^2 + CB^2}$; conſequenter punctum Z cadet in B, et chorda B Z euaneſcente, erit tam C I, quam C F = $\frac{BV}{2}$.

Corollarium VII.

Ducantur inuicem aequationes (4), et (5), et proueniet

$$BC \times \frac{CA\ \text{ſin.}\ ACB}{\text{ſin.}\ ICF} = CF \times CI$$

ſi ergo C I, et C F deſignent axes, cum ſin. I C F ſit aequalis radio, patet, quod ex productis, quae faciunt Diametri coniugatae, inuicem in ſe ductae, illud ſit minimum, quod ex axibus ſit.

Corollarium VIII.

E contra, ſi C I, et C F fuerint Diametri coniugatae aequales, cum ſit per Theorema II. ang. I C F minimus omnium, quem faciunt Diametri coniugatae. productum, quod ex Diametrorum aequalium multiplicatione oritur, erit omnium maximum.

Corollarium IX.

Si primae parti aequationis (1) addatur 2 CB X CA, et ſecundae parti 2 C F X C I. In hypotheſi corollarii VII. erit. Quadratum ($CI^2 + 2\,CF \times CI + CF^2$) minimum habita ratione ad quadratum ($CA^2 + 2\,CB \times CA + CB^2$), conſequenter etiam erit minima radix

(C I + C F) relata ad radicem (C A + C B). Id eſt axes ellipſeos ſimul ſumpti minimi ſunt omnium diametrorum coniugatarum ſimul ſumptarum.

Corollarium X.

Si vero C I, et C F fuerint Diametri coniugatae aequales, cum ſit per corollarium VIII. productum C F X C I omnium maximum erit etiam maximum Quadratum (C I² + 2 C F X C I + C F²), per conſequens eius quoque radix dabit maximum, id eſt, Diametri coniugatae aequales ſimul ſumptae maximae ſunt omnium Diametrorum coniugatarum ſimul ſumptarum.

Theorema IV. Fig. IV.

Poſitis, quae in praecedenti Theoremate. Dico, quod

$$\text{ſin. } ACI = \frac{BC \times CF \text{ ſin. } BCF}{AC \times CI}$$

Demonſtratio.

Quoniam per Corollarium prop. XLVI.

Quadr. B C A = Quadr. F C I

ablato communi ſegmento B C I, erit

Segmen. F C B = Segmen. A C I

ductisque rectis F B, A I per corollarium prop. L X

Triang. F C B = Triang. A C I

Demittantur ex verticibus Diametrorum coniugatarum I C H; F C G, ideſt ex punctis I, et F, ad Diametros con-

Digitized by Google

coniugatas A C D, B C E normales I M, F N, poſitaque a pro radio.

$$\text{Sin. } ACI = \frac{a \times IM}{CI}$$

$$\text{Sin } BCF = \frac{a \times FN}{CF}$$

ſed per triangula aequalia F C B, A C I

$$\frac{BC \times FN}{CA} = IM, \text{ erit ergo}$$

$$\text{Sin. } ACI = \frac{a \times BC \times FN}{CA \times CI}, \text{ et loco } FN \text{ ſubſti-}$$

tuendo $\frac{CF \text{ ſin.} BCF}{a}$;

$$\text{Sin. } ACI = \frac{BC \times CF \text{ ſin. } BCF.}{CA \times CI} \quad \text{Q. E. D.}$$

Corollarium.

$$\text{Vice verſa erit ſin. } BCF = \frac{CA \times CI \text{ ſin. } ACI.}{BC \times CF}$$

Problema Pappi Libro VIII. Mathem. collectionum propoſitione 14 generalius propoſitum Fig. VI. et VII.

In ellipſi data quauis Diametrorum A C D, B C E coniugatione ſe interſecantium in centro C, aliam coniugationem Diametrorum inuenire, quae datum angulum contineat.

Digitized by Google

Monitum.

Per Theorema II. ſinus dati anguli nequit eſſe minor quantitate.

$$\frac{2\,a \times CA \times CB}{CA^2 + CB^2}$$

Solutio

I.

Fingamus Diametros quaeſitas eſſe rectas F C G, I C H ſe decuſſantes pariter in C deſcriptamque eſſe ellipſim A B D E.

Per Theorema III. erit

$$CI = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin. }ACB}{\text{ſin. }ICF} + CB^2} \pm \sqrt{CA^2 - \frac{2\,CA \times CB \times \text{ſin. }ACB}{\text{ſin. }ICF} + CB^2}\right)$$

$$CF = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2\,CA \times CB \times \text{ſin. }ACB}{\text{ſin }ICF} + CB^2} \mp \sqrt{CA^2 - \frac{2\,CA \times CB \times \text{ſin. }ACB}{\text{ſin. }ICF} + CB^2}\right)$$

In ſigno ambiguo ſuperius locum habet in Fig. VI. inferius in Fig. VII.

II.

Hoc praemiſſo, ſit vt in caſu Fig. VI. ang. B C A minor ang. dato F C I patet, quod

ang.

ang. BCI = ang. ICF — ang. FCB

ang. BCI = ang. ACB — ang. ACI

ergo ang. ICF — ang. FCB = ang. ACB — ang. ACI,

et ang. ICF — ang. ACB = ang. FCB — ang. ACI.

Si vero ang. A C B, vt in Fig. VII. maior fuerit ang. F C I, ſimiliter patet, quod

ang. BCI = ang. ACB + ang. ACI

ang. BCI = ang. FCI + ang. FCB

Ideoque ang. ACB + ang. ACI = ang. FCI + ang. FCB, et

ang. ACB — ang. FCI = ang. FCB — ang. ACI.

III.

Sed cum datus ſit per hypotheſim tam ang. A C B, quam ang. F C I, data quoque erit eorum differentia, quae dicatur A, et per artic. praecedentem ang. F C B — ang. A C I = A, conſequenter ang. F C B — ang. A = ang. A C I, et ſin. (ang. F C B — ang. A.) = ſin. A C I; ſed per Trigonometriam ſin. (ang. F C B — ang. A) = $\frac{\text{ſin. F C B} \times \text{Coſ. A}}{a} - \frac{\text{ſin. A} \times \text{Coſ. F C B}}{a}$; ergo ſin. F C B X Coſ. A — ſin. A X Coſ. F C B = a ſin. A C I et ſubſtituendo loco ſin. A C I per Theorema IV. $\frac{\text{BC} \times \text{CF}}{\text{CA} \times \text{CI}}$

ſin. F C B X Coſ. A — ſin. A X Coſ. F C B = $\frac{a \times \text{BC} \times \text{CF ſin. FCB}}{\text{CA} \times \text{CI}}$, et

ſin. F C B (Coſ. A — $\frac{a \times \text{BC} \times \text{CF}}{\text{CA} \times \text{CI}}$) = ſin. A X Coſ. FCB =

 ſin.

Digitized by Google

ſin. A $\sqrt{a^2 - \text{ſin. } FCB^2}$; ideoque quadrando, et poſtea multiplicando per $CA^2 \times CI^2$ ſin. $FCB^2 (CA^2 \times CI^2$

$$\text{Coſ. } A^2 \left\{ - 2aCA \times CI \times BC \times CF \text{ Coſ. } A) = CA^2 \times CI^2 \atop \text{ſin. } A^4 (a^2 - \text{ſin. } FCB^2) + a^2 BC^2 \times CF^2 \right.$$

et transponendo

$$\text{Sin. } FCB^2 (CA^2 \times CI^2 (\text{Coſ. } A^2 + \text{ſin. } A^2) \left\{ - 2aCA \times CI \times BC \times CF \text{ Coſ. } A) = a^2 CA^2 \times CI^2 \text{ ſin. } A^2 \atop + a^2 BC^2 \times CF^2 \right.$$

riteque calculando; et loco (Coſ. A^2 + ſin. A^2) ſubſtituendo a^2

$$(6) \quad \text{Sin. } FCB = \frac{aCA \times CI \text{ ſin. } A}{\sqrt{a^2(CA^2 \times CI^2 + CB^2 \times CF^2) - 2aCA \times CI \times CB \times CF \text{ Coſ. } A}}$$

Fiat modo $CA \times CI = aP$; $CB \times CF = aQ$; eritque $CA^2 \times CI^2 = a^2P^2$; $CB^2 \times CF^2 = a^2Q^2$; $CA \times CI \times CB \times CF = a^2PQ$, factisque debitis ſurrogationibus in ſecunda parte praecedentis aequationis, diuiſoque per a^2 tam numeratore, quam denominatore, erit

$$\text{Sin. } FCB = \frac{P \text{ ſin. } A}{\sqrt{P^2 - \frac{2PQ \text{ Coſ. } A}{a} + Q^2}}$$

Ducta ergo (Fig. VI.) ex centro C intra angulum obtuſum BCD

$$CF = \tfrac{1}{2} \left(\sqrt{CA^2 + \frac{2CA \times CB \text{ ſin. } ACB}{\text{ſin. } ICF} + CB^2} - \sqrt{CA^2 - \frac{2CA \times CB \text{ ſin. } ACB}{\text{ſin. } ICF} + CB^2} \right)$$

ſiue

Digitized by Google

ſiue C F = ½ (B V — B Z) per corollarium I. Theorematis III.

et in Fig. VII· intra angulum acutum B C A

$$CF = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + CB^2} + \sqrt{CA^2 - \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + CB^2}\right) = \tfrac{1}{2}\,(BV + BZ)$$

quae cum ſemidiametro C B faciunt ang. F C B, cuius ſinus ſit

$$\frac{P\,\text{ſin.}\,A}{\sqrt{P^2 - 2P \times Q\,\text{Coſ.}\,A + Q^2}}$$

erectaque in Fig. VI.

$$CI = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + CB^2} + \sqrt{CA^2 - \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + CB^2}\right) = \tfrac{1}{2}\,(BV + BZ)$$

Et in Fig. VII.

$$CI = \tfrac{1}{2}\left(\sqrt{CA^2 + \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + CB^2} - \sqrt{CA^2 - \frac{2\,CA \times CB\,\text{ſin.}\,ACB}{\text{ſin.}\,ICF} + CB^2}\right) = \tfrac{1}{2}\,(BV - BZ)$$

quae cum C F faciat angulum F C I, aequalem angulo dato.

Vertices I, et F ſemidiametrorum C I, et C F dico eſſe in eadem ellipſi, in qua ſunt vertices A, et B ſemidiametrorum C A, C B, ideoque Diametri I C H, F C G, vt ſunt longitudine, ſic erunt poſitione datae. Q. E. I.

Demonſtratio.

Non ſint Puncta I, et F, vertices ſemidiametrorum quaeſitarum, ſed puncta K, et O, ductis rectis K C, O C, et

et inſtituta analyſi vti ſuperius, inuenietur

$$\text{Sin.}^2 \, KCB = \frac{a^2 \times CA^2 \times CO^2 \,\text{ſin.}^2 A}{a^2 (CA^2 \times CO^2 + CB^2 \times CK^2 - 2 CA \times CO \times CB \times CK \,\text{Coſ.} A)}$$

ſed cum ſit per hypotheſim CI = CO; CB = CK, ſequitur ſecundam partem praecedentis aequationis eandem eſſe, ac ſecundam partem aequationis (6), erit ergo etiam ſin. KCB = ſin. FCB; conſequenter ang. KCB = FCB, punctumque K cadet in F, ideoque etiam punctum O cadet in I. Q. E. D.

Corollarium.

Si ang. ICF fuerit rectus, ſemidiametri CI, CF erunt ſemiaxes.

Problema Pappi Fig. VIII. et IX,

Data ſit Diametrorum IH, FG coniugatio ſe ſecantium in centro C. Inuenire axes tam poſitione, quam magnitudine.

Solutio I.

Fingamus ACD eſſe poſitionem axis primarii, qui per Theorema III. erit magnitudine datus.

Ex verticibus I et F Diametrorum IH, FG demittantur ad ſemiaxem CA normales IM, et FN, atque vlterius ex eodem puncto I ducatur recta IL parallela ad axem ACD, quae occurrat in L Diametro FG productae, ſi opus fuerit, et ex puncto L ad axem recta LR parallela ad IM. His poſitis per prop. IV.

$FN^2 =$

$$\frac{FN}{IM^2} = \frac{DN}{DM} \times \frac{NA}{MA} = \frac{(CA+CN)\times(CA-CN)}{(CA+CM)\times(CA-CM)} =$$

$\frac{CA^2 - CN^2}{CA^2 - CM^2}$; hoc eſt $\frac{FN^2}{IM^2} = \frac{(CA^2-(CF^2-FN^2))}{(CA^2-(CI^2-IM^2))}$,

et multiplicando extrema, et media inter ſe

$$FN^2(CA^2-(CI^2-IM^2)) = IM^2(CA^2-(CF^2-FN^2)),$$

et auferendo vtrinque $FN^2 \times IM^2$

$$FN^2 \times (CA^2 - CI^2) = IM^2 \times (CA^2 - CF^2),$$

et tandem

$$FN = IM \frac{\sqrt{CA^2 - CF^2}}{\sqrt{CA^2 - CF^2}}$$

Per Triangula ſimilia F C N, L C R; F N. F C: : R L.(I M). C L; conſequenter $CL = \frac{IM \times FC}{FN} = FC \frac{\sqrt{CA^2 - CI^2}}{\sqrt{CA^2 - FC^2}}$

Ex qua aequatione haec oritur conſtructio Fig. X. et XI.

Radio C A aequali ſemiaxi primario C A in ellipſi deſcribatur circulus A B D E ſumptisque in radio ſegmentis C I, C E aequalibus ſemidiametris C I, C F in ellipſi ducantur rectae I Q, F P normales ad radium C A, et circulum ſecantes in Q, et E.

Hoc facto in ſemidiametro C G producta, ſi opus fuerit, ſumatur $CL = \frac{CF \times IQ}{FP}$ iunctisque punctis L, et I, ex centro C ducatur recta C A parallela ad L I, et

aequalis ſemiaxi primario, dico quod recta CA, ſiue idem ſemiaxis erit poſitione datus. Q. E. I.

Demonſtratio conſtructionis.

Per Triangula ſimilia C R L, C F N

$$CL\left(\frac{CE \times IQ}{FP}\right).\ LR\,(IM :: CF.\ FN;$$ ideoque

$$IM = \frac{FN \times IQ}{PF} = \frac{FN\sqrt{CA^2 - CI^2}}{\sqrt{CA^2 - CF^2}},$$ et

$$IM^2 \times (CA^2 - CF^2) = FN^2 \times CA^2 - CI^2),$$ atque addendo vtrinque $IM \times FN^2$

$$IM^2 \times (CA^2 - (CF^2 - FN^2)) = FN^2 \times (CA^2 - (CI^2 - IM^2));$$ ideſt

$$IM^2 \times (CA^2 - CN^2) = FN^2 \times (CA^2 - CM^2).$$ et reducendo aequationem ad proportionalitatem

$$\frac{IM^2}{FN^2} = \frac{(CA^2 - CM^2)}{(CA^2 - CN^2)} = \frac{(CA + CM \times (CA - CM)}{(CA + CN) \times (CA - CN)} = \frac{DM \times MA}{DN \times NA};$$ ergo per prop. IV. Puncta I, et F ſunt in ellipſi, cuius vnus ex axibus eſt recta A C D. Q. E. D.

Monitum.

Suppoſuimus axem datum eſſe primarium: ſed, me non monente, patet, locum habere ſolutionem, et conſtructionem, ſi vice axis primarii datus fuiſſet ſecundarius, ſolummodo loco prop. IV. citandum fuiſſet eius ſcholium.

Scho-

Digitized by Google

Scholium Fig. XII. XIII. et XIV.

Analyſis problematis praecedentis, eiusque conſtructio, inſeruit pro ſequentis ſolutione, et conſtructione.

Problema.

Datus ſit magnitudine, ſed non poſitione vna cum centro C axis ellipſeos, atque in eodem plano data ſint duo puncta I, et F, per quae eadem ellipſis tranſire debeat, axis poſitionem inuenire.

Solutio.

Fingamus A C D eſſe axis poſitionem, et ductis rectis I C, F C, ex punctis I, et F ducantur ad rectam A C D normales I M, et F N, et ex puncto I ducatur recta I L parallela ad A C D, quae occurrat rectae F C, productae ſi opus fuerit in L, et ex eodem puncto L ducatur L R ad I M parallela, quae axem A C D ſecet in R.

Cum ſint puncta I, F, et C in eodem plano datae erunt rectae I C, C F.

His poſitis, inuenietur eadem analyſi, qua vſi ſumus in problemate praecedenti ſoluendo, $CL = FC \dfrac{\sqrt{CA^2 - CI^2}}{\sqrt{CA^2 - CF^2}}$ quo valore C L detecto prono alueo fluent problematis ſolutio, et conſtructio, et pariter demonſtratio.

Digitized by Google

Solutio II. Fig. XV.

Lemma.

In ellipſi I F H G, cuius axes ſunt rectae I H, F G ſe decuſſantes in Centro C, data quauis Diametrorum coniugatione A C D B C E, pariter ſe ſecantes in C, ſi ex vertice A diametri A C D demittatur ad diametrum B C E normalis A P, quae ſecet axem I C H, in M et producta ſecet axem F C G in puncto N, erit

$$AN \times AM = CB^2.$$

Demonſtratio.

Ducatur per verticem A recta T A V tangens curuam in puncto A, et occurrens axibus I C H, F C G, in punctis V, et T.

Per propoſit. III. recta T V erit parallela diametro B C E, ideoque ang. V A P aequalis ang. A P C erit rectus, et Triang. V A M, C M P erunt ſimilia, conſequenter ang. A V M = ang. M N C, et Triangula V A M, N A T erunt ſimilia, proindeque $\frac{NA}{TA} = \frac{AV}{AM}$, et $NA \times AM = TA \times AV$, ergo per propoſit. 109. $NA \times AM = CB^2$. Q. E. D.

Corollarium.

Deſcripto ergo diametro M N Circulo M C N Q, qui ſecet diametrum C A in R, erit $CA \times AR = CB^2$, $AR = \frac{CB^2}{CA}$.

So-

Solutio Problematis Fig. XV.

Datae ſint diametri coniugatae A C D, B C E ſe ſecantes in centro C, ex vertice A diametri A C D demittatur ad diametrum B C E, normalis A P, poſtea in eadem diametro A C D ſumpto ſegmento $AR = \frac{CB^2}{CA}$, diuiſoque, quod ſupereſt, aequaliter in O, ſuper O eleuetur normalis O Q, quae occurrat perpendiculari A P in Q. Hoc facto radio Q R, vel Q C deſcribatur Circulus M C R N, ſecans normalem A P in punctis M, et N, ductisque rectis M C, N C. Dico quod in poſitione rectarum C M, C N erunt axes.

Demonſtratio.

Per verticem A ducatur recta T A V parallela ad diametrum B C E occurrens rectis C M, C N productis in T, et V.

Per triangula rectangula M A V, M C N ſimilia erit ang. M C M = ang. M N C, ideoque triangula rectangula T A N, M A V erunt ſimilia, et $\frac{NA}{AT} = \frac{AV}{AM}$; ergo $AT \times AV = NA \times AM = CA \times AR = CB^2$ per conſtructionem, eritque per propoſitionem 12. et 89. punctum B in ellipſi, cuius axes ſunt in lineis C T, C V, ſed et punctum A eſt in eadem ellipſi, igitur et puncta D, et E in eadem per prop. VII. erunt ellipſi. Dati ergo erunt axes poſitione, et per Theorema III. etiam magnitudine. Q. E. D.

Scholium.

Iohannes de Wit in ſuis elementis curuarum libro I. in corollario I. prop. XIII. dat huiusce problematis perelegantem conſtructionem, ſed cum illius demonſtrationem a ſua ellipſeos deſcriptione repetat, placuit alteram hic dare ab illa independentem, ſequenti praemiſſo lemmate.

Lemma Fig. XVI.

In ellipſi, cuius axes ſunt rectae I A Z, S A X, ſe interſecantes in A; diametri D A E, G A H diametri coniugatae. Ex vertice H diametri H G ducatur normalis H C, quae producatur, donec ſit recta H B aequalis ſemidiametro D A, iunctisque punctis A, et B, diuiſaque recta B A bifariam in I, radio I A deſcribatur Circulus A K B R, qui ob ang. rectum A C B tranſibit per C, et ſecabit axes in punctis P, et R. Si puncta H, et P, iungantur, dico, rectam H P ſecare axem S X in puncto R.

Demonſtratio.

Ducatur recta P B.

Cum angulus C P B innitatur ſemiperipheriae P Z A R, et arcui C R, erit obtuſus, eleuata ergo ſuper P B normali B M, quae occurrat rectae H P, iunctisque punctis B, et R, cum angulus oppoſitus P A R ſit rectus, erit etiam rectus ang. P B R; ideoque per conſtructionem aequalis ang. P B M, conſequenter puncta M, et R, coincident, et recta H P ſecabit axem S X in puncto R. Q. E. D.

Co-

Corollarium I.

Ideoque cum ſit ang. R A P rectus, recta H P tranſiet per Centrum I.

Corollarium II.

Ergo ducta recta H I, haec ſecabit axes in punctis P, et R.

Solutio Problematis Pappi.

Sint rectae D A E, H A G, ſe interſecantes in centro A diametri coniugatae quae datae ſunt.

Ex vertice H diametri H A G demittatur ad diametrum D A E normalis H C, quae producatur, donec ſit recta H B aequalis ſemidiametro D A. Deinde iunctis punctis A et B diuiſaque A B bifariam in I, radio A I, vel I B deſcribatur circulus A K B C, qui tranſibit per punctum G: Ex puncto H ducatur per centrum Circuli I recta H I, quae circulum ſecet in punctis R, et P, et ducantur rectae R A, P A.

Dico rectam H P eſſe ſemiaxem primarium, eius ſegmentum H R ſemiaxem ſecundarium, illosque eſſe in poſitione rectarum R A. P A.

Demonſtratio.

Fiat ſemidiameter D A $=$ a, eius coniugata H A $=$ ſemiaxis primarius $=$ x, ſemiaxis ſecundarius $=$ y.

Erit per prop. LXXII.

X HC

$a \times HC = xy$; ideoque $HC = \frac{xy}{a}$, et

$BC = BH - HC = \frac{a^2 - xy}{a}$, et quadrando

$BC^2 = \frac{a^4 - 2a^2xy + x^2a^2}{a^2}$

$AC^2 = HA^2 - HC^2 = \frac{b^2a^2 - x^2y^2}{a^2}$, ergo

$AC^2 + BC^2 = a^2 - 2xy + b^2$. Sed per conſtructionem $AC^2 + BC^2 = PR^2$, et per propoſit. LXXVII. $a^2 + b^2 = x^2 + y^2$ factis igitur debitis ſubſtitutionibus
$PR^2 = x^2 - 2xy + y^2$, et
$PR = x - y$.

Per Circuli naturam

$PH \times HR$, ſiue $PH^2 - PH \times PR = BH \times HC = xy$
ergo $PH^2 - PH \times PR + \frac{PR^2}{4} = \frac{x^2 + 2xy + y^2}{4}$, et

$PH - PR\frac{(x - y)}{2} = \frac{x + y}{2}$, hoc eſt

$PH = x$; erit ergo PH aequalis ſemiaxi primario et $HR = PH - PR = x - (x - y) = y$ aequalis erit ſemiaxi ſecundario. Erunt ergo axes magnitudine dati.

Producatur modo A R, donec A S ſit aequalis P H, et P A, donec A y ſit aequalis H R, et erunt etiam poſitione dati.

Sint etenim in alia poſitione, videlicet anguli r A p, ducta recta H p, haec per corollarium I. Lemmatis tranſibit per centrum I, et ductae rectae H P, H p claudent ſpatium, quod eſt abſurdum. Q. E. I. et D.

DE

DE DARICIS PERICVLVM CRITICVM BENIAMIN GOTTLIEB LAVRENTII BODEN, *Poeſ. Prof. Publ. Ord. in Acad. Viteb. Philoſophorum Decani, et Comitis Palatini Caeſarei.*

Wittebergae 1779. pll. 2. in 4.

Daricorum nomen a Dario quodam fuiſſe repetitum, ipſa nominis monetae tribuendi ratio, inter antiquos et recentiores populos in conſuetudinem recepta, declarat; ſed a quonam potiſſimum, propter diſſenſum antiquorum, in dubitationem et controuerſiam venit. Nam Pollux quidem, ac Heſychius, ſimpliciter Darium Perſarum regem memorant. Herodotus autem III, 89. 96. et IV, 166. Darium, Hyſtaſpis filium, omnium primum aureos, ſua imagine ſignatos, cudendos curaſſe, ſcribit. Cuius fide ſuffulti plurimi, hinc putant originem pecuniae ducendam eſſe inter Perſas, tum primum cuſis Daricis, ſiue numis aureis, in quibus imago regis Perſarum eſſet expreſſa. Fauet etiam huic opinioni, cum aliis, ipſe Weſſelingius *Obſeruatt. Variar.* L. II. c. 22. Suidas tamen Daricos ab hoc Dario, Xerxis patre, cudi iuſſos negat, et ad alium quendam antiquiorem regem eorum primordia refert. Cuius verba cum Ariſtophanis Scholiaſta ad Eccleſiaz v. 598. cum Harpocrationis et Etymologi M. locis collata, prorſus conſentiunt, et communi auctoritate ſententiam, ei quam Herodotus tuetur contrariam, comprobant, fauentibus Perizonio ad Aelian. Var. hiſt. L. 22. et Prideauſio Connex. V. et N. Teſt. T. I. p. 164. Cuius diſſenſionis

 di-

dirimendae et componendae cauſſa, doctiſſimus huius diſputationis Autor iſta fere obſeruare nos et tenere iubet:

Etenim duplicem aureorum Perſicorum formam eſſe ait, aliis impreſſam ſagittarii formam, aliis regiam, Darii effigiem exhibentibus. Vid. Plutarch. *Apophtegm. Lacon.* Stateres igitur hos, qui ſagittarii notam haberent ſine regis imagine, quos diſtributio ſtipendii militaris exegiſſet, regnante Cyro iam vſitatos, omnino aetate ante Darium Xerxis patrem exacta, factos fuiſſe monet. Quos vero Herodotus memorat, vtique Dario Hyſtaſpis filio adſcribendos, regis imagine in auro obryzo ſeu puriſſimo ſignatos, multo politiores illis antiquioribus, et ab illis probe diſcernendos ait. Cum Herodoti narratione veritatem conſtare, eamque temporum etiam ratione iuuari. Nam qui hos Daricos ex argento aemulandos ſuſcepiſſet, magno ſuo damno, Aryandem, ſub Darii Hyſtaſpis imperio Aegyptum prouinciam obtinuiſſe, et Pheretimam, Arceſilai matrem, exercitu praebendo in vlciſcenda filii nece adiuuiſſe.

Rex ille antiquior, cui veteres Grammatici inuentum Daricorum tribuant, non alius fuerit, niſi Danielis ille, quem quinto vaticiniorum capite commemorat, Darius cognomine Medus, Cyaxares ſcilicet Xenophontius, quem cum Pridoſio etiam Perizonius ll. cc. agnoſcit.

Aureos autem fuiſſe Daricos, magno veterum conſenſu, pro certiſſimo ſumitur, cf. Alberti *ad Heſych.* T. I. p. 889. Plutarchus tamen in *Cimone*, vbi huius imperatoris liberalitatem celebrat, mentionem quoque facit argenteorum Daricorum. Locus, quem V. D. indicare neglexit, eſt

eſt c. 10. p. 195. Vol. III. ed. Lipſ. Hic igitur nomen Δαρεικῶν improprie et laxius accipiendum eſſe ſtatuitur, pro quouis numo eiusdem cum Darico ponderis, vel pro ſtatere, qui ſequente aeuo fuerit etiam argenteus, nimirum Perſis alieno imperio parere coactis, et poteſtate cudendi aureos iis ademta.

In valore Daricorum vero conſtituendo, quem alii ſupra modum accumulant, alii deminuunt, V. Cl. ſequitur Gronouium de Pec. Vet. III, 7. demonſtrantem, Daricum valere XX. argenteos, ſiue auri duas drachmas quarum quaelibet decem argenteos explet, ita vt Darici quinque Minam vnam faciant.

Nec praetermittit A. a Ioſepho Antiqu. Iud. III, 9. Daricum reuocari ad auri ſiclum Hebraicum. Quae vero non ita accipienda eſſe videntur, quaſi Ioſephus de ſignatis numis velit intellecta, ſed tantum de pondere; cum ſatis conſtet, ante exilium Babylonicum apud Hebraeos in vſu numos characteribus inſcriptos non fuiſſe.

Qui in ſacris libris, nempe Parelipomenis, Esdrae et Nehemiae Commentariis commemorantur דַּרְכֹּנִים ſiue דַּרְכְּמוֹנִים et אֲדַרְכֹּנִים, non ab vocabulis דרך et מנה vt *viaticum* deſignent, neque ab Graeca voce δραχμὴ appellantur, ſed ab hoc ipſo Perſico Daricorum nomine, quibus pares erant valore, vt Raphelius Annotatt. Xenophont. ad N. T. p. 360. demonſtrauit. Δραχμὰς interpretantur Alexandrinae verſionis auctores. Drachma autem Hebraeorum in auro drachmis duabus Atticis aureis aequiparanda eſt, quae valore viginti argenteis, Daricum Perſicum efficientibus, pares ſunt.

Digitized by Google

Haec fere continentur hac commentatione, in qua extrema dolet Cl. Auctor ſibi ad manus non fuiſſe Cuperi epiſtolam de valore partim numi, partim de Plutarchi loco in his Actis a. 1744. menſ. Apr. indicatam, cui propter inſignem ſollertiae et diligentiae laudem, maximopere fauemus. Ceterum de formulis dicendi quibusdam dubitauimus, quas cum aliis latinioribus permutari velimus. Velut p. 6. *numorum* mentio fit *inter Perſas mercatori transeuntium;* eſt enim Hebraica e Geneſ. 23, 16. et 2 Regg. 12, 5. ducta locutio, pro quo *ſpectatos probosque* numos rectius dixerimus. Mire quoque dicitur p. 9. *flos* Arybandis, non pro aetatula et adoleſcentia, vt ſemper in latinis ſcriptoribus, ſed pro aetate qua vixit. Etiam qui eſſent p. 15. *peregrinantes, qui non vacui coram latrone cantare vellent,* nondum aſſequebamur.

IO. GOTTL. HEINECCII, ICTI, POTENTISS. Pruſſ. Reg. a Conſil. Aulicis, et in Acad. Fridr. Iur. Philoſ. in P. P. Ord. Antiquitates Germanicas iurisprudentiam illuſtrantes, in quibus iurium, etiamnum in Germania receptorum, origines ex genuinis fontibus et principiis deriuantur. TOM. I. Introductionem generalem de rerump. Germ. facie, legumque Germ. antiquitate et natura, nec non iura perſonarum complexus.

Hafniae et Lipſiae 1772. 8. maj.

Romanarum antiquitatum liber, ab eodem autore ſcriptus, etiamnum perutilis eſt iis, qui iuri Romano operam

ram nauant; nec aliam ob cauſam is, quem indicamus, compoſitus eſt, quam vt eſſet, quo quis adiutus iura patria accuratius addiſceret: tamen, ſi paullo ante in lucem prodiiſſet, propius tum abſuiſſet ab ea perfectione, qualem iam in hoc genere deſideramus. Nec eſt dubitandum, ante L. annos has litteras hac acceſſione eam mutationem ſubituras fuiſſe, qua tum quaſi natae et formatae cenſeri poſſent. Liber, antequam e ſitu et latebris ſuis protraheretur, fata habuit quae noſſe haud ſuperuacaneum erit curioſis. Iam 1724. ſcriptus erat, et ita perpolitus, vt recte vulgari poſſet; ſcilicet, ne eam operam, quae Romanis antiquitatibus impenſa erat, res antiquae noſtrae deſiderarent: cum autor illum, ita tamen vt ab Dulſekero Bibliop. Argentor. redimeretur, Halae oppignorauit apud Petr. Franckium, Bibliop. mox Franequeram petiturus. Poſtea, ſectis Franckii bonis, Ludouico Cancellario, vna cum reliqua libraria merce addictus eſt cuius in ſcriniis delituit quamdiu Heineccius vixit: cuius adeo filius Liegnizenſis, Conſiliar. Aulic. cui haec editio debetur, nullis precibus impetrare potuit vt redderetur, magna ſortis parte vna cum vſuris fruſtra ſolutis, eiusque reſtitutione ſaepe a poſſeſſore promiſſa: inde de ingenio viri facilis coniectura. Hoc mortuo, liber cum caeteris auctionis lege venditus eſt, nec niſi ante aliquot annos emtor innotuit, Friedr. Wilhelm. de Kameke: eius tanta humanitas fuit, vt ſtatim libri copiam faceret, qui variis impedimentis retentus, (forte quod deeſſet qui ſuo ſumtu typis exſcribendum curaret,) nunc demum prodiit. Pars prior, vt ex titulo conſtat, praeter introductionem generalem, de rerump. Germ. facie, legumque Germ. antiquitate et natura, etiam iura perſonarum complecti debuit: pars altera, ſicut praefatus eſt editor, antiquitates forenſes de dominio et poſſeſſione, de pactis et delictis. Non tamen in priore parte quidquam in-

venitur quam generalis introductio, de forma regiminis legum Germ. Cap. I.) agit de origine Germanorum eorumque forma ſtatus antiquiſſima. C. II.) de Alemannis, Bojis, Thuringis, Saxonibus, Friſiis. C. III.) de regno Francorum, et orto inde Germanorum regno. C. IV.) de legibus antiquiſſimis populorum Germ. C. V.) de Iure Saxonico, Sueuico, Lub. C. VI.) de quarundam prouinciarum et vrbium iuribus, cum antiquis, tum recentioribus. C. VII.) de peregrinis Iuribus in Germania ſuſceptis et adhibitis. Nemo harum rerum gnarus negabit, quae A. 1724. captum temporum non excedebant, ea Heineccium praeſtitiſſe. Sed forte vir magnus ne ſomniauerit quidem, librum noſtris vſibus non aptatum editum iri, quod 48 annorum interuallo hae litterae tantum adauctae ſunt, vt nouam plane formam induiſſe videantur: ſic enim diſcentibus non noxia fuiſſet eius lectio, ſi, quae in hoc genere inuenta nuper ſunt et emendata, illi inſerta fuiſſent; nec facile eius rei gratiam editori faciendam putamus. Quamquam enim aequis harum litterarum iudicibus fatendum eſt, hunc librum, niſi ſuo tempore excidiſſet, in hoc genere nouum plane et eximium extitiſſe; nec veris autoris laudibus quicquam detrahi, quod noſtri homines, quae temporum felicitas eſt, haec accuratius fere ſciant: tamen, ſi noſtrorum et diſcentium commodis aliquid dandum erat, liber ille quoquo modo effingendus et perpoliendus fuit. Haec ne temere aſſeri videantur, locum in examen vocabimus, qui in hoc genere facile dominatur, Cap. V. quod de praecipuis medii aeui libris agit, quibus iura exponuntur. Hic tantum recenſentur Speculum, Weichbild, et ius feodale Saxonicum, Richtſteig, Speculum, et ius feodale Sueuicum, et ius Lubecenſe: ne verbo quidem agitur de Iure Imperat. Senkenbergico, (quae collectio eſt quantiuis pretii,) quia nondum in lucem protractum erat. Simul Ecco de

Rep-

Repkau praefationem ſpeculi Saxonici ſcripſiſſe perhibetur, quae opinio ſane fertilis eſt errorum. Speculi Saxonici optima et recentiſſima editio tum temporis fuit Ludouiciana: nihil hic operae Gaertnerianae, nedum Grupenianae memoriae proditum: nihil de diſceptatione Senkenbergii et Grupenii de libris legum Saxonicarum, eorumque exemplis manuſcriptis. Nec tum is qui, gloſſas Teutonicas ſcripſit aut compilauit, poſtea a Grupenio prodendus, conſtitit. Vulgarem Iuris Magdeburgici collectionem non eſſe genuinam, ſed eſſe illa antiquiorem, iam Heineccius vidit: at Lauhnii liber nondum innotuerat, e tabulario Goerlicenſi protractus, genuinum ius Scabinorum Magdeburgenſium complectens. Nec ei conſtitit Auctoris veteris de beneficiis, et Iuris feodalis Saxonici editio Senkenbergiana. Nihil hic de Lauhnii ſententia, Ius feodale ſic dictum Saxonicum, nihil eſſe niſi collectas conſuetudines feodales communes. Mangelfeld et Kertaw librum Richtſteig ſcripſiſſe perhibentur: Grupenius nondum prodiderat verum autorem, Iohannem de Buch, nec liber tum talis fuit, qualem poſtea Senkenbergius edidit. Errore ne Speculum Sueuicum, an recte ita vocetur, non eſt notatum. Nec autoris coniectura facile ſe probabit, Speculum Sueuicum iuſſu Rudolphi Habſpurgici eſſe compoſitum: nititur illa eo potiſſimum, quod hoc interdum „Imperatoria et regia iura prouincialia et feodalia“ inſcribitur. Qui praeter allegatas huius Speculi editiones nullas monit, (nec potuerunt recenſeri illa Bergeri, Schilteri, Scherzeri, Schannati, et praeſtantiſſima Senkenbergii,) huic ad vſus noſtros belle conſuletur. Multum abeſt vt Heineccio imputemus quae temporum ſunt: nemo tamen ſanus haec temere iuuenibus commendauerit, harum litterarum cupidis, niſi malit miſeros priſcorum temporum ruditati, quam noſtri aeui inuentis, inhaerere. Reliqua capita legentibus facile oſtendent,

qui-

Digitized by Google

quibus noſtra ſententia firmetur. Addimus ad vltima huius capitis, quod Hiſtoria Iuris Lubecenſis, ſi iam tum Dreyerus ſcripſiſſet, longe alia futura fuiſſet.

IO. CAROLI VOLBORTH, A. M. DE FRVCTV, *quem Homeri interpres e lectione Virgilii capere poſſit, Commentatiuncula.*

Certum eſt, et extra omnem dubitandi locum poſitum, formari ſenſum pulcri bonique, et firmari, conferendis inter ſe duorum pluriumue Auctorum, vel argumenti ipſius ſimilitudine, vel quadam modi, quo argumentum tractant, propinquitate, inter ſe coniunctis operibus. Quicumque elegantiorum Muſarum vel limina attigerunt, ad adyta ipſa ſe non inſinuarunt, quotidiana iam experientia edocti norunt, in omni bonarum litterarum genere hac via citius acquiri aliquem boni rectique velut guſtum, quam regularum ſterilitate, qua ſuperſedere facile poterit, qui ad exempla ipſa ſtatim progreſſus, mature aliquam cum Homero, Virgilio, reliquisque elegantiarum et bonae mentis magiſtris contraxerit familiaritatem. Quae in lectione vnius, vt de Epicis nunc tantum differam, obſcura, ambigua, impedita, teneram aetatem morabantur, ſubinde clara fiunt, certa et expedita, perlecto altero aut tertio. Quae cum in omni diſciplinarum genere, litterarum linguarumque varietate ita ſe habere, quotidie animaduertamus, vt lectione eorum Auctorum, qui ſimile argumentum tractant, ſapienter inſtituta, ingenii acies acuatur, animi vis creſcat, informentur animo clariores rerum ideae: quidni in Epicis idem

idem ſit de eiusmodi lectione ſapienter inſtituta exſpectandum? Re itaque tantum ex hoc capite conſiderata, rem omnem Epicam, eiusmodi carminis vim et indolem, rerum imagines, verborum pondera, epiſodiorum iucunditatem, linguamque omnino poeticam, melius, clarius, et copioſius addiſcere putandus eſt, qui Homeri ſtudio Virgilii lectionem addiderit. Vt itaque, quod quidem ex his, quae praemiſimus, ſequitur, Virgilium felicius explicabit, qui recens ab Homero venerit, ita etiam, verſa vice, Homerum maiori cum ſucceſſu attinget, qui non alienus a Virgilio ad hunc Poetarum patrem acceſſerit. Sed haec per ſe patent, et clara ſunt.

Praeter hunc autem vulgarem vſum, quem vt omnes in omnibus diſciplinis e lectione plurium idem argumentum tractantium Auctorum petunt, ita etiam enarrator Homeri e Virgilio capit; ſingularem vtilitatem adfert Maeonii ſenis interpreti lectio Virgilii propterea, quod Maro ſe mirum quantum ſecundum Graecum vatem, Poëtarum omnium principem et patrem, finxit formauitque: maxima rerum ſimilitudo tractatarum, multae verborum iuncturae prorſus eaedem, plura epiſodia, in quibus, vt nonnulla variata et tempori ingenioque Maronis magis accommodata ſunt, ita etiam multa veſtigia adparent, Virgilium Homerum expreſſiſſe. Haec in ipſa lectione Virgilii a me fideliter, etſi breuiter, indicanda ſatis ſuperque demonſtrabunt, poſſe Homeri difficiliora, vt plerumque plerisque Graeca videntur non difficilia, illuſtrari et explicari e Maronis facilioribus, ſi quidem Romanus poeta eſt, quem minus horrere ſolent cum tironibus Magiſtri ipſi, et qui ideo notior eſt, et explicando Graeco aptior.

Accedit ad haec non contemnenda commoda, quae fidus Homeri explicator e lectione Virgilii ſedulo inſtituenda capere poteſt, in primis hoc, quod Romanus Poëta Homericae aetati propius vixerit, res itaque in hoc diuino Poëta — quidni enim diuinum, θεῖον cum Theocrito, vocemus omnis dulcedinis fontem? — contentas, nobis melius, rectius, felicius intellexerit, in primis quae deos, eorumque religiones et ſacra, heroicique temporis indolem attinent, nec non heroas Graecos, ſecundum cuiusque indolem et naturam optime cognitos habuerit, et in ſuo carmine expreſſerit: quae quidem omnia hic nunc a me indigitata, in interpretando Virgilio clarius et exemplis illuſtranda, monſtrant ſatis, non poſſe ſuperſedere Virgilii lectione aſſidua, ſi quis Homerum explicare velit *recte*, h. e. ſecundum temporis Homerici genium, linguae proprietatem, artis poëticae regulas ex eo factas ductasque, quibus omnibus non conſideratis, in veteribus Auctoribus, ſiue ſacris ſiue profanis, prorſus caecutimus.

Quod autem in primis in Virgilio ſpectari debet, neque mediocre Homeri interpreti adferre poteſt adminiculum, eſt ſingularis doctrina Romani poetae, quae lectione plurium ſcriptorum de fatis Troiae, inter quos Cyclici Scriptores in primis memorandi ſunt, qui iniuria temporis, paucis reliquiis exceptis, interierunt, comparata erat et aucta. Cum enim Graecia a Romanis in ſeruitutem redacta, cum caeteris libertatis bonis etiam accuratae doctrinae omnem habitum, tandem etiam ſenſum amiſiſſet, deperditis iam tum, aut deliteſcentibus pleriſque ex praeclaris illis antiquioribus poetis ac ſcriptoribus, ecce Vobis prouenerunt multi non poëtae, ſed verſificatores, qui ex nonnullis, qui ſupererant, poëtis cyclicis antiquis, noua carmina conſcri-

Digitized by Google

berent, aut etiam ex grammaticorum vel hiſtoricorum doctioribus libris breuiores epitomas conficerent, cenſendas iſtas et diiudicandas fere non modo ex propria doctrina, ſed etiam ex eorum, quos exſcripſerunt, fide ac iudicio. *) Erant **) autem poëtae cyclici, ii, qui, Homeri exemplo, non modo rerum bello Troiano geſtarum, quae Iliadem ſiue anteceſſerunt, ſiue ſunt ſequutae, verum adeo, Proclo apud Photium teſte, totius mythologiae a Coeli et Terrae inde nuptiis ad finem errorum Vlyſſis, modo ſingula capita, modo plurium capitum complexum, carmine epico, *hoc eſt*, ad Homerici *carminis numeros*, tractandique et eloquendi modum compoſito, expoſuerant, et ex quibus certa diſpoſitione a neſcio quo collectis et ordinatis ſyntagma epicum exſtabat concinnatum. Spectant eo in primis QVINTI CALABRI derelicta Homeri, TRYPHIODORI Ἰλίου ἅλωσις, COLVTHI Ἑλένης ἁρπαγή, TZETZAE Antehomerica, Homerica et Poſthomerica, DICTYS CRETENSIS, quem recentiores IOANNES MALALA, CEDRENVS, TZETZA et CONSTANTINVS MANASSES p. 44 ſq. in Synopſi hiſtorica a MEVRSIO edita fere exſcripſerunt, SISYPHVS COVS, DARES PHRYGIVS, PALAEPHATO vulgo tributa Τρωϊκά, in primis ILIAS PARVA; vnde vero videtur ſimillimum hauſiſſe Virgilium plurima in excidio Troiano enarrando. Praeterea multum Virgilius petiit ex ENNII, ACCII, LIVII ANDRONICI, NAEVII, PACVVII, VARRONIS et aliorum nondum deperditis fabulis, vnde ad narrationis varietatem, orationisque poëticae, cui vel maxime ſtudebat, dignitatem et ornatum, plurima duxiſſe putandus eſt. Haec

 omnia

*) Verba ſunt illuſtris *Heynii* in Excurſ. I. ad Libr. II. Aen. p. 224.

**) Ib. p. 220. *Salmaſius* in Solin. p. 597. *Caſaubonus* ad Athen. VII, 4. *Dodwellus* de Cycl. p. 802. *Schwarzius* Altd. Diſſ. de poet. cycl. *Fabric.* Bibl. Gr. T. I. p. 281.

Digitized by Google

omnia in Virgilio theſaurorum inſtar recondita bona, ſi ad Homeri Iliada referantur, ducere poſſunt interpretem, vt clarius videat, iuſta et aequa comparet, remoueat ex aliis adſuta et Homero adficta. Quae quidem hactenus diſputata ſpectant in primis ad Aeneidos librum II. et III. ſed etiam in reliquis libris, in ſuauiſſimo Didonis epiſodio, et alibi, multa ſunt ex Homero petita, ſed ita expreſſa, vt boni Poëtae imitari naturam eiusque pictores ſolent; non eſt plane idem color, ſed varietas mira, et rerum aliunde adſcitarum transformatio et mutatio ad inuentionis laudem proxime adſurgens.

E lectione Romani Poëtae crebro et recte inſtituta, poteſt Homeri interpres aliquos fructus etiam hanc ob cauſſam capere, quod Homeri epitheta, rerum imagines, et ſimilitudines, deorum religiones, Heroum mores, et id genus ſexcenta alia, verbis Virgilii mirum in modum explicari, illuſtrari, explanari poſſunt. Expoſui ſuperiore anno in qualicumque *de Olympo, Theſſaliae Monte, deorum Sede*, diſſertatiuncula, quam diligenter huic monti ab Homero tributa epitheta a Virgilio ſua lingua expreſſa ſint, vt vix remaneat aliquid difficultatis, ſi vocibus Homericis Virgilianae accommodentur. Eadem ratio eſt inter vtrumque Poëtam in deſcriptione epularum, ſacrorum deo oblatorum, aduentus abitusque dei alicuius deaeue, armorum heroicorum, belli pugnarumque faciei, morborum acutorum etc. in quibus omnibus vt Virgilius ne explicari quidem poſſit ſine Homero, ita etiam, vicibus verſis, Homero aliqua lux adfunditur comparatione Virgilii. Videtur mihi eſſe fere eadem ratio inter Homerum Virgiliumque, quae inter libros veteris nouique, vt vocant, Teſtamenti intercedit. Scriptores noui Foederis aeterna nocte premerentur ſano homini, nihilque inde poſſet elici, quod cohaereat

cum

Digitized by Google

cum reliquorum Scriptorum genio et indole, niſi haberemus veteris Teſtamenti auctores, vnde fere vnice illuſtrandi ſunt, qui poſt Chriſtum in canonem ſacrum recepti ſunt libri. Sed velim mihi monſtretur aliquis homo ea fronte, vt negare audeat, illuſtrari libros veteris Teſtamenti, vt tam barbare nunc ſcribam, ex Homeri elegantiis in hunc campum delatus, e noui foederis Scriptoribus. Vt et hoc meum adſertum vno exemplo illuſtrem, legimus, ſi quidem recens ab explicando Geneſeos mirae ſimplicitatis libro, nullique alii dulcedine impare, venio, inter promiſſiones a Deo Abrahamo factas Gen. XXII. 18. et hanc, fore, vt omnes terrae populi benedicantur in ſemine eius: (וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ) phraſis prorſus Hebraea, quae Latina lingua denotaret fere felicitatem populorum, qua ſint gauiſuri, quod ab Abrahamo ſtirpem traxerint. Suboriuntur autem multae difficultates in voce זֶרַע, *ſemine*. Non poteſt illa capi de Iſaaco, ſi quidem et illi XXVI. 4. eadem promiſſio ſit, neque de Iacobo, cui quidem aeque bona annunciantur XXVIII. 4. Videtur itaque ſermo eſſe de alio ſemine, a quo in primis tot ſint in populos redundatura commoda, vt ſe felices praedicent in Abrahamo. Diſpelluntur hae nebulae omnes collato loco N. T. qui eſt ad Gal. III. 16. vbi legimus: τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ· οὐ λέγει, καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός, καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι Χριστός. זֶרַע itaque de futuro ſemine, de Chriſto accipiendum, ab Abrahamo deſcendente, et multigenae felicitatis omnibus populis fonte. Idem ſaepe fructus, vt ex hoc campo ad Homerum Virgiliumque redeam, ex Italo poëta in Graecum ipſa comparatione redundat. Virgilium autem Homerum intellexiſſe, quis audeat dubitare? cuius quidem immortalia carmina vt eo melius intelligeret, non parum contulere, vt iam ante memorauimus,

Digitized by Google

multi deperditi Auctores, quorum lectione inſtructus erat, et vnde magna lux non potuit non diffundi in vniuerſum Homerum. Quod igitur ad diiudicandam illuſtrandamque corporis humani ſtructuram ex comparatione corporum brutorum animalium Anatomici, ad explicandum Polybium e Liuio Hiſtorici, Theologi e noui Foederis Scriptoribus ad explicandum canonem veteris Teſtamenti petunt commodi et ſubſidii, eumdem ſane capit fructum fidus Homeri interpres e lectione Virgilii ſedulo et recte inſtituta.

ARCHIDIACONI IO. FRANCISCI DE TVSCHIS a Fagnano, ex S. Honorii Marchionibus, Obſeruatio aurorae Borealis viſae nocte inſequenti diem XXVIII. Iunii MDCCLXXVIII. habita Senogalliae.

Ad horam quartam noctis cum dimidia cubiculum ingreſſus, vbi Librorum meorum ſupellex ſeruatur, vt amico Epiſtolam darem, inſolita luce perfuſum vidi. Statim ad feneſtram cucurri, eaque aperta, aurora borealis gratiſſimum mihi ſpectaculum praebuit, eo magis, quod Maierus Tomo I. Commentar. Academiae Scientiarum Petropolitanae, ſe aeſtiuo tempore nunquam vidiſſe dicat.

Feneſtra Coro oppoſita reſpicit ciuitatis plateam, et licet in alto collocata ſit, aedificia, quae illam circumdant, non parum obſeruationes impediunt, ideoque Arcum accenſum et rubeum non vidi, cuius corda noſter foret Horizon, neque virgas ſalientes, et deſcendentes, ſed ex luce

Digitized by Google

ce rubicundiori, quae atmoſphaeram illuminabat, facile erat deducere, haec phaenomena non defuiſſe.

Quod igitur mihi datum fuit adnotare, fuere columnae lucidae, quae a ſeptemtrione vsque ad occaſum ſe extendebant, et quae erant huic propinquiores, lento motu verſus Boream ferebantur, et quaſi omnes inter ſe parallelae, non elatiores, nec depreſſiores fiebant, non erectae erant, ſiue perpendiculares, ſed in ſummitate verſus Oculum ſpectatoris inclinatae, ita vt dixerim, quamlibet earum formam habuiſſe ſphaerici trianguli, cuius vertex Coelum reſpiciebat. Erant columnae tam fulgidae, vt Aurigae ſtellas quartae tertiaeque magnitudinis abſconderent, earumque margines terminabantur lumine caeruleo et rubro, non ſecus ac in Iride, eandem ſemper lucem conſeruarunt, vt ex radii, qui ab ipſis emanabant, ab initio obſeruationis, quamuis tenuiorem.

Poſt horae dimidium columnae omnes ad Boream coaluere, magnumque frumenti manipulum repraeſentabant, ſcapis ad horizontem verſis, ſpicis ad coelum, quod elapſo quadrante diſparuit, et lux vndequaque inter Boream et Eurum ſe ſparſit, quae ipſa poſt alterum quadrantem penitus euanuit.

Coelum vndique ſerenum erat, vel tale dici poterat, nam initio obſeruationis duas ſolummodo non magnas nubes vidi, vnam inter occaſum et Corum, alteram inter ſemptemtrionem et Eurum: ſed cum durante obſeruatione immobiles perſiſterent, atque interdum, vt ordinarie euenit, fulgurarent, primo intuito agnoſci poterat, nullam cum boreali luce relationem habuiſſe, et reapſe cum haec diſparuiſſet, nullam variationem paſſae eſſe viſae ſunt.

Non

Non anteceſſit tepida tempeſtas, neque comitata eſt, multo minus frigida ſucceſſit; ſed lenis Auſter ſpirauit a noctis initio vſque ad mane, atque aeris temperies per totum obſeruationis tempus eadem fuit, quae menſe Maio eſſe ſolet.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLXXVI.

PETRI LAMBECII, HAMBVRGENSIS, COMmentariorum de auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi LIBER, SECVNDVS. Editio altera, opera et ſtudio ADAMI FRANCISCI KOLLARII, Pannonii Neoſolienſis, Auguſtae Bibliothecae Vindobonenſis Cuſtodis primarii, in Collegio Aulico rei metallicae et monetariae procurandae conſiliarii, et Academiae Electoralis Scientiarum et elegantiorum literarum Theodoro-Palatinae Socii Extraordinarii.

Vindobonae, typis et ſumptibus Ioan. Thomae Nob. de Trattnern, Auguſtae Aulae typographi et bibliopolae Vindobo-

Digitized by Google

dobonenſis, Anno a partu virginis 1769. Pagg. omnino 967. cum tabb. aen. multis, in fol.

In Commentariis Lambecianis de Auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi renouandis, pergit Illuſtris *Kollarius*, Vir omni noſtra laude maior, pro inſtituto et propoſito ſuo, ſicut in his Actis Anni 1771. pag. 143. ſqq. expoſuimus, eoque conſilio iam et alterum Commentariorum librum euulgauit, magna, vt profitetur, et ipſa res teſtatur, diligentia a ſe ornatum et expolitum. Curauit autem, vt quae in Additamentis inſerenda ſuis locis deſignauerat Auctor, ea adiecta legerentur, niſi quaedam grauis cauſſa, ordinis nempe et rerum conditio, aliud ſuaderet; porro, vt quae eſſent loco non commodo tradita, reiicerentur in alium, monerenturque lectores, vnde quaeque ipſis petenda eſſent, denique vt afferrentur ea, quae ab eruditis eſſent prodita, ad nonnulla horum Commentariorum loca, in rebus potiſſimum ad Critices et Hiſtoriae cognitionem ſpectantibus, emendanda et corrigenda; ad quae capita fere referuntur omnia, quae in refingendis, ſupplendis, perficiendisque his libris peracta ſunt. Hae nouae adnotationes, a Lambecianis notis, quae numeris vulgaribus minoribus inſignitae ſunt, adiectis maioribus litterarum A, B etc. formis, diſtinguuntur. Secundus hic liber nouem capitibus conſtat. Primum de nomine vero, et cauſſa nominis Vindobonae vrbis exponit. Alterum idem argumentum tractat. Reimannus minime probabat iſtam diſputationem, eamque, velut prorſus ab vniuerſi operis propoſito alienam, omiſſam, aut ſuo potius loco, in primo ſtatim libro prolatam fuiſſe volebat; illo Kollarius tamen, quamquam idem cenſeret, prorſus mouendam et tollendam non putauit, cum multa praeterea complectatur, quae ad cognoſcendas Bibliothecae diuitias, *pulchre*, vt ait, *deduxerint*, ſiue quod aptius foret,

Digitized by Google

foret, commode pertineant. Sed in redintegrandis et corrigendis his ſectionibus inprimis, magna cura apparet, cuius documentum praebent crebrae adnotationes ei adſperſae, quarum aliae paucioribus, aliae pluribus verbis expediuntur. At aliter de ſequentibus ſtatim capitibus III. IV. V. et VI. ſtatuere placuit. His, in quibus quippe non ſolum alieno loco multa de Codicibus quibusdam latinis continerentur, ſed eorum quidam etiam intempeſtiue euulgarentur, ita vt voluminoſi operis ſcribendi quaeſita magis quam oblata videretur occaſio: ſuum locum aſſignauit in Analectorum Vindobonenſium opere, vna cum nonnullis, quae in Additamentis Auctor, maioris amplificationis cauſſa, ſuis adiicienda prodidiſſet. Addimus ipſius Ill. Editoris verba. „Ex quibus, ait p. 116. aeque atque ex vngue leonem, in„tempeſtiuum Lambecii Commentaria noſtra ſcribendi mo„rem facile agnoſcas. Capitis enim initio primi vrbem no„ſtram per τὸ W. non V. ſcribi oportere, fruſtra nitebatur, „eo potiſſimum, quod in quibusdam vetuſtis quidem, ſed „indocta manu ſcriptis, eo modo occurrit ſcripta, neque „aliter a Narbonenſi Vienna queat diſtingui. De ſoloeco „hoc ſcribendi more, deque vano a Narbonenſi Vienna me„tu, dixi quae debui, ſupra pag. 7. Leuiſſima autem illa ac „ridicula de cauſa, Latinorum tot codicum recenſionem in„tempeſtiuam prorſus et ἀπροσδιόνυσον hoc quidem libro fu„iſſe, facile quiuis intelliget; neque vllus, credo, prudens „et eruditus lector daturus eſt mihi vitio, quod hinc reſciſ„ſam in Analectis meis ediderim, pag. 1. et 22." Adeunda ſunt eadem Analecta p. 27. n. III. item a pag. 643. n. VII, p. 727. et 825. n. VIII. et IX. Iam, codicis Mſ. operum Dioſcoridis verboſam et prolixam collaudationem, ſeptimo capite tractatam, ab hoc quidem libro alienam, ſeruandam fuiſſe ad Lib. Comment. VI. P. II. Cod. V. vbi de eo dedita opera egit, pag. 121. obſeruat; ibidemque

monet, compertum ſe et exploratum habere, exaggeratum iſtum Lambecii verborum cumulum, ſi ventilare lubeat, maximam partem in ventum et paleas abiturum eſſe. Obſeruationem palmariam, et rei criticae ſtudioſis ſcitu gratam, vt arbitramur, et neceſſariam, non ſilebimus. In Codice iſto folio ſeptimo haec verba leguntur: Τάδε ἔνεστιν, Πεδανίου Διοσκορίδου Ἀναζαρβέως περὶ βοτανῶν καὶ ῥιζῶν καὶ χυλισμάτων καὶ σπερμάτων συμφύλλων τε καὶ φαρμάκων: quae Lambecius vertit: *Haec inſunt: Pedanii Dioſcoridis Anazarbenſis de herbis et radicibus et ſuccis et ſeminibus cum foliis ſimul ac medicamentis.* Igitur haec: ΣΥΝΦΥΛΛΩΝ, ait, quae in codice coniunctim leguntur, ſeparatim legit ſic, σὺν φύλλων, et interpretatus eſt, *cum foliis*, rectum incorruptumque putans eſſe τὸ φαρμάκων, ſenſu huic loco parum apto, errore manifeſto atque admodum turpi. Quippe vt *cum foliis* vertatur, σὺν φύλλοις Graece ſcriptum eſſe oporteret, quo indicio mendam librarii non aegre videre poterat ΣΥΝΦΥΛΛΩΝ pro ΣΥΝΦΥΛΩΝ ſcribentis, eademque oſcitantia τὸ φαρμακωδῶν, quod ſub oculis habebat, in φαρμάκων vertentis. Omnis enim haec epigraphe deſumta eſt ex initio libri eiusdem Dioſcoridis tertii, vbi poſt alia leguntur haec: περὶ ῥιζῶν καὶ χυλισμάτων καὶ βοτανῶν καὶ σπερμάτων συμφύλων τε καὶ φαρμακωδῶν. — A Dioſcoride autem σύμφυλος et ὁμογενὴς promiſcue poni, et τοῖς ἀσυμφύλοις opponi, loca eiusdem ſcriptoris alia demonſtrant. Mentionem quoque facit Lambecius editionis Dioſcoridis ab Iano Antonio Saraceno curatae. Multo tamen auctiorem ait eſſe appendicem illam vetuſtiſſimi iſtius, de quo agat, Mſti Dioſcoridiani. In quo falſus fuiſſe, nec ſatis inſpexiſſe membranis inſcriptam Vindobonenſibus Appendicem, arguitur. alioqui animaduerſurum fuiſſe, haec, quae verſu ſcripta ſint, ab iis quae in proſa habeantur in Saraceni editione, diuerſa eſſe. Non Pamphili Alexandrini, ſed Rufi Epheſii haec Appendix putatur, ſub

cuius

cuius nomine cum Dioſcoride ab Aldo 1518. et ab Fabricio B. G. II. p. 630. typis excuſa fuit. — Alius praeterea priori ſimillimus Dioſcoridis Codex, cum aliis plurimis optimae notae codicibus priſcis, Neapoli transmiſſus, in Bibliotheca hac Vindobonenſi aſſeruatur. Eſt idem ille codex, quem a ſe Neapoli viſum memorat Monteſalconius Diar. Ital. p. 307. quemque diligenter recenſet Palaeogr. Gr. p. 212. ſqq. Ait autem, hunc codicem illi Caeſareo elegantia parum concedere, ſeque credere, antiquitate iſti aut parem eſſe, aut potius anteire; quibus dictis fauet Kollarius, qui codicem iſtum Neapolitanum a ſe diligenter inſpectum, et varietatis lectionum enotandae cauſſa cum altero claro illo, Byzantino, vt vocat, collatum, eodem antiquiorem eſſe cenſet. Monet etiam de variis lectionibus, quae in Saraceni exemplo Dioſcoridis marginem occupent, notis V. aut V. C. i. e. *Vetus codex* inſcriptae, eas eſſe ex Codice Vindobonenſi Byzantino, (ſic enim appellare placet, ad diſcernendum eum ab altero, nunc quoque Vindobonenſi, Neapolitano), petitas, a Ioh. Sambuco, qui eas Saraceno transmiſerit. Conringium quoque docet perperam intellexiſſe Lambecii narrationem, cum *Introductione in vniuerſam Art. medic. et ſing. eius part.* p. 275. exiſtimet, codicem illum Caeſareum, ſiue potius folia aliquot, quorum ſit inſcriptio: Ἰατροσόφου κρατεύου τοῦ ῥιζοτόμου περὶ ὕλης ἰατρικῆς, eſſe opus quoddam integrum aut peculiare; eſſe enim eadem illa, quamquam non omnia, Crateuae fragmenta, quae illi Byzantino codici inſint, a Graeculo quodam, ex eodem Byzantino Codice, recenti prorſum furtiuaque manu deſcripta. Denique ſe compertum habere, foliis hiſce tantum, neque alio Crateuae codice vſum fuiſſe Matthiolum. Cur vero codicem Cantacuzeni appellet, hanc fortaſſe cauſſam eſſe, quod ſub finem legantur fragmenta quaedam, ex Antonii Cantacuzeni Obſeruationibus medicis excerpta: alterum

Digitized by Google

rum codicem Neapolitanum memoratis Crateuae excerptis carere: neque vero ſingulis, vt ſerilat Conringius, plantis, Crateuae fragmenta ſubiecta eſſe; pauca admodum eſſe, prioribus ſolummodo plantis adſcripta. Ex quo intelligitur, quam fructuoſus eruditis futurus ſit labor recenſendis his Commentariis, ab Ill. Editore ſuſceptus, quod, vt arbitramur et auguramur, in progreſſu operis, ſuo loco, clarius apparebit.

Cap. VIII. quod ampliſſimi Bibliothecae Caeſareae augmenti hiſtoriam continet, et hanc ob cauſſam ſuum retinuit hoc in libro locum, materiam itidem praebet caſtigandorum quorumdam errorum, v.c. illius, quem in deſcribendo Ciceronis numo commiſit Lambecius, in veterum literarum cognitione non admodum tritus. In quo refellendo vtitur iudicio et vero etiam verbis Iac. Gronouii, ex eius praefattione editioni ſuae Operum Ciceronis praemiſſa, depromtis. Nobis, quia haec editio in eruditorum manibus eſt, ſuffecerit, illic cupidos Gronouiani nominis ablegare.

Sequitur ipſe catalogus Codicum Manuſcriptorum, qui ex Archiducali arce Ambraſiana, iuxta Oenipontem ſita, in Bibliothecam Caeſaream Vindobonenſem quondam translati ſunt. Hic quingentos manu exaratos codices comprehendit, numeroſus vtique, ac pro extemporali ſpecimine ſatis prolixus. Et quia Ioh. Bapt. Gentilotus, bibliothecae poſt Neſſelium Praefectus, eos cum ceteris eiusdem linguae et patriae codicibus Caeſareis miſcuit: ad Lambecii normam in ſex claſſes diuiſit, eruditeque recenſuit: quia porro frequenter in Commentariis ſuis ad iſtum Catalogum lectores remittit, eumque, aut pro merito laudat, aut more ſuo docte emendat; denique, quia Montefalconius etiam eum in *Bibliotheca Bibliothecar.* MSS. T. I. p. 562. ſeqq. compendio

dio retulit, his potiſſimum de cauſſis ſecundo hoc libro iterum editus eſt. Editor autem, de ſtudioſis harum rerum bene merendi ſtudio ductus, ad codices ſingulos diligenter adnotauit, qua in manuſcriptorum claſſe, quoue ſub numero, quisque poſitus ab Gentiloto et recenſitus ſit.

De reliquo, hac ex parte leuatus ipſius labor, iſtius opera videtur. Eſt tamen, vbi Gentiloti aſſertis et obſeruatis, vel ſua ipſius, vel aliorum ſententia ſubuenit, v. c. in iis quae ad Codicem Iuris feudalis Germanici ſpectant, laudatis Chriſt. Thomaſii *Selectis Feudalibus* et Reimanni *Bibliotheca Acroamatica*, quibus in libris paſſim errores Lambeciani caſtigantur. Agnoſcimus candorem Ill. Editoris, qui iſta diſſimulare minime voluit, quem etiam his verbis teſtatus eſt, quae p. 686. leguntur: „Quae et ſimilia non „alia, Iouem lapidem iuro, mente detego, indicoque, „quam vt Commentaria noſtra ab huiusmodi falſis aſſertis, „quantum in me eſt, immunia, vſibus vtiliter ſeruiant pu„blicis.“ Quid alios memoremus in Geographicis Hiſtoricisque rebus indicatos errores, et idoneis rationibus manifeſtatam veram, cui ſit immanendum, ſententiam? quid commemoratos ſcriptores, qui inter recentiores easdem res accuratius et luculentius pertractauiſſent? Inter quos videbatur etiam referendus eſſe Dav. Ruhnkenius, celeberrimi nominis nunc Criticus, qui quondam a. 1743. Vitembergae, ſub praeſidio Iohann, Daniel. Ritteri, Regii et Electoralis conſiliarii Aulici et Hiſtoriarum Profeſſoris publ. ordinarii, duas diſſertationes defendit, ſiue potius alteram tantum, nam alterius tuendae ipſe praefuit, *de Galla Placidia Augusta;* ſed fortaſſe ſuo merito praetermiſſus eſt, quandoquidem nec is vllam Lambecii, cuius de eodem argumento diſputata, aliquot occupantia plagulas, in hoc ſecundo Commentariorum libro inſunt, mentionem facere deprehenditur.

Ad

Ad nonum Caput, quod de itinere Budenſi, deque miſeranda conditione, qua iacentem offenderat ibi Lambecius bibliothecam Matthiae Coruini, Hungariae regis, de more ſcriptores laudantur, e quibus plenior et certior deſcriptio Budae et ipſius bibliothecae peti poſſit. Editoris quoque, in eodem argumento iam dudum aliquid molientis, fortaſſe haberemus opuſculum, niſi promiſſo Paulli Fabri, in Commentatione *de Auguſta Budenſi Bibliotheca*, quae Lipſiae a. 1756. prodiit, qua ſcribit ſe iuſtam huius Bibliothecae hiſtoriam breui daturum, ab incepto reuocatus fuiſſet. Sic enim vanis ſaepe quorumdam promiſſis, meditata aliorum conſilia irrita redduntur.

Et quia ad augendam Bibliothecam Caeſaream hoc iter pertinuit, in fine ſubiicit Ill. Editor caetera, quae Lambecius aliis in locis ad hiſtoriam et incrementum eiusdem bibliothecae ſpectantia, adnotaſſet, nempe e Libro Comment. quarto, locum p. 326. et Additamentum VIII. quod is in Appendice Libri Commentar. quinti illuc referri iuſſerat, quo continetur index manuſcriptorum aliquot Graecorum, qui emtionis iure ei acceſſerunt; item ex Appendice libri Commentariorum ſeptimi Additamentum XII. agens de inſigni bibliotheca Hiſpanica Ill. Marchionis Gabregae, quae anno ſuperioris ſaeculi 75. Bibliothecae Caeſareae feliciter eſt inſerta. At aliis de huiusmodi additamentis inſerendis admonitionibus, praeſertim ſi paullo alieniora, aut ab aliis intercedente tempore tractata referrent, obediendum non putauit. Sic v. c. p. 950. ita ſcribit: „In Appendice Libri Comment. quarti Additamento ſeptimo, certas, vt ait, ob cauſſas, adſui his noſter volebat „longam ex Iohannis Pierii Valeriani libro primo de literatorum infelicitate, laciniam, fata ac fortunam Iani noſtri „continentem. Eodem Pierii loco opportunius et ſcite ma-

„gis

„gis vſus eſt Cl. Norbertus, in iam laudata de vita et ſcriptis „Iani diſſertatione, quem hic omiſſam (l. omiſſum) ibi „quaeri legique volumus." Sermo enim eſt de Iani, ſiue Iohannis Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis, qui tempore Matthiae Coruini regis Hungariae vixit, Carminibus; quorum anno huius ſaeculi 44. ſplendidam Norbertus, adiuuante Kollario, editionem curauit.

Ergo ſane intelligimus, quam graui et multiplici labore opus ſit, ad hanc rudem fere et indigeſtam Lambecianorum Commentariorum molem *diſponendam* et ordinandam; quam multa ſint *indaganda*, *relegenda*, *exponenda*; quam ſaepe ſint alia aptanda et connectenda, alia ſecernenda, carpenda, runcanda, interdum etiam truncanda. Ergo etiam moram perferemus, et indulgebimus cunctationi, quam in Praefatione excuſat Editor, non inerti, ſed ſapienti. Neque enim tantum ex poſteris, ſed etiam nec ex hac aetate quisquam quaeret, quam cito, quamque feſtinanter, ſed quam recte et diligenter tam hunc, quam reliquos Commentariorum libros ediderit. Qui quidem de tarditatis excuſatione locus admonet nos leuiculi vitii, ab eximio opere chartarumque et typorum nitore luculento eximendi, *quaeſtituros* pro quaeſituros; ſed et alia deprehendimus interdum, in viſendae magnitudinis litteris. An non et huc illud referendum p. 161. *Ad publices in domo* pro ad pulices? Sed in his, quia neminem facile turbauerint, minime immoramur. Optamus autem vehementer, vt firma valetudine recreatus Editor illuſtris, inoffenſo pede pergat ornare rempublicam atque illuſtrare inſignis doctrinae ſane fructibus. Optat hoc vna nobiſcum omnes qui litteris bene cupiunt.

Digitized by Google

COMMENTARII DE VARIIS REBVS GRAvioris momenti, quarum vſus eſt in republica adminiſtranda: ſiue: Verſuche über einige erhebliche Gegenſtände, welche auf den Dienſt des Staats Einfluſs haben.

Lib. Teuton. prodiit Francofurti ad Moenum et Lipſiae. 1772. 8. maj.

Steckius, arcanorum bellicorum Comes, tam ab acrioris ingenii facultate, quam ab vberioris doctrinae copia inſtructus, quum Berolini hac laude maxime omnium floreret, meruit auctor haberi huius ſcriptionis, cum optimis in hoc genere comparandae, et omnino dignae, quae eruditiſſimum virum laude cumulet; conſecutus enim videtur id, vt, quod titulus prae ſe ferret, illud plane exprimeret. Liber meditationes continet grauiſſimi argumenti, XIV. numero: harum eas tantum, omiſſis reliquis, delibabimus, quae ad iuſti ſcientiam maxime pertinent; illud genus in eo plerumque verſatur, quod iuris eſt inter gentes. Agit ſecunda de nexu Liuoniae cum Germania iam ſublato: illum, cum antea aliquis fuerit, iam intercidiſſe noſtris temporibus, auctor luculentis rationibus euicit, quibus omnis haec controuerſia conuellitur, mota olim per occaſionem belli Boruſſici ab ordine equitum Teutonicorum, vano conatu Germanis illius regionis imperium aſſerturo, deſertae quondam a dominis. Nam cum ducentis ab hinc annis Liuonienſes a Ruſſis omni cladium genere affecti eſſent et in publica calamitate Germanorum, quibus tum parebant, auxilia efflagitaſſent, at nemo ab his exitium depulſum iret, hi ad incitas redacti, quippe qui quatuor annos infenſiſſimum hoſtem ſoli tolerallent, tandem nouos dominos circumſpexerunt, re-

relictis prioribus, et pars in Suecorum clientelam venit, pars Polonorum fidei ſe permiſit, quae poſtea Lithuaniae accenſa eſt. Imperatores igitur proteſtationibus nihil agere videntur, quibus ſua vis legitima deeſt: potius Germani, quod implorati nullam Liuonum curam habuerint, neque illorum iniurias ex foedere vlti ſint, videntur iure gentium deſeri debuiſſe. Omnis enim res publica, quae clientum, ſeu prouinciae, ſeu populi, neceſſitates prodit, neque vlla afflictorum cura tangitur, ſi illam qui coluerunt deſerunt, iuſta patitur; nec eſt quod de iniuria queratur, illata potius quam accepta, quod partes alterius ſecuti, cuius vel opes admiramur, vel ſingularem in ſuos fidem ſuſpicimus, veteres neceſſitudines ſoluamus. Neque ille, qui proditis clientibus diuina humanaque iura violauit, vlla iuris formula efficiet, vt cauſa integra ſibi ſit, eos, quaſi rem ſuam, quandocunque repetendi: his enim cautionibus contra violentos vtimur et doloſos, qui ciuitatum opibus inhiant; imbecilles non calumniamur, qui, niſi neglectis nobis, neglecti ipſi, ſalui eſſe non poſſunt. Sic in ea pace quae Oliuae coaluit, Imperatoris legati, quod regi Suecorum Liuonia ceſſiſſet, ne verbo quidem queſti ſunt: etſi maxime debuiſſent ſi quid ſui iuris in illam fuiſſet, illud exponere, neque committere, vt ab ignaris harum rerum iniuria ſibi fieret, quam tamen, ſi vlla ipſis facta eſt, animo tam aequo tulerunt, vt primi eſſent qui regem ob illius imperium ſolemni nomine appellarent: quo pacto, ſi quid his iuris in illam tum fuit, omne ſane eſt ſublatum; igitur, (ſcriptoris eſt oratio honeſta ſane atque adeo noſtra) ad commenticia iura quibus vmbratici doctores rem Germanam adaugent, et illud referendum eſſe. Sequitur tertia, de praeferendo crucis inſigni, tractatio, qua, ſeruato temporum ordine, conſuetudinis illius origo et ſucceſſus exponuntur, nimirum vt honos iſte ſenſim ad ſingulos peruenit, quibus habetur, Papae, legatis papalibus, Patriarchis,

Digitized by Google

Primatibus, et qui illum a Papis acceperunt poſt Synodum Viennenſem 1311. cum pallio coniunctum, Archiepiſcopis. Hoc, quod Praelati extra ſui imperii fines eo non vtuntur, probat, illum non aliquem dignitatis gradum deſignare, ſed eſſe maioris cuiusdam iurisdictionis indicium, neque aliam ob cauſam Cardinales, ſi ſolam hanc dignitatem teneant, hoc inſigni carere videntur. Si quis Papae legatus vrbem regiam intrat, praefertur illa crux, ſed in atrio Palatii manet, cum rex ab aduenienie primum ſalutatur. Tota diſputatio illa prodit ſingulare viri in hoc genere iudicium, optimorum librorum lectione formatum. Quinta eſt de obſidibus et conſeruatoribus pactorum medii aeui, et de origine garantiarum. Legimus hic, principes illius aeui pactorum fidem Vaſallis obſidibus firmaſſe, obſtrictis, ne dominis adeſſent contra foederis religionem agentibus, adeoque vi illorum libidinem comprimerent: hos imprimis conſeruatores eſſe dictos. Saepe coactos Vaſallos, cum feudum acciperent, ſpondere, eiusmodi vades ſe futuros: ab his tamen nouum feudorum genus inter Germanos non extitiſſe, Maſcouium illud ex alterius fide minus recte aſſerere. Deinde in hanc rem multa exempla promi eorum temporum, cum e Germanis, tum e reliquis populis. Adhuc anno 1493. cum Siluanecti pax fieret inter Maximilianum I. et Carolum VIII. Francorum regem, conſtitutos eſſe quosdam ab vtroque aulicae militiae viros, maxime conſpicuos, quibus illa ſtaret conſeruatoribus. Mox principes ſenſiſſe, damnoſum ſibi hoc genus vadimonii eſſe, ſiue dantibus, ſiue accipientibus; eo motos rogaſſe aliarum ciuitatum principes, vt foederum a ſe factorum ſuſciperent tutelam; inde natas garantias noſtrorum temporum: harum primum exemplum deprehendiſſe videri ſe ſibi illud in pace Bleſenſi 1505. Ludouici XII. Franciae et Ferdinandi Arragoniae regum; ab his Angliae regem eſſe rogatum, vt mutuam pactorum fidem auctoritate

ſua

ſua tueretur. Sequitur ſexta de mediatione portae Ottomannicae. Turci, etſi eo ingenio ſint, quod abhorreat fere ab exterorum populorum negotiis, tamen haud grauantur rebus ſuis principes Chriſtianos interuenire, ipſi illorum rebus nunquam interuenientes. Erat igitur quam miremur illa gentis in nos pietas, qua functa eſt non tamen defuncta, in bello de ſucceſſione Auſtriaca, vbi oratores miſit animorum conciliandorum cauſa, quos partes laudatos dimiſerunt belligerantes. Vndecima eſt de conſulibus ſic dictis populorum qui mercaturam faciunt: hoc nomine medio aeuo quidam laudantur iudices et praeſides mercatorum, iam in rebus Italicis poſt annum 1100. conſpicui, atque etiam nunc in emporiis Francorum vigentes. Qui cum mercaturae iure prodeſſent, ſimulac occidens cum oriente, expeditionum cruciatarum ope, commercia inſtituiſſet, miſſi ſunt in eos tractus qui ſuae gentis mercatoribus conſulerent, eorumque cauſas iudicarent: hi reliquis ortum dederunt, qui a ciuitatibus in portus et emporia peregrina ablegantur, ad ſubleuanda ſuorum commercia. Noſtris temporibus Conſul eſt publicus ciuitatis procurator, a populo, quocum eſt commerciorum ſocietas, publice admiſſus, qui ciuium ſuorum inter ſe lites dirimat, cauſam defendat, vtilitati proſpiciat. Is, etſi populo paret qui miſit, tamen in cauſis ciuilibus et priuatis licet eum ad iudices deferre apud quos degit, niſi pacto aliter cautum ſit. Conſules in oriente, qui apud Turcos degunt, vi pacti legatorum iure fruuntur, nec in vincula ducuntur, nec eorum bona retineri fas eſt. Omnis cum iis cauſa apud legatum diſceptatur, qui miſſus ab eius gente Conſtantinopoli habitat, ſalua tamen Turcis cognitione. Hanc autor eiusmodi eſſe credit, vt conſilium imperii Ottomannici ſupremum, cum legato aut conſule generali coniunctum, litem componat, quae Conſuli vel a ſuis, vel a prouincialibus intenditur. Mox autor paucis Vattelium ſtringit, aſſeren-

tem de his procuratoribus, etſi pacto non cautum ſit, tamen eos in foro domicilii accuſari nefas eſſe, nec eos rei publicae, cuius ſolo immorantur, ſubiectos eſſe. Principis eſt Conſules nominare; mercatorum, negotiorum geſtores. Illi vel litteras accipiunt, quae plenam ipſis fidem efficiant; vel commendatitias tantum et prouiſorias: hi, publica autoritate non pollent. Cum a rebus publicis non admittantur, niſi volentibus, iura et immunitates eorum pactis nituntur. His appoſita ſunt excerpta quaedam e pactis commerciorum cauſa factis, cum gentibus imprimis barbaris; moneturque, raro illos in commerciis cum populis Europaeis, iurisdictione vti, ſed fere per orientem. Nec tamen cauſas tantum iudicant mercatorum et nautarum, ſed et reliquas ciuiles, niſi pactorum iure prohibentur. Prouocatio ab iis eſt ad ciuitatem cuius negotia gerunt, appellato maiore magiſtratu. Delicta ſine prouocatione coercent, ſupplicium tamen et poenas corporales non irrogant, ſed cauſam cognoſcunt, et litteris perſcriptam ad alios iudices mittunt, quibus de re nautica iurisdictio eſt. His multa annectuntur iura aut officia Conſulum ad promouenda ſuae gentis commercia. Eſt et vectigal quoddam quod Conſules exigunt, ex onere nauium et mercimoniis, ſiue ciuium, ſiue aliorum, qui ciuitatis inſignia in nauibus ſuis attollunt, aut quoquo modo ipſorum opera vtuntur. Noſtra aetate quinquageſimas fere capiunt, niſi illas ſibi princeps vindicet ad legationum ſumtus ſuſtinendos; tum his ab illo certa merces ſoluitur. Haec de conſulibus diſputatio in toto libro facile primas tenet: nec tamen reliquae leuioris momenti ſunt; quibus omnibus autor ſe talem probauit eruditis, qualem in hoc genere optamus, intelligentem et ſingulari iudicio praeditum: qui ſi plura ſui ingenii ſpecimina edat eſt quod cordati ſibi gratulentur.

III.

Digitized by Google

IMMAN. IO. GERH. SCHELLERI PRAECEPTA ſtili bene latini, inprimis Ciceroniani, ſeu eloquentiae Romanae, quatenus haec noſtris temporibus in dicendo et ſcribendo vſurpari poteſt, ſumma diligentia, maximoque perſpicuitatis ſtudio tradita et illuſtrata PARS POSTERIOR.

Lipſiae ſumtibus Caſpari Fritſch, CIƆIƆCCLXXIX. a. p. 497. ad p. 826. praeter Indicem.

Praecepta, quae docent, qua ratione quis latina lingua in ſcribendo atque dicendo recte vel bene vti poſſit, ac debeat, et quae ſumma diligentia, maximoque perſpicuitatis ſtudio tradita feruntur, quum debeant cuiuis docto grata eſſe atque accepta, vt ſcribendi, vel quod tamen rarius fieri ſolet dicendi latine neceſſitate impoſita, intelligere poſſit, quantum accedat, vel quantum abſit ab elegantia veterum ſcriptorum aureae aetatis, vt veterum ſcripta non ſine fructu legere, vel aliis explicare queat, vt denique praeceptis praemiſſis facilius atque citius ipſo vſu, atque aſſidua veterum lectione, quae ſequenda, quaeue vitanda ſint, capiat: huic quoque poſteriori parti, vt priori, non defuturos eſſe emtores atque lectores cupidos credimus, praeſertim quum ſciamus quamplurimos reperiri, qui velint ſtili bene latini, inprimis Ciceroniani, laudes ferre, quique ſibi perſuadeant, ſe his praeceptis cognitis bene latine, atque ita ſcribere poſſe, vt Ciceroni vel nihil, vel parum cedere videantur. Id quoque doct. Schellerus potiſſimum ſpectaſſe videtur, vt contemtu linguae latinae fugato, atque barbarie pulſa, excitaret ſtudium ſtili bene latini in animis eorum, qui ſuos libros non intra fines Germaniae modo, ſed in exteris quo-

que

que regionibus non a ſuae tantum aetatis hominibus, ſed a poſteris etiam legi atque amari cupiunt, vt adoleſcentibus inſtillaret atque inſereret haud facile exſtirpandam cupiditatem imitandi, atque adeo aemulandi Ciceronis, vt denique commodis latinarum literarum, atque ſaluti cum ſcholae, cui non ſine laude praeeſt, tum aliorum, quantum poſſet, proſpicere videretur. Formaturus igitur non tam ſcriptorem, quam potius oratorem latinum, de tribus virtutibus praecipuis eloquentiae, atque ſtili *perſpicuitate, grauitate, ſuauitate,* ita diſſerit, vt qui perſpicue, grauiter, eo ſuauiter cum loqui, tum ſcribere poſſit, ac ſoleat, hunc partibus ſuis facere ſatis, ac ſtili bene latini laudes aſſequi demonſtret. *Perſpicuitatem dicendi et ſcribendi cerni in eo ſcripſit, ſi quis ita vel loqui vel ſcribere poſſit, vt et ipſe, et res facile intelligatur ab iis, quibus vel quorum gratia, vel dicat vel ſcribit.*

Quum vero perſpicuitas dicendi atque ſcribendi ipſa re atque natura eadem eſſe, et in eodem reperiri videatur, niſi quis vitio linguae laboret: aptius forſan atque concinnius fuiſſet, de perſpicuitate ſcribendi modo verba facere, atque oſtendere modo, qua ratione efficere poſſis, vt verba et res intelligantur ſine multo labore, tum enim et ipſe intelligeris, niſi balbutias, vel alio linguae vitio labores. Perſpicuitatis vero cura inprimis commendatur iis, qui doctis et indoctis ſcribunt, aut dicunt, quo in numero ſunt qui fabulas ad corrigendos hominum animos inuentas ſcribunt, qui capita doctrinae morum populari modo tractant, qui vitia hominum tum doctorum tum indoctorum perſtringunt, qui orationes ſacras edunt, qui denique capita diſciplinae et artis alicuius explicare ſtudent. At iſti omnes vt nobis quidem videtur, aliis potius quam latina lingua vti ſolent, quae omnibus fere indoctis ignota atque obſcura eſſe

ſolet. Quid igitur opus erat, *Rabenerum*, *Vnzerum*, et *Tiſſotum*, in praeceptis latine ſcribendi laudare, qui perſpicuitatis quidem laudem tulerunt, ſed non ſoli, ſed non ſtilo bene latino vſi ſunt. Fontes perſpicuitatis ſunt cum remotiores, tum propiores: inter illos referuntur *ingenium bonum*, ſeu phantaſia iuncta praeclaro exquiſitoque iudicio, *doctrina ſolida et ſubtilis*, *modeſtia*, *cognitio hominum*, *accurata cognitio linguae*, atque *prudentia*, de quibus ſingulis ita diſſeritur, vt breuitati magis conſultum nobis quidem videretur, ſi omiſſis iis, quae vel cuiuis ſunt aperta atque cognita, vel non ſunt perſpicuitatis proprii fontes, modo doceretur, ad perſpicuitatem ſcribendi neceſſario requiri cognitionem accuratam, tum rerum de quibus ſcribitur, tum linguae, qua ſcribitur. Ingenium enim bonum, doctrina ſolida, vt dicitur, in omnibus diſciplinis plurimum valet, modeſtia vero atque prudentia non doctis modo, ſed et indoctis, vtilis atque conueniens eſſe videtur. Quodſi vero cognitio hominum ea, ex qua ſcimus quid homines vulgo intellegant, et intelligere poſſint quid non, ad perſpicue ſcribendum requiritur: pauci profecto eſſe videntur, quibus in iuuenili aetate, cui haec praecepta perſpicue ſcribendi potiſſimum dantur, aditus ad intelligendam cognoſcendamque vim mentis humanae patet. Sed ad fontes perſpicuitatis propiores veniamus, quorum primus eſt *delectus* vocabulorum ſingulorum, quae debent eſſe *vera*, vel vere apud priſcos Latinos occurrentia; *nota*, i. e. in aetate aurea accurrentia; *ſignificationis notae;* denique *apta* et *non ambigua*. In his vberius explicandis Clar. autor ita verſatur, vt multa cognitu vtilia, quaeque obſeruentur digna, afferat; quamuis in nonnullis videatur nimis ſubtilis atque accuratus eſſe: v. c. *naufragium pati* notare Schiffbruch ſich gefallen laſſen, ac rectius dici accipere naufragium *calamitatem* non pro omni malo, *fortunam aduerſam* non pro caſu quouis infelici, vſurpa-

ri poſſe, voces *legio*, *cohors*, non recte dici poſſe de multitudine militum, quam nos vocamus *Regiment*, *Bataillon* nec *togam*, *tunicam*, de noſtro veſtitu *Rock*, *Weſte*. *An etiam*, addit, *Regimentum*, *Batalio etc. dicamus*, *nil auſim definire*. Quamuis vero hae voces Romanae non accurate reſpondeant noſtris germanicis: conſultius tamen nobis videtur, his potius vocabulis latinis, quam aliis fictis atque barbaris vti. Alter fons propior perſpicuitatis eſt *recta vocabulorum coniunctio*, quae iubet vt Subſtantiuis addantur Verba et Adiectiua conuenientia, et ſufficientia adiectiua adiiciantur ſubſtantiuis, aliaque ratione caſus, numeri, generis ſubſtantiuorum, temporis ac modi verborum, periodorum, ellipſium, obſeruentur, quae ſingula commemorare non eſt huius locum, nec noſtro conſilio conuenit, quia breuitatis ſtudioſi eſſe iubemur, quae etiam effecit, vt ea quae de perſpicuitate in explicandis rebus, de adiectione cauſarum cum theſi generali, tum aliis enunciationibus, et diſerte, et recte, de adiectione exemplorum, teſtimoniorum, conditionis, de periphraſi, de pictura rei addenda, copioſe atque diligenter diſſeruit Vir Cl. omitteremus. Feſtinemus enim ad alia, etiam quae Capite altero de grauitate dicendi praeceperit paucis oſtenſuri.

Grauitas dicendi latius ita definitur, vt ſit *virtus eloquentiae ea*, *qua efficitur*, *vt non modo mens auditorum et lectorum cum perſuaſione videat*, *rem eſſe veram et certam*, *ſed etiam animus eius ſimul moueatur*. Ex hac definitione a Clar. Schellero propoſita, nobis videtur ſatis intelligi poſſe, primum grauitatem oratori eſſe propriam, nec in ſermonibus, epiſtolis, libellisque doctrinae aliquam partem explicantibus, locum habere; dein potiſſimum eo conſilio adhiberi, vt auditorem ad aliquid agendum vel omittendum, imitandum vel fugiendum, incitet, nec tam mentem, quam potius animum

mium ſpectare. Hanc in dicendo virtutem nemo aſſequi poterit, niſi qui ſit *animo generoſo*, atque *ingenio praeclaro* praeditus, *doctrina lata et ſolida, cognitione animorum,* atque *opinionum, linguae denique lata et accurata inſtructus:* quibus explicatis, docetur, qua ratione, quibus argumentis, magnitudo alicuius rei demonſtretur, quod circumſcriptio, partitio, teſtimonium graue ſententia acuta et grauis, vſus figurarum, ad grauitatem plurimum conferat, in quibus ſingulis fuſius explicandis Vir doctiſſimus accurate atque eleganter verſatur. Ad hanc grauitatem dicendi pertinet quoque collocatio verborum, periodorum clauſula, concinnitas membrorum, delectus literarum ac ſyllabarum, vt et vocis grauitas; ſed de his omnibus certae atque definitae regulae atque praecepta vix dari poſſunt, cum in collocatione verborum ſpectandus ſit contextus, periodi clauſula vocabulo longiori ſi ſaepius adhibeatur, faſtidium excitet, atque vim ſenſim perdat, aequalitas membrorum ſaepius et a Cicerone negligatur, delectus literarum ac ſyllabarum ſpeciem habeat affectationis nimiae atque anxietatis in ſcribendo. At properamus ad Caput tertium, quo Clar. Vir agit de ſuauitate dicendi, ita vt primo eius naturam deſcribat, dein fontes ſuauitatis cum remotiores, tum propiores, aperiat: *Suauitas orationis* dicitur ea eſſe *virtus orationis, quae efficit, vt placeamus lectoribus vel auditoribus, atque ita libenter ab iis legamur et audiamur.* Cum vero maxime diſcrepent ſenſus atque iudicia hominum, ita vt vna eademque oratio vni placeat, alteri diſpliceat: obſcuritate forſan quadam laborat iſta definitio, quae tollitur vel addendo cauſas, quibus efficitur vt placeamus, ſcilicet gratis ideis, perſpicuis atque elegantibus verbis; vel definiendo certum genus lectorum atque auditorum, *ita vt* iubeantur eſſe periti. Hanc ſuauitatem dicendi ex ſententia Viri Doct. nemo conſequitur, niſi eſt ingenio praeclaro atque hilari, vt in varias formas ſe ver-

 tere,

tere, ad auditores et lectores ſe accommodare, et multa quoque praeclara comminiſci poſſit, et totum hoc libenter faciat, (poſterius eſſe videtur ſuperfluum, cum neminem doctorum fore putemus, qui non libenter omnem det operam, vt attentionem ſibi conciliet,) niſi ſit praeditus doctrina lata et ſubtili, vt multa ſciat, quibus variet orationem, ſententiis priſcis ſaepe alium, eumque ſuauiorem veſtitum donet, niſi tandem cognouerit animos hominum, vt ſciat, quid iis placeat, quid non. Suauitas dicendi tum propius adiuuatur variis modis, ſcilicet cum perſpicuitate atque grauitate dicendi coniuncta iuſta breuitate vel copia, modeſte de nobis dicendo, humanitate erga alios declaranda, vitandis vocabulis plebeiis, obſcoenis, nouitate elocutionis, variatione, genere ſcribendi non affectato, aequali, vegeto, ioco-ſo et acuto, varia repetitione vocabulorum, antithetis, periodo ac numero; de quibus ſingulis Clariſſ. autor ita diſſerit, vt nemo ſit qui vel de obſcuritate ambigua, vel de breuitate conciſa, conqueri poſſe videatur. Dum nouitatem elocutionis ad conciliandam orationi ſuauitatem maximam vim habere dicitur, quia omne nouum placeat: hanc nouitatem quidem a generoſo animo, ab accurata cognitione linguae duci, atque inprimis in prouerbiis, in ſimilitudinibus, in exemplis, in tropiis, in verbis locum habere oſtenditur; ſed ex quibus vera ratio ac natura iſtius nouitatis appareat, exempla deſiderantur. Gratia quoque ac venuſtas pariter orationi vegeto ſcribendi et dicendi genere; h. e. tali, quod lectorum et auditorum attentionem excitet; quibus verbis poſterioribus non explicatur quid ſit vegetum ſcribendi genus, ſed quam vim habeat, cum tamen lectores ſcire cupiant, qua in re cernatur ipſa vegeti ſcribendi generis ratio, cui ineſt vita quaſi, ac vigor, atque ex hilari, ac contento animo proficiſcitur, atque lectores vel auditores e ſomnolentia excitat, quod ſane fieri ſolet epithetis, deſcriptionibus, acute di-

dictis, metaphoris, quae tamen ſingula efficiunt, vt proſaica oratio propius accedat ad poeticum ſcribendi genus, ſaltem ex frequenti poetarum lectione ducitur. *Acute dicta*, quae ad vegetum dicendi genus requiruntur, non ſunt ea quae non ſtatim a quolibet intelliguntur, iſta enim ſunt obſcura, ſed aliquid reconditi, atque ita non a quouis expectati continent, vel quae ſententiam non vbiuis obuiam, alacritatis atque ſagacitatis indicem exprimunt. Breuitati magis conſuluiſſet Vir Clar. ſi non eandem negando atque affirmando ſimul expreſſiſſet; ea vero, quae de vi vocum *acutus* atque *obtuſus* diſſeruit, mallent profecto lectores alio loco legere, cum trita et ſatis nota ſint: offenduntur enim facile lectores, ſi ſcriptorem ſemper docentis perſonam agere, atque omnia ad vnguem reſecare, nec faciliima quaeque praeterire, intelligunt. Vitandum quoque, ne ſuauitas pereat vel minuatur, eſſe monetur, inanem vocabuli eiusdem repetitionem, praeſertim crebram, atque exempla a Cl. Sch. proferuntur, ex quibus priſcos in hac re negligentes fuiſſe pateat; ea vero loca, quae ab Erneſtio noſtro in claſſem gratae negligentiae referuntur, ita comparata eſſe oſtenditur, vt commode defendi poſſe videantur. Inter inanes repetitiones a Clar. Viro refertur Cic. Orat. 13. *Me autem, qui Iſocratem diligunt, vna cum Socrate et cum Platone errare patiantur*: at repetio voculae *cum* non eſt inanis, ſed lectores ad vtrosque et Socratem et Platonem attentos reddit. Ad Div. VI. Ep. 1. quatuor priores periodi per *etſi* incipiunt, atque doct. Schellerus addit, *Ciceronem vitium negligentiae commiſiſſe nemo ſanus neget: poterat enim*, ſcilicet noſtro iudicio, *quanquam, licet quoque dicere.* At Cicero ſeipſum defendere nequit, et quiuis cultorum eius ab eo defendendo deterretur, timens, ne crimen inſaniae incurrat. Sed forſan Ciceroni, aliisque priſcis, multa haud viſa ſunt venuſtati obeſſe, atque

gratiam tollere, quae noſtris auribus minus ſuauia atque iniucunda videntur.

Appendicum quoque facienda eſt mentio, in quibus de *ſubſidiis ſ. i. bene latini*, de *elaborationibus*, de *diuiſionibus generum dicendi*, agitur. Inter ſubſidia referuntur *lectio priſcorum*, quae debet eſſe *aſſidua*, *accurata*, cum in lectionibus publicis, tum domi; dein exercitatio in latine ſcribendo, dicendo, cogitando. Inprimis vero exercitatio in latine cogitando et meditando, quippe omnium vtiliſſima, iure commendatur; cuius ea ratio eſt, vt primum ſoli cogitemus, quomodo hoc vel illud latine exprimi poſſit, dein librum latinum legentes ſtatim aliquid ad eius ſimilitudinem effingamus. Mouetur tandem ſub finem appendicis duplex quaeſtio, quarum prima haec eſt: *qualis debet* eſſe imitatio? talis ſcilicet, quae pertineat ad totum habitum ſtili priſcorum, quae non nimis appareat. Altera quaeſtio cernitur in eo, quis ſit imitandus? reſpondet Clar. Schellerus, ſcriptores aurei ſeculi, inprimis Cicero, quia fuit ingenioſiſſimus, ac eloquentiſſimus. Quod ſi quis idem ex nobis quaereret, non dubitaremus dicere, neminem inprimis imitandum eſſe, ſed quemque ea ratione ſcribendi vti debere, quae ſit ingenio, ſtudiisque ſuis, argumento denique rei de qua ſcribitur, conuenientiſſima atque aptiſſima. In Appendice altera de elaborationibus, in ſpecie vel de ſcribendis orationibus, epiſtolis ad homines doctos, libris et diſſertationibus de rebus ad doctrinam pertinentibus, agitur, et quidem ita, vt Vir doct. ne quidem oblitus ſit monere, Archidiaconis in maioribus oppidis ſcribendum eſſe *Vir maxime venerabilis et doctiſſime*, in minoribus oppidis *Vir plurimum reuerende et doctiſſime*, atque titulum externum non verbis latinis, ſed Francice eſſe ponendum. Commemorantur ſub finem vniuerſi libri genera dicendi, demonſtratiuum, deliberatiuum, et iudiciale

ciale, dein tenue, mediocre, et ſublime, tandem Aſiaticum, Rhodium, et Atticum; quas diuiſiones modo tenendas eſſe recte monetur, quod earum apud veteres fiat mentio, non quod magnae noſtro tempore ſint vtilitatis magnique valoris. Quamuis libri, praecepta alicuius ſcientiae atque artis tradentis, praecipua virtus ſit breuitas, ne peritis atque doctis hominibus faſtidium excitetur, multa, quamuis vera, tamen centies iam ab aliis dicta, et ſua ſponte ſola ope ſanae mentis rectique iudicii intelligenda legendo, tirones vero nimia praeceptorum copia, atque diffuſa exceptionum atque exemplorum narratione obruantur, haud tamen negandum eſt, Clar. Schellerum in hoc libro praeceptorum ſtili bene latini multa expoſuiſſe, quae non vulgaris doctrinae, ingenii ſolertis, atque accuratae literarum latinarum notitiae indicia atque argumenta praebeant, quaeque et magiſtris ſcholarum grata, et adultioribus diſcipulis vtilia eſſe queant.

Pindars Pythiſche Siegshymnen.

h. e.

PINDARI PYTHIONICAE, CVM NOTIS exegeticis et criticis, in Germanicam linguam verſae, a FR. GEDIKE, Gymnaſii Berolinenſis Fridericiani Prorectore.

Berolini apud Georg. Iac. Decker 1779. pll. 15. in 8.

Nomen Gedickii iam ſuperioribus curis, de interpretandis Pindari hymnis, innotuit, ita vt eum agnoſceremus

mus talem, qui hunc Poetam longo vſu familiarem ſibi feciſſet, vtriusque linguae ſatis idonea cognitione praeditus eſſet, et in vertendo non minus quam explicando felicitatem cum dexteritate coniungeret. Quapropter non dubitamus, quin ſocietas litteratorum, harum odarum cauſſa non magnas tantum ei ſit gratias habitura, ſed vota quoque ſit factura, vt ei placeat, mox etiam Nemeonicas et Iſthmionicas illuſtrare. Nunc autem quaedam de libro nuper edito dicenda ſunt. Pindarum qui ſtudet non aemulari tantum, ſed et interpretari, cum ſumma ope niti decet, ne ſublimitatem eius eximiam et admirandam, contemnenda humilitate verborum et ſententiarum, deprimat, ſed ad parem cum eo altitudinem efferatur. Hoc arbitramur non ſolum propoſitum fuiſſe V. D. ſed etiam contigiſſe. Nam vernacula interpretatio, quantum comparando intelligere licuit, elegans viſa nobis eſt et apta, et documento eſſe diligentiae, ab Cl. Auctore in ea concinnanda adhibitae. Notae cum exegeticae ſunt ſiue explanatiuae, tum criticae. Ad illas qui reſpexerit, ope temporum rationis, Geographiae, Antiquitatum paſſim illuſtrari Poetae verba deprehendat, nonnullaque vage dicta, arctius finita et deſcripta reperiat. Huius generis illa eſt, quae p. VI. occurrit annotatio, vbi in textis eſt: „*durch dich lenke der herrſchende Jüngling vom Vater zum Herrſcher geſetzt, lenke der Greis zu harmoniſcher Ruhe das Volk,* — vbi bene obſeruat: *der Jüngling iſt Dinomenes, der Greis Hieron. In der neuen Colonie ſcheinen früh Zwiſtigkeiten entſtanden zu ſeyn, die um ſo eher möglich waren, da nur die Hälfte eigentlich aus dem Peloponnes war, die die andre Hälfte hingegen aus Syracuſern beſtand, die vielleicht den Vorzug verlangten, oder die Peloponneſier nicht bey ihren alten Geſetzen laſſen wollten.*“ De criticis annotationibus quasdam ita commemorabimus, vt noſtrum ſimul iudicium interponamus, remota tamen omni merito-

rum

rum de Pindaro V. d. obtrectatione. Ad primam ſtatim Odam v. 1—8. obſeruat: *Nach der gewöhnlichen Auslegung heiſst hier die Harfe das mittönende, oder gar noch matter, das gebührende* (conueniens) *Inſtrument des Apoll und der Muſen. Allein die Harfe kann nicht beyden zugleich gehören, ſie gehoert blos dem Apoll. Herr Voſs hat meines Bedünkens zuerſt dieſe Stelle in ihrem vollen poetiſchen Sinne erklärt, und ich bin ihm in der Hauptſache gefolgt. Er läſst den Genitiv* Μοισαν *nicht gerade zu von* κτεανον *regieren, ſondern mehr von dem beygefügten Adiectiv* συνδικον, *und überſetzt es daher: du der Muſen Lenkerinn ihm. Indeſs iſt, wie mich dünkt, auch das* συν *nicht ohne Bedeutung, ſondern es bezieht ſich darauf, daſs Apoll, und mit ihm ſeine Harfe, den Chor der Muſen regiert, daher ich es überſetze: du der Muſen mitrichtende und mitgebietende Lenkerinn. Dieſe Bedeutung des Worts* συνδικος *iſt nicht nur der Etymologie, ſondern auch dem ſonſtigen Sprachgebrauche gemäſs, da es einen Sachverwalter, der immer gewiſſermaſsen Mitrichter iſt bedeutet.* Sententia horum verborum haec eſt: συνδικον magis ad Μοισαν referendum eſſe quam ad κτεανον, adeoque vertendum eſſe *inſtrumentum praeſidiarium et imperatorium* Muſarum; non autem, vt cum Scholiaſte et Schmidius, *conueniens*, *aptum*. Sermo eſt de cithara Apollinis; hanc eſſe ſolius eius, non reliquarum. Iſta quidem ſubtiliter, ſed minus vere diſputari videntur. Non citharae conuenit, quaeſita in compoſito ex Praepoſitione συν vis, et, quod conſuetudini linguae familiare eſt, pro ſimplici compoſitum vſurpatur, et ad citharam refertur commodius. Interpretatio, quaſi cum Apolline eius cithara ſit chori Muſarum temperatrix et commoderatrix, aliquam duritiem et improprietatem habere videtur. Quemadmodum enim praeconem, qui principis iuſſa prodit et diuulgat, non propterea in ſocietatem imperii recipimus; ita neque cithara ſocia praeſidii Apollinei in Muſas nominari poteſt, quum nonniſi inſtrumenti ſit loco. An etiam cauſſarum

 pa-

Digitized by Google

patronus ſimul iudicet, dubitamus. Nec enim lege competit, nec moribus permittitur. Plinii locus eſt Ep, 3, 9. vbi interrogatus, *iudicas ergo? ego vero*, reſpondet, *non iudico, memini tamen me aduocatum ex iudicibus datum*; nimirum quatenus vtramque perſonam gerat, ſibi licere iudicare ait. Sed hoc eſt ſingulare, non perpetuum. Quidni autem *σύνδικον κτέανον*, vertatur, *legitima, conſueta ſuppellex?* Nempe, antiqua ne videretur probare V. d. et ſuo parum iudicio vti, ad nouitatem ſectandam, etiam vbi non opus erat, delatus eſt. In Critica obſeruatione ad tertiam Odam p, 114. ſq. verba v. 46. ὀυκ ἐλαθε σκοπον ad coruum potius quam ad Apollinem refert. Concedit, Pindarum Ol. 6, 101. nominare Apollinem σκοπον Δαλου; ſed eum ſimpliciter, ſine addita quadam determinatione, ſic appellari, ſe conceſſurum eſſe negat, quia id vix vllo exemplo quisquam ſit probaturus. Verum tamen, etiamſi hoc fieri non poſſit, vnus ſaltem hic locus valuerit et ſuffecerit ad vſum huius vocis, inter Apollinis cognomina, agnoſcendum. Quapropter nomen σκοπος, etiamſi *vigilis* aut *ſpeculatoris* vocabulo exprimatur, tamen non ad coruum referendum fuerit; quae explicatio nimis contorta videtur. — Inſunt etiam coniecturae nonnullae, quarum aliae probabilitatis, aliae veritatis etiam laude non careant. Etenim voculae βȣ in compoſitis ſignificationem, vt *ingens, grande, magnum* denotet, ad Od. cit. v. 162. p. 122. ſcribit ſibi videri, reliquam manſiſſe ex antiqua rudi et impolita hominum e plebe lingua, omninoque aeuo Graecorum agreſti et aſpero. Scimus et in vernacula lingua formari voces ex illo verbo compoſitas. Earum vſum conſuetudini plebis relinqui; ab ſermone elegantium et politiorum remoueri. Graecos autem Scriptores, cum optimae aetatis, tum exactiſſimae diligentiae, ab iis non abſtinuiſſe, ideo, quod veteres populi iuuenci, bouis, et tauri nominibus, attributa virium, roboris, patientiae, aliarumque virtutum potius, quam ſtuporis et tarditatis, vt ſit a recentio-

Digitized by Google

tioribus, adiunxerint. *Μαστιγι πειθει* Od. 4, v. 390. admonitus, de flagello, numinibus quibusdam a poetis tributo, quaedam profert. At Mineruae, pro flagello, quo inſtruitur a Statio Silu. V., 4. flabellum praebet,, nam verba, *noſtros Tritonia queſtus Praeterit et gelido ſpargit miſerata flagello*, ſic emendat, vt *ſpargit* in *ſpirat*, *flagello* in *flabello* mutandum putet. Eadem Oda v. 474. *π. λοίσθιον* ſenſum ait efficere admodum frigidum et detortum; itaque legendum eſſe *πυρ λοιγιον*. Od. X, v. 82. verba, *ἀωτος — ως μέλισσα θύνει λόγον*, permutatis caſibus, perbene ſic reſtituuntur, *ἀωτον — ω. μ. θ. λόγος*, vt apis,. ſic laudum flores meum carmen ſectatur. Quae quidem emendatio mira ſimplicitate inprimis commendatur. Nonnunquam etiam Scholiaſten emendat, in quo multa ſupereſſe intelligit, quae Critici auxilio egeant. Caeterum optamus, vt V. C. quam cum magna ſua laude et ingenti ſpe noſtra ingreſſus eſt viam, eam vltra perſequi, et documenta ſollertiae ſuae imposterum plura prodere velit.

INDEX LINNAEANVS IN LEONARDI PLVKENETII M. D. Opera botanica, olim in priuatos vſus conſcriptus, nunc vero in aliorum etiam commodum editus. Acceſſere variae in vitam et opera Plukenetii obſeruationes partim ex ipſius MSto. Auctore PAVLO DIETERICO GISEKE M. D. Phyſ. et Poet. Prof. in Gymnaſio Hamburgenſi, Index Linneanus in IOANNIS IACOBI DILLENII Hiſtoriam Muſcorum, ob ſimilem vſum, additus eſt auctore, eodem. — In tenui labor!

 Ham-

Hamburgi, apud Auctorem, et Carolo Erneſto Bohn commiſſum. Typis Caroli Wilhelmi Meyn, 1779. pagg. 30. in 4. maj.

Maxime ſane meruit de omne re botanica immortalis LINNEVS, qui vaga et incerta plantarum nomina ſecundum praecepta, plantarum naturae et regulis philoſophicis conuenientia, redegit ita, vt cuique plantae nomen conueniens tribueret, atque plantas vnius generis vno eodemque nomine generico appellaret, ſpecificumque nomen ſubmitteret. Etſi itaque LINNEVS ſuis plerumque veterum botanicorum nomina adiunxit, id tamen non vbique fieri poterat; tum quod plantae ſaepe obſcurius definitae eſſent, tum quod, cum ſyſtema ederet ſpeciesque plantarum deſcriberet, pinacem Synonymorum ſcribere nollet. Legentibus igitur Botanicorum ante LINNEI tempora editis libris, non poteſt non etiamnum magna difficultas oboriri, cum non protinus ex iis intelligatur, quamnam plantam deſcribant. Eiusmodi generis etiam ſunt PLVKENETI opera botanica, quae ceterum maximi vſus ſunt ad cognoſcendas plures rariores plantas. Quae cum ita ſint, patet, librum, in quo a Plukenetio deſcriptae plantae cum Linneanis nominibus comparantur, magnae vtilitatis fore. Eſt autem talis, et in eum finem ſcriptus, de quo iam ad Lectores referimus, liber, atque magnae omnino a botanicis referendae ſunt gratiae Clariſſimo GISEKE, qui hunc taedioſum difficilemque laborem in ſe ſuſceperit, ac Plukenetii et Dillenii opera ſic lectu faciliora vtilioraque reddiderit. Noſtrum nunc eſt, vt quemadmodum hac in re verſatus ſit Cl. Auctor proponamus.

Praepoſuit indici Cl. Auctor ea, quae de PLVKENETI vita reripere potuit, atque recte, vt videtur, Anglos reprehendit, quod negligentes et ſocordes ſint in Eruditorum

rum

rum ſuorum vitis poſteritati tradendis. Placet quaedam ex vita V. Cel. hic depromere:

LEONHARDVS PLVKENET natus a. 1642. Medicinae ſe dicauit, ſed illuſtrior eſt Botanica, quam Therapia. E Gallia oriundum fuiſſe ſuſpicatur Cl. Auctor, tum ex nominis gentilitii varia ſcriptione, tum vero ex eiusdem interpretatione, dum *Ericam* a ſe dictam appellet: Ericam flore plus quam eleganti, ſ. *plus que nette.* Filium genuit *Richardum.* Hortum coluit Londini ipſe, aditusque ei patuit ad hortum Hamptonienſem, tunc ſatis celebrem, Reynardſoni, aliosque. Plurimum valuit Horto ſicco, quem 8000 plantas comprehendere ſcripſit, quarum catalogus ſ. *Onomaſticon* Almageſtum eſt, quod Cl. SEGVIER in bibliotheca botanica non attendiſſe videtur. Varias harum ipſe legit indigenas, alias a Botanicis, tempore aequalibus, RAIO amicis et in ſynopſi adiutoribus, accepit. Sed maximam partem ex India orientali ſiccas obtinuit opera CAR. DV BOIS, Mercatoris, et ALEX. BROWN, Medici, a IAC. CVNNINGHAM, Chirurgo, a GVIL. SHERARDO et IAC. PETIVERO, ac IO. RAIO, qui in ordinando T. II. hiſtoriae plantarum opem tulit. Fuit autem ingenio ſummo in definiendis, quantum tunc licebat, plantis, ipſumque prope ad LINNEVM acceſſiſſe felicitate nominum, ſi principium fructificationis tunc ita, vt hodie, notum fuiſſet, aſſerere nullus dubitat Cl. Auctor: ita vterque in iis conueniunt, quae de nominibus formandis habent, aut potius ita LINNEVS haud pauca cum PLVKENETIO ex Philoſophia deſumſit, eorum, quae in *Critica botanica* profert. Sed haec de definitione ſpecierum dicta ſunto: genera enim, vt tunc mos fuit, ab externa quacunque ſimilitudine dicere plerumque ſoliti erant, v. c. Alni facie, Mali perſicae ſimilis, etc. et ſi vere eiusdem generis plantae fuere, differentia ſpecifica nonnunquam admodum bona fuit. Interdum tamen egregie fructificatio-

nem ad condenda genera adhibendam eſſe perſpexit: v. c. Mantiſſ. p. 113. Hinc et in fine eius addit, ſe plures plantas omiſiſſe, quas nondum exactius obſeruare et delineare licuerit. Praeterea idem ipſi cum LINNEO fatum fuit, vt contradictores haberet; quare multum conqueſtus eſt paſſim de inuidia, maleuolis, et defectu praemiorum laboribus ſuis debitorum. Neque tamen ceſſauit, ſed ad id, quod ſibi elegerat, ſymbolum: *aliis inſeruiendo conſumor*, egit. Ita enim *arſit* in conquirendis ſculpendisque plantis, vt nullus alius; nec ſatiari potuit ſciendi cupidine, quamuis non leues, ſed ingentes ſumtus fuerint erogandi, quos e ſuis ipſe ſuſtinuit opibus, quemadmodum in Praefat. Mant. 1100 teſtatur.

Periculum quidem obtinendi Euergetae feciſſe videtur, dum Phytographiae ſuae partem primam HENRICO COMPTON Epiſcopo Londinenſi, Partem II. WILHELMO a BENTINK, Comiti Portlandiae, qui Regi GVILIELMO III. proximus erat et intimus; tertiam denique ipſi Regi dedicauit. Sed partem quartam nemini inſcripſit; ſpe itaque tum excidiſſe Noſtrum, docet illud titulo ſubiectum: *cui nil niſi praemia deſunt.* In fine operis tamen obtinuit adiutores, vti in *Amalthei* Praefatione profitetur.

Quo usque vixerit non reperitur; ſed non diu poſt annum 1705. ſuperſtitem fuiſſe inde patet quod, Tomus operis, eo anno editus, omnino manuſcriptis notis careat, quibus priores abundant, inprimis in *explicatione abbreuiatorum nominum*, quae in ſpecimine CL. GISEKE iis duplo fere auctior eſt, atque eadem, quanta Plukenetii auctorum notitia, vt textus, quantum in eorum lectione verſatus fuerit, oſtendunt.

His praemiſſis Cl. Auctor archetypum titulorum cum repetitione contulit, cum poſſideat illud Specimen operum Plu-

Plukenetianorum, quo Auctor vſus eſt ad corrigenda nomina, et allinendas obſeruationes, poſt editum opus naſcentes.

De figuris PLVKENETII cum ſint varia iudicia, eas, cum rariorum plantarum icones ſiſtant, etſi non optimas, tamen neceſſarias iudicat. In conficiendo hoc Indice inſpiciendae erant plurimae, et plus ſemel figurae, eaeque cum nominibus PLVKENETII conferendae atque extricandae. Hunc laborem, quum vſu non careat, et LINNEO ipſi placuerit, ab hoc ipſo correctum, hic proponit. Iconibus paucis Auctor nomina LINNEANA adiecit: plura non addidit, quod LINNEANVM indicem dare voluit, et, vt LINNEVS, non *malas figuras extricare, ſed bonas allegare:* nouerat etiam cum expertis, quam difficile ſit, plantarum figuras non e coniectura, nec cum perpetuis dubitationibus, determinare.

Indicem excipiunt notulae, minutioribus literis paſſim indicatae in textu: dein catalogus figurarum bis in PLVKENETIO occurrentium, alterutra plerumque meliore. Hunc ſequuntur citationes falſae duplices. Porro paucae eae, ad quas figurae a LINNEO citantur, ſed quae vel omnino non exſtant in editione, vel ſphalmate allegantur, nec tamen duplices. Excipiunt haec, quae ſola hactenus inedita fuere, additamenta nonnulla MSta quae ſynonimiam ſpectant, Auctoris ad Tabulas: ſed omnia non eſt, niſi flagitantibus rerum peritis, editurus. Etſi autem forte, inprimis LINNEI opera, a nimiae ſynonymiae iugo leuati ſint botanici, haec minus neceſſaria videri poſſent; tamen, cum tres tantum plagulas effectura ſint, volupe nobis et pluribus forte futurum eſt, ſi easdem in poſterum ederit. Agmen claudunt, quae ibidem ſoli ſphalmati ortum debent citatae figurae cum ſuis emendationibus.

In

Digitized by Google

In addito Linneano, in DILLENII hiſtoriam muſcorum WEISSII de *criptogamia Goettingenſi* opus, et WEBERI *Florae Goettingenſis ſpicilegium*, Goth. 1778. 8vo. ſimul commemorauit, addiditque, quas hi Viri Cl. vel extricarunt, vel reſuſcitarunt figuras. Tabulam etiam, qua Cl. WEBER Lichenes ſcyphiferos ſub ſquamoſi nomine iungit, appoſuit.

Cl. Auctor, ſi haec non fruſtra ſuſcepiſſe videbitur, alios ſimilis generis indices propediem cum publico communicabit. Quare nos, cum omnibus botanicis qui acceptum et vtilem hunc laborem putamus, eique omnem plauſum addicimus, Auctorem promiſſis ſtaturum eſſe ſperamus.

N. G. LESKE, von dem Drehen der Schaafe, und dem Blaſenbandwurme im Gehirne derſelben, als der Urſache dieſer Krankheit etc.

i. e.

DE VERTIGINE OVIVM ATQVE TAENIA hydatigena in cerebro earum, vt cauſſa morbi, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE, Profeſſore Oeconomiae et hiſtoriae naturalis Lipſienſi.

Lipſiae, apud Io. Godofr. Müller, 1780. cum tabula aenea plag. 4. in 8.

Etſi per multa abhinc ſaecula doctrina de origine et generatione animalium, a ſolertiſſimis naturae obſeruatoribus

bus tractata fuit, atque experimenta plurima ad detegendum hoc naturae myſterium inſtituta ſunt: tamen indies phaenomena occurrunt, quae conceptas de generationis lege ſententias incertas, neque omni exceptione maiores reddunt. Factum inde eſt, vt in tot atque tam diuerſas partes diſceſſerint phyſici, atque tot opiniones excogitauerint, quot fingi humano ingenio poſſent. Omnes denique vnanimi conſenſu illi hypotheſi adſenſerunt, qua *omne viuum ex ouo* naſci ſtatueretur. Aſt plurium vermium generatione etiam haec hypotheſis infirma fieri videtur: vt ideo celeberrimus in hiſtoria vermium Auctor, OTTO FRIDERICVS MVLLER *) nouam propoſuerit explicandae generationis rationem. In indagandis naturae myſteriis, quae vitrorum auxilio detegi tantum poſſunt, ſolertiſſimus GVILIELMVS FRIDERICVS DE GLEICHEN, animalcula ſpermatica etiam in plantarum polline ſe obſeruaſſe nuper propoſuit, ideoque exploſam iam Leeuwenhoekianam hypotheſin iterum introducere tentauit. Tacemus alia. Nulla enim, etiamnum propoſita generationem explicandi ratio, nobis generalis vel certa videtur. Atque hanc ſententiam confirmat obſeruatio, de qua iam ad Lectores referimus, quae omnem, niſi factorum veritas experientia et teſtimoniis probaretur, probabilitatem ſuperare videtur. Eſt difficilis explicatu vermium in inteſtinis, hepate, aliisque viſceribus generatio, praeſertim cum recentiſſimis obſeruationibus probatum ſit atque effectum, vermes inteſtinales eſſe diuerſiſſimos ab iis, qui in aquis, vel extra corpus animale inueniuntur. At longe difficilior certe erit dicere, quomodo Taenia in ipſa cerebri ſubſtantia oriatur?

Sed age ipſam, quam Cl. Auctor, cuius iam alia phyſicae cognitionis proſtant ſpecimina, proponit obſeruationem, enarremus. Con-

*) vid. eius hiſtoria Vermium, Hafn.

**) In libros, cui titulus: *über die Saamen- und Infuſions-Thiergen, und über die Erzeugung, etc.* Norib. 1778. in 4.

Conſtitutum erat, cauſſam rimari, vnde morbus ouium, quem *rotationem* dicunt Noſtrates, cuiusque cum vertigine ſymptomata ſunt eadem, oriatur, et per quam efficiatur. Inſtituta igitur anatomica ſectione, varia inuenit morboſa ſymptomata, vberius in libro expoſita, ſemper tamen in ipſo cerebro vnam vel plures hydatides. Protinus has morbi eſſe cauſſam habendas ratus eſt. Cum vero, praeter alia, etiam in abdomine et pectore, hydatides inueniret, quas, inſtituto examine, veras eſſe *Taenias hydatigenas*, a TYSONO primum deſcriptas, tum a PALLASIO illuſtratas, animaduertit: ſuſpicatus eſt, etiam hydatides in cerebro repertas eſſe animatas, et forte cum prioribus vnius eiusdemque generis. Neque fefellit eum coniectura. Etenim examine oculis armatis inſtituto, hydatides cerebri veras eſſe *Taenias hydatigenas*, forma tamen et ſpecie a prioribus omniuo diuerſas vidit. Illuſtrauit harum Taeniarum deſcriptionem icone, quam nos in Tabula addita recudi curauimus. Vidit Cl. Auctor hydatides Cerebri differre ab hydatidibus abdominis, corpuſculis paruis albidis, fere innumeris, magnae veſicae adhaerentibus, quibus poſteriores careant. Haec corpuſcula, microſcopio disquiſita, easdem partes obtulerunt, quas in taeniis hydatigenis, tum et aliis inteſtinalibus, obſeruarunt et Cl. Auctor, et alii, inprimis nuper demum Cl. GOEZE, Paſtor Quedlinburgenſis. Saepius dein repetitis obſeruationibus vidit, haec corpuſcula exteriori cyſtidis parieti adhaerere, atque extremitatibus cerebro eſſe infixas; vnum quodque capitulo, cui duplex circulus pellucidorum hamorum, quibus cerebro infixa ſunt, atque quatuor orbiculares veſicaeformes conuexae partes inſident, inſtrui: atque, cum hoc capitulum cum extremitate ſ. capite Taeniarum conueniat, ea veras eſſe Taenias, ſ. ſi mauis, *vnam Taeniam hydatigenam*, tot capitibus praeditam, quot corpuſcula vni cyſtidi inhaereant. Capitulum taeniae ſequebatur

col-

Digitized by Google

collum, tum corpus quo veſicae adhaeſit. Interanea nulla animaduerti poterant, preſſione enim inſtituta ſuccus veſicis refertus exprimebatur, ipſaque cutis ex circulis reticulatim ſecum connexis componebatur. Quatuor partes veſicaeformes Auctori totidem ora eſſe videntur, quibus e cerebro nutrimentum capiunt, ſicque ipſam cerebri ſubſtantiam in aquam, quam veſica continet, mutant. Videntur hae taeniae, vel capita taeniae, vita propria inſtrui, etiam mortua iam oue. Hactenus Cl. Auctoris obſeruata.

Multiplicari has taenias hydatigenas, eodem quo hydrae modo, euolutione nouorum germinum ex membrana affluente maiore nutrimenti copia. Quod ad originem earum attinet, libenter ſe eandem ignorare fatetur. Id quidem facile probari poſſe ait, taenias has neque ab extus, neque ab vlla alia interna corporis parte, in cerebrum venire. Extra animalia enim nullas hydatides inueniri. Ab aliis partibus autem non niſi cum ſanguine in cerebrum deferri poſſent: ſanguinem autem tam ſubtilia vaſa transfluere, adeoque in mixtione mutari, vt vel germina vel ipſae taeniae necari deberent. Fieri etiam poſſe, vt hi vermes aliis in corporis partibus adhaererent, quod tamen non euenit. Probabile itaque videtur, taenias has ipſo in cerebro oriri, eſſeque ouibus connatas.

Morbum hunc ouium venaeſectione curari, nonnulla inſtituta experimenta teſtari videntur, etſi Cl. Auctor huic methodo parum fidat, eum, niſi reſoluto humore has taenias oriri aſſumas, modus, quo venaeſectio morbum tollat, vix intelligatur. Si vtilitatem ſpectare velis, ſuadet A. vt oues in principio morbi mactentur. Iudicat poſtea de Auctoribus aliis, qui huius morbi meminerunt. Atqua tandem hiſto-

Mm 2 riam

Digitized by Google

riam huius obſeruationis adnectit, ex qua iam anno 1779. ſe animalitatem hydatidum cerebri detexiſſe patet.

D. ERNESTI CHRISTIANI WESTPHAL, ICTI et Anteceſſoris Halenſis, Interpretationes iuris ciuilis de libertate et ſeruitutibus praediorum, artis ordine digeſtae.

Lipſiae, in officina Weygandiana, 1773. 8vo maj.

Auctor, cum ante aliquot annos legum Romanarum de iure pignoris explicationem dediſſet, atque is liber, tam ob concinnitatem et elegantiam, quam ob eruditionem et copiam, multis mire placuiſſet, iam molitus eſt aliam illius iuris particulam, de ſeruitutibus, qui locus maxime difficilis eſt et impeditus. Igitur e legibus fundamenta huius doctrinae collecta et in ordinem digeſta, iura item, quibus iſthaec olim ante Iuſtiniani tempora definiebantur, inſerta; ſingulis ſua e legibus autoritas appoſita; commentatorum ſententiae in iudicium vocatae, totumque hoc opus ſimillimum priori effectum; pari adeo laude dignum, atque etiam maiore, quod res latinas latino ſermone enarret; nec peregrinis quicquam noſtri inuideatur. Quidquid fere in hoc genere librorum bonorum legimus, adhibitum eſt, nec tamen ea omnium ſeruata eſt ratio, quin nonnulli quosdam requirant, quos minime velint. Opus ipſum tribus partibus abſoluitur: prima, veterum ICtorum, qui in Pan-

Digitized by Google

Pandectis laudantur, ſcripta, et Imperatt. in Codice Iuſtin. conſtitutiones recenſentur; ſecunda agitur de libertate naturali praediorum qua ſeruitutibus oppoſita eſt, XVII. Capp. „De libertate vnius praedii priuati intuitu alterius; de iure ſocii in praedio communi; de iure locorum publicorum generatim; de viis publicis; de ſiluis publicis; de paſcuis publicis; de iure aedificiorum et operum publicorum, et de aedificiorum priuatorum ad loca publica relatione; de aquaeductibus publicis; de iure maris et littorum; de iure fluminum et riparum; de iure locorum ſacror. ſanctor. et religioſorum; de remediis iuris, libertatis praediorum et locorum publicorum defendendae cauſa introductis, generatim, et cautione damni infecti ſpeciatim; de noui operis nunciatione; de interdicto quod vi aut clam; de aquae pluuiae arcendae actione; de interdictis cauſam priuatam praediorum liberorum ſpectantibus; et denique de interdictis ad cauſam publicam pertinentibus.“ His auctor legentium animos ad doctrinam de ſeruitutibus accuratius cognoſcendam praeparat, quae, quoniam partem libertatis naturalis tollunt, niſi his praemiſſis, parum intelligi poſſunt: ſed in illa tractatione videtur libri partem iuſto maiorem abſumſiſſe, et reliquae diſputationis ſpatium nimis contraxiſſe, quod factum forte nolint amantes harum litterarum, qui a ſolerti illo et erudito ſcriptore nihil niſi vberrimum exſpectant. Tertiae partis XVIII. Capitum, argumenta haec ſunt: „De communi ſeruitutum natura; de ſingulis ſeruitutibus praediorum vrbanorum; de ſing. ſeruit. praediorum ruſticorum; de ſeruitutibus perſonarum, praeſertim vſu fructu; de vſu fructu nonnullarum rerum ſpeciatim; de iure ſubſtituendi, mutandi, reficiendi, cautione, modeſtia et diuiſione in vſu; de habitatione et operis ſeruorum; de acquirenda ſeruitute generatim; de ſin-

gulis modis ſeruitutes conſtituendi et acquirendi ſpeciatim; de amiſſione ſeruitutum; de effectu amiſſionis in ſeruitutibus perſonarum; de actionibus ſeruitutum cauſa proditis; de interdictis ſeruitutes ſpectantibus generatim; de ſingulis interdictis ſpeciatim; de iure ſuperficiei. Liceat nobis de hac vltima libri parte, pauca, quae legentibus in animum venerunt, vel diſſerere, vel etiam monere: nihil enim vetat, quo minus aperte loquamur, neque eſt quod diſſimulemus, cum autoris dignitate, veritatis rationem nobis eſſe antiquiſſimam. Verborum p. 321. „ cum caeterum praediis ſeruitutes inhaereant omnes" in ſeruitute operarum ſeruorum reſtrictio eſt, adeoque non vis abſoluta. Pag. 322. recte aſſeritur, poſſe, ſi ita cautum ſit, ſeruitutes praediorum etiam ad ſingulos pertinere, quae ideo non fiant perſonales. Pag. 328. bene explicantur L. 42. §. 1. de vſufructu et L. 10. de vſufructu leg. ex formula: rem ſuam nemini ſeruire. P. 325. praedia ruſticum et vrbanum videntur non ſatis apte definiri, dum hoc ad habitandum deſtinari, illud tantum in plano conſiſtere, nec habitationi ſeruire dicitur: hortos enim, etſi non inhabitamus, tamen in praediis habemus vrbanis, et omne aedificium, quod ſolius agriculturae cauſa exſtruitur, in ruſticis; quamquam haec non in plano, ſed in ſuperficie conſiſtunt. Videntur haec, L. 198. et L. 211. D. de V. S. adhibitis, longe ſubtilius tradi potuiſſe. Quae auctor p. 349. de cauſa ſeruitutum perpetua diſputauit, ea lubentur amplectimur: haec res multos et eruditos viros, et inter hos magnum Heineccium, peſſime habuit, qua nihil falſius atque ineptius inueniri poteſt; nam multa in hac diſciplina exprimuntur, quibus vel hoc commentum refellas, vel contrariam ſententiam confirmes. Nolim tamen huius rei culpam in priſcos Iureconſultos, aut in ipſas leges reiici, cum recentiorum errore,

re-

Digitized by Google

regulae, cui olim certa ſeruitutum ſpecies ſuberat, totum genus ſubiectum ſit. Neque credimus, e Pandectis loca, quae cauſam ſeruitutum perpetuam inferant, alia adduci poſſe, quam de recipienda vel auertenda aqua, ſiue illa pluuia ſit, ſeu fluuiatilis, ſtagnante reiecta. Verba Paulli L. 29. D. de ſeruitut. praediorum vrbanorum, „omnes autem ſeruitutes praediorum perpetuas cauſas habere debent," noſtris opinor fraudi fuiſſe, vt in definiendo illo genere fallerentur. Verum ſi quis et reliquum ſermonem diligenter expendat, et alia loca attente inſpiciat, videtur ſuſpicioni locus eſſe non improbabili. Paullum hic rem pinguius adumbraſſe, neque a noſtris partibus diſſenſiſſe. Singulae ſpecies ſeruitutum vrbanarum et ruſticarum p. 378. plerumque leuiter expreſſae; quaedam nominatae ſaltem, non enarratae; paucae plane omiſſae, ſeruitus foraminis et fumi immittendi, quarum tamen in Pandectis mentio fit. In ſeruitute altius tollendi, p. 391. re vexatiſſima, Selchouio conceſſum. Recte quidem p. 382. traditum de ſeruitute ſtillicidii vel fluminis auertendi aut recipiendi, et de ſeruitute ſtillicidii vel fluminis non auertendi, aut non recipiendi; nullae tamen leges laudatae: e. c. L. 21. D. de ſeruitut. praed. vrban. adducimus, qui locus in ea re dominatur; nam cum vnius ſeruitutis vim ſatis apte declaret, alterius, cuius contraria ratio eſt, deſcriptionem parum requiras. Pag. 392. multis actum de itinere, actu, et via; doctorum virorum ſententiae excuſſae; totum paucis luculenter expoſitum: „Inter has ea differentia erat, quod iter ius eundi, ambulandi, equitandi, et geſtationis comprehenderet; actus ius agendi iumentum, et tranſeundi vehiculo, vel vtrumque coniunctum, vel ſaltim alterutrum; via denique priora omnia, et ſimul ius lapides ac tigna trahendi, haſtamque rectam ferendi contineret." At quo iure p. 397. locus in

Ex-

Excurſione XIX. ad Theophil. Reizii, vbi a Rittero (illum enim fuiſſe exiſtimamus) de diſcrimine actus et viae praeceptum eſt, in hanc ſententiam tractus ſit; cum quidem Bynkershoekio magis fauere videatur; fatemur nos plane ignorare. Verus ne ſit veſtimentorum, an quaſi vſusfructus? hoc definire Weſtphalio adeo arduum viſum, vt de tota quaeſtione deſperaret, et p. 408. ſatius haberet, Tribonianum §. 2. I. de vſufructu erroris arguere; ſed nodus ille iam ab aliis ſolutus eſt, non iectus. Recte monitum eſt p. 536. loco de ſeruitutibus plurima ineſſe, quorum quis, cum ſubtilitatem perſpiciat, vtilitatem requirat: in his eſſe cautionem, qua proprietarius in praedio, vel conſentiente vſufructuario, nouam ſeruitutem conſtituere prohibetur. Sed non dubitandum eſt, quin huius rei ratio aliqua e penitiore iuris Romani diſciplina peti poſſit: in praedio enim, nemini niſi proprietario, ſeruitutem conſtituere licet; vſufructuarium tamen nihil impediat neceſſe eſt, quo minus vtatur fruatur; atqui is, cum non proprietarius ſit, nihil agit ſuo de conſtituenda alteri ſeruitute conſenſu, igitur ne illi quidem, hoc vel maxime conſentiente, eam conſtituere licet.

Propempticon, quo tres Iuuenes nobiliſſimos, diſciplinae nuper ſuae alumnos, proſequitur, ac de Pompeianis Inſcriptionibus vnam ſimul interpretatur GE. HENR. MARTINI, *Scholae ad d. Nicolai Rector Lipſiae.*

Litteris Sommerianis plagg. $5\frac{1}{2}$. 8vo.

Ab inueſtigatoribus Herculanenſium antiquitatum, ante quatuordecim circiter annos vetus, Inſcriptio reperta eſt haec:

N.

N. Popidius. N. F. Celſinus
Aedem. Iſidis. terrae motu. conlapſam
A. Fundamento. P. S. reſtituit
Hunc. Decuriones. ob. liberalitatem
cum eſſet annorum ſexs
Ordini. ſuo. gratis. adlegerunt

Conſpiciebatur ſub introitu templi Iſidis, inter ruinas Pompeianas, cum aliis monumentis multis, detecti. Haec inſcriptio, ſimul ac ad notitiam hominum peruenit, multorum ſtatim in Italia animum ac manus ad ſcribendum commouit. Nam anno iam milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto quidam eruditus Ioſeph. Galzeranus Cantanzarienſis, ſub 4. Decembris litteras ad Ioh. Lamium dedit, in quibus illum de ea reperta, et de controuerſia ſuper voculam *ſexs*, quae in ea legitur, oborta, certiorem faceret. Lamius hanc epiſtolam in *Commentariis Litterariis Florentinis* a. 1766. cum ſua hac de voce ſententia, publicauit, ex quibus in aliorum commentarios peruenit. In his cum aliqua differentia legitur, non prorſus ſpernenda; ab Clariſſ. Martino ita exhibetur quomodo in iam dictis Commentariis Florentinis exſtabat, et vti poſtea a Blancho Migliaccio, auctore diſſertationis de aede Iſiaca, et Bioernſtaelio in *Epiſtolis*, cum eruditis communicata eſt. — Praedicat autem haec inſcriptio munificentiam cuiusdam Numerii Popidii Celſini, Numerii filii, (quod ſiglae N. F. indicant,) in reſtituenda aede, cuius ianuae eſt ſuperimpoſita. Haec enim terrae motu ſub imperio Neronis a. C. 63. de quo Tacitus *Ann.* 13, 48. et Seneca *nat. Quaeſt.* 6, 1. ſcribunt, adeoque 16. annis ante totius vrbis interitum, qui a. C. 79. accidit, de quo Dio Caſſ. lib. 66. videndus, collapſam, ab illo autem ſuo ſumtu, (nam hoc volunt litterae P. S. h. e. pecunia ſua,) a fundamento fuerat reſtaurata. Quod inſigne promeritum de religione, deque ipſa republica, ſingulare ei quoque praemium attulit. Decuriones Pompeianae ciuitatis, huius monumenti re-

Digitized by Google

refecti cauſſa (ob liberalitatem) vt gratum et memorem animum declararent, ſine vllis impenſis, ſiue ſine neceſſitate *ob introitum*, vt Plinius Lib. 10, epiſt. 48. ſcribit, aliquid largiendi, item ſine *honorario decurionatus* (gratis,) inter Decuriones reliquos ei locum dederunt, (ordini ſuo gratis adlegerunt,) non ſexdecim, non ſexaginta annos natum, ſed (cum eſſet annorum ſexs) puerum ſex annorum. Multi, quibus hoc nouum et inuſitatum videretur, alium atque alium modum extremae vocis, vt arbitrabantur, non integrae, ſed reciſae, ſupplendae excogitarunt. At Vir Clariſſ. et integram eſſe idoneis argumentis comprobat, et munerum delegationes, primae teneritudinis nonnumquam pueris, more recentiorum temporum, ab Imperatoribus non prorſus probato, oblatas fuiſſe docet. Cogitandum autem eſt, etiam nunc parentes, diuitiis, potentia, et auctoritate pollentes, filiis ſuis admodum pueris locos in Capitulis aut aliis inſtitutis emere, vt adulta aetate tanto certius iis potiantur; nec tantum principum, ſed etiam humiliorum filios, adhuc naſcentes, ordinum militarium ciuiliumque inſignibus donari. Quare, ſicut haec nemini noſtrum valde mira videntur, ita neque ſexennis Popidii in ordinem decurionum receptio Pompeianis ciuibus admiranda fuit. Sed de genere Popidii quaedam cognoſcere licet ex alia inſcriptione, quae in eodem templo ſub eleganti Bacchi ſtatua reperta eſt:

N. Popidius. Ampliatus
Pater P. S.

Perito lectori nihil inuſitatius viſum fuerit, quam duplex cognomen patris et filii, illius Ampliati, huius Celſini. Quod ſane nouum eſt. Libera republica, filii ſemper cognomen patris gerebant. Sed ea labente, ſub Caeſaribus, in nominibus, ſicut in aliis rebus, multa mutabantur. Filii ſaepe aliter quam patres cognominabantur. Sic alter e filiis Veſpaſiani non eodem, ſed alio cognomine, Domitianus vocabatur. Plura exempla protulit Zaccaria *Inſtit. Antiquario lapida-*

pidaria 2, 1. §. 6. p. 104. ſſ. Quaedam autem partes antiquitatis, quarum tractandarum verba huius inſcriptionis materiam praeberent, ſatis copioſe in hac commentatione ſunt expoſitae et illuſtratae.

Nam aedes Iſiaca, occaſionem dedit V. Cl. de origine, de progreſſu, de communicato huius deae cultu cum Romanis, tandem et cum aliis populis, plurima proferendi, Decuriones autem quum eſſent in municipiis et coloniis Senatores, primum longam et per plurimas paginas protractam de Municipiorum Coloniarumque, praeeuntibus Sigonio, Schwarzio, Ottone, aliisque, ratione, ac harum quidem in *togatas* et ſagatas auctore potiſſimum Alberto Dieterico Trekell, ICto perquam erudito in *Select. Antiquitt.* Rom. P. I. p. 215. diuiſione, diſputationem pepererunt; deinde de Decurionum prima origine, creandorum modo, tum quid in iis eligendis ſpectatum ſit, de muneribus item eorum et officiis, compluribus ſane et diuerſis, agendi locum dederunt. Multorum, quae hic diſputantur, confirmatio cum ex antiquis ſcriptoribus, tum e lapidibus repetitur; multi veteres lapides ipſi illuſtrantur, nonnullorum etiam Italorum, qui in iis tractandis parum exercitati eſſent, lapſus et errores modeſte indicantur. In lapide quodam reperiebatur *C. Iul. Caeſar. C. F. De. Galleis.* ꝫ. *Allobrogibus* .... *phauit:* Marmorum Taurinenſium, inter quae P. II. c. CXI. p. 108. exhibetur, editores, ſpuriam aut corruptam inſcriptionem prorſus ducunt. Emendare vero et interpretari qui velit, illum ipſis fore magnum Apollinem fatentur. At mediocri ingenio et diligentia opus erat ad intelligendum, eam nec ſpuriam, nec deprauatam, ſed continuo ita legendam: *C. Iul. Caeſar. C. F. De Gallis et Allobrogibus triumphauit;* quod verum eſſe, ſcribendi mos antiquus, et hiſtoria confirmat. Sed illuc reuertimur. Inter decurionum munera fuit etiam religionis et ſacrorum tuendorum cura. Hinc ſi quis dei deaeue aedem, vel aram publicam, aliquo loco ex-

ſtruere ac dedicare conſtituerat; id facere non potuit niſi *ex decreto decurionum*, quod toties obuiae in veteribus inſcriptionibus ſiglae L. D. D. D. volunt, nempe *locus datus decreto decurionum.* Adduntur porro quaedam de ipſorum honoribus. Fuerunt enim ex illorum *decem primi*, qui primum in albo, quod ipſorum nomina contineret, locum tenerent, quos et primos ſententiam rogatos fuiſſe probabile eſt. Pertinet huc eorum immunitas, tum a poenis iniuriisque corporis, tum ab omnibus ciuium aliorum muneribus; quibus qui tamen defungi voluerat, ſingularem apud populares gratiam inire, et monumentis publice poſitis celebrari ſolebat. Ordinem ſimpliciter dictum fuiſſe decurionum collegium, multis confirmatur lapidum titulis, cum in Gruterianis, tum inter marmora Taurinenſia exſtantibus. Et quoniam laudabiliter inſtitutum eſt ab Graecis Romanisque veteribus, vt recte honeſteque factorum memoria perpetuo conſeruaretur, monumentorum eo nomine poſitorum quaedam itidem ſpecimina dantur. Denique vt Galzerani, Lamii, Blanci, aliorum que de vocabulo *ſaxi* interpretando ſuſpiciones et coniecturas irritas eſſe appareret, aliquot titulorum auctoritate, veteribus vſitatam litterae *s* poſt *a* ponendae conſuetudinem, docetur. Quamquam etiam mentio fit Liuiani loci XXIV, 3. vbi eodem modo *e* ante *s* poſitum, per imperitiam librariorum, in *o* tranſiit. Etenim pro *Ares*, quod vnice verum, vt viri docti viderunt, in antiquis libris legitur *Aros.* — Tandem de *decurionibus praetextatis* quaedam adduntur, quos Lamius ad *tabulam aheneam, decurionum nomina et deſcriptionem* continentem, vbi commemorantur, ab ſe editam, ſe ignorare qui fuerint fatebatur. At V. Cl. hos ipſos fuiſſe pueros in decurionum numerum allectos demonſtrat. Et *adlegendi* quidem verbum in hac re ſolenne eſt, vt Gruteriani et aliarum collectionum lapides demonſtrant; ac iuuet fortaſſis etiam Plinii locum Epiſt. X, 48. ſi pro *quam buleutae addunt beneficio tuo*, legatur: *quam bu-*

leu-

Digitized by Google

leutae *adlecti beneficio tuo.* Sed quia hoc de collegis ſere, non autem de principe dicitur, alterutrum, vel *additi*, vel *adiuncti*, nobis quidem praeſtare videbatur.

Das gleichſam auflebende Pompeji.

h. e.

Pompeji quaſi rediuiuae, ſiue Conamen hiſtoriae huius vrbis, quo eius origo, euenta, inuſitatus interitus, repetitae ſcrutationes, et eruta artificioſa opera ac monumenta, deſcribuntur, ab GEORGIO HENRICO MARTINI Scholae Nicolaitanae Lipſ. Rectore.

Lipſiae, apud M. G. Weidman et Reichium, 1779. Alph. 1. octonis.

Qui adhuc de repertis in Italiae parte ea, quae Campania quondam nominabatur, inter ruinas diſiectarum terrae motu vrbium, antiqui operis rebus et monumentis tradiderunt, hi fere, cum omnem iſtum apparatum ad alteram tantum ex duabus his, quae eodem, tempore eademque de cauſa perierunt, vrbibus, transferunt, alteri, neſcimus qua iniquitate moti, nihil relinquunt. Herculanenſium antiquitatum nomine, quae tamen non Herculani, ſed Pompejani oppidi fuerunt, vulgo celebrantur; quare nobilitas, amplitudo, et opulentia vrbis vel ignoratur, vel vna cum memorabili eius exſcidio obliuioni traditur. Suſcepiſſe quendam Italum, Paſchalium Carcanium, V. D. hunc laborem, qui ſeparandis his, et diſtinctius exponendis antiquis operibus requiritur, ex indicio ac promiſſo, in quodam volumine operoſi de Picturis Herculanenſibus commentarii dato, intelleximus; ſed quia poſt longam moram res in principiis

Digitized by Google

etiamnunc ſubſiſtit, verendum eſt vt iuſto tempore totum opus abſoluatur. Idem conſilium Martini, Vir Clariſſ. coepit, ſed eius perficiendi alium modum elegit. Nam incertum et breuem vitae humanae terminum, variosque et ſubitos, quibus incepta ſaepe noſtra turbantur, caſus, ſecum cogitans, veritus ne Veſuuii montis, qui hoc anno eodem menſe quo ante mille et ſeptingentos annos poſt Chriſtum natum ſeptuageſimo nono, qui vrbi interitum attulit, pari qua quondam ſaeuitia, cum ingenti agrorum deuaſtatione hominumque terrore concitatus exarſit, nouae eruptiones, vno, tot annorum laborem, die, vanum irritumque redderent; ſimul dolore quodam affectus erga vrbem in ſuis ruinis relictam et deſertam, hoc ipſo anno, qui ab eius pernicie milleſimus et ſeptuageſimus eſt, eius memoriae monumentum ponere decreuit. Quare, quidquid e variis eruditorum in Italia, Gallia, Germania, Britannia, Suecia, libris, de initiis, deque ſucceſſu et adhuc ſeruato tenore ſtudii et laboris indagandorum et protrahendorum operis vetuſti monumentorum colligi poſſet, quidquid de monumentis ipſis, cum firmis et ſtabilibus, vtpote portis, templis, aedificiis tam publicis, quam priuatis; tum mobilibus, veluti ſtatuis, picturis, figuris, vaſis, ceterisque ad vſum humanum accommodatis vtenſilibus, de inſcriptionibus ibidem repertis, vſpiam in litteras relatum exſtaret, ſimul quidquid antiqui Graeci Latinique ſcriptores, de origine, hiſtoria, conditione, et interitu vrbis haberent, id omne ex tot aetate, lingua, argumento, diuerſiſſimis libris collectum, digeſtum, contextum, in vnum corpus redactum, per vndecim locos ſiue capita diſtributum, continua narratione, vernaculo ſermone expoſuit. Iam vnusquisque facile intelligat, quandoquidem vna in cauſa, vnoque in argumento, mens tota ſcriptoris verſatur, quanto omnia vberiora atque ornatiora ſint, et quam late pateat ſuſcepti laboris fructus, qui non tantum cum eruditis, verum etiam cum

qui-

Digitized by Google

quibuſcunque, ſaltem ab antiquitatum amore non alienis, cum mulierculis, inprimis cum artificibus, quibus et ipſis conſulere ſe voluiſſe profitetur Auctor, communicetur. Nam omiſſis explicationibus, et communibus quaſi antiquitatum illuſtrandarum locis, quibus Itali fere in antiquariis operibus vtuntur, quibus ſe iactant etiam Picturarum Herculanenſium Editores, ſimplicem monumentorum recenſionem deſcriptionemque dedit; niſi quod interdum admonitio quaedam et obſeruatio vel ab aliis facta laudatur, vel nunc demum nata ſubiicitur. Caeterum, ex hoc Picturarum Herculanenſium Opere, ſi, quae hoc libro continentur, pleraque hauſta dicamus, nihil aut nimium, aut incredibile loquamur. Nam vnde certiorem copioſioremque, niſi ex hoc opere, repetere liceat opulentiae, inſtructiſſimi quondam cuiuſcunque modi operibus oppidi, deſcriptionem? Sed haec ſingularis Auctoris Cl. laus eſt, cuius ſocietatem tamen ſupra laudatus Carcanus ſibi vindicat, quod ſua vrbi reddidit, et priſtinis quaeque locis repoſuit. Caetera debentur Winkelmanni notitiae priorum nouiſſimorumque Herculanenſium repertorum, (*Nachrichten von den Herculaniſchen, und neueſten Herculaniſchen Entdeckungen*); plurima ex Bioernſtahlii Epiſtolis, ſuper Herculanenſia reperta, alia aliunde depromta, eodem conſilio tractantur. Ex inſcriptionibus paſſim adhuc a variis, maxime Italis, vario tempore vulgatis, iunctim hic afferuntur eae potiſſimum, quibus aliqua eſt cum caeteris, quae hoc libro continentur, rebus; coniunctio, nimirum, quae in regionibus oppidi adhuc patefactis, in templis, portis, aris leguntur, quaeque ſignorum baſibus, de quibus hic (omnibus vt dictum eſt, exponitur,) inſculptae cernuntur. Earum etiam ſcita et docta explicatio praebetur, cum modeſta caſtigatione et reprehenſione errorum ab aliis interpretibus commiſſorum. Nam Viri Cl. in vtroque genere dexteritas, tam in falſis refellendis, quam in veris docendis, nuper apparuit, edito *Propemtico*,

quo

quo inſcriptionem, aediculae Iſidis reſtauratae ſuperimpoſitam, illuſtrauit. Ea et hic memoratur, breuiter explicandi cauſa, quae illic vberius diſputantur, additis. Multum illa, cum aliis quibusdam eodem pertinentibus, confert ad tempora diſtinguenda, quibus ſemel leuior, iterum grauior pernicies et calamitas vrbem inuaſit. Leuius vrbs damnum, terrae motu illatum, perpeſſa eſt ſub Nerone anno C. quadrageſimo quarto, quo ex parte tantum vrbs concuſſa, ex maiori illaeſa fuit; mox etiam refectis et inſtauratis plerisque aedificiis, aliquanto, quam antea, vt videtur, ornatior. Hoc euentum commemorant *Tacitus* Ann. XV, 22. XIII, 48. *Seneca* Nat. Quaeſt. VI, 1. Sed alius motus, imperante Tito A. C. 79. die 24. Auguſti totam vrbem exſcidio demerſam deleuit. De hoc verba faciunt *Dio Caſſius* Lib. LXVI. p. 755. (Leuncl.) et *Plinius* Epiſt. VI. 16. Cinis feruidus e nube delapſus vrbem obruit, κατέχωσε, vt Dio ſcribit. Hoc, cur Clar. Auctor pag. 56. interpretetur *obruere coepit*, (*fieng an zu verſchütten*,) non intelligimus. Nam quod ait, paullatim et diutius conſpecta nube pendente per veſperam, ſub nocte demum eſſe vrbem oppreſſam, nihil intereſt, ſufficit oppreſſam fuiſſe. Neque enim profecto quidquam aut perſpicuitatis, aut veritatis, inde narratio lucratur, nec exempla, pro confirmanda hac ratione prolata, valent. Confirmant potius conſtantem et perpetuum, in re ſimpliciter acta, vel agi ſolita declaranda, Aoriſtorum vſum. Certe nec tarditatem, nec celeritatem in agendo, iis denotari, admonuit *Clarkius* ad Homerum Il. α, 37. In verſionibus autem locorum, in quibus eſt *rudere coepit*, *agitare coepit*, *odiſſe coepit*, verbum *coepit* redundat, ex more Latinorum, quem Graeuii ad Ciceronem, et Gronouii ad Liuium notae, confirmant.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Iulii Anno MDCCLXXVI.

HOMERI HYMNVS IN CEREREM, NVNC primum editus a DAVIDE RVHNKENIO.

Lugduni Batauorum apud Samuel. et Ioann. Luchtmans, 1780. Plagg. 8½. in 8.

Tandem ergo repertus eſt hic, quem Homero tribuit vetuſtas, in Cererem hymnus, inter deperdita adhuc priſcorum ſcripta relatus; et repertus eſt eo loco, vnde venturum nulla ſpes erat. Moſcae nimirum, in Bibliotheca S. Synodi, a *Chriſtiano Frider. Matthaei,* V. Clar. qui cum plurimos libros eximios in luculenta iſta Graecorum Codicum, qui ibi ſeruantur, copia, reperiſſet, incidit quoque in Codicem Homeri, pertinentem quidem ad aetatem ſaeculi decimi quarti, ſed tamen ductum ex antiquiſſimo quodam et praeſtantiſſimo, qui, praeter Iliadem et Odyſſeam, editos Hymnos ſexdecim, eo, quo in vulgatis editionibus dantur,

ordine, continebat. Sed Hymno decimo ſexto ſubiecti erant primum duodecim verſus ex hymno deperdito in Bacchum; tum ſequebatur ſatis longus, et, ſi extremam partem excipias, integer Hymnus in Cererem. Hunc, ſiue, vt in Batauis citius prodiret in publicum, ſiue vt eius opera, qui in Homericis Hymnis interpretandis et emendandis plurimum elaboraſſet, miſit ad Dav. Ruhnkenium, et ab hoc potiſſimum eum edi voluit. Impoſitas ſibi Editoris partes praeclare ſuſtinuit Vir praeſtantiſſimus, ſiue luculentam, quam praemiſit praefationem ſpectes, ſiue notas criticas quas adiecit, bonae frugis pleniſſimas, ponderes. Verſionem latinam omiſit, melius exiſtimans, Poetas Graecos ignorare, quam ex latina verſione velle cognoſcere. Primum autem quaerit quid de hoc Hymno ſtatuendum ſit, et quod in ſingulis verſiculis feciſſe Ariſtarchum quondam accepimus, vtrum ſit τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένος? Certe, ait, ſi Pauſaniae teſtimonio ſtandum ſit, qui eius mentionem facit quatuor locis, Meſſen. 30. Attic. 38. bis, Corinth. 14. rem confectam habemus; ſed ſibi tamen, addit, varias eſſe dubitationes iniectas. Primum Scholiaſtes Nicandri Alexiph. 130. rei mentionem facit, cuius in hoc Hymno nullum veſtigium extat, nempe potionis Cereri datae, et ſcurrilium iocorum, quibus Iambe Cereris riſum prouocarit; quae legitur in Orphei fragmentis p. 380. vnde concludit aut eum memoria lapſum, alterum pro altero citaſſe, aut hymnum ab hoc diuerſum in manibus habuiſſe. Idem, cum illud ἐν τοῖς εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένοις Ὕμνοις λέγεσθαι dicat, ſignificare videtur, ſibi omnes reliquos qui Homero tribuuntur Hymnos ſubiectos haberi, quod etiam iudicat Grammaticus vetus apud Leonem Allatium de Patria Homeri cap. 15. – τοὺς Ὕμνους καὶ τὰ λοιπὰ τῶν εἰς αὐτὸν φερομένων ποιημάτων ἡγητέον ἀλλοτρίας; et quidem argumento ex ipſius carminis vi et natura ducto, καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα. Quo etiam pro certiſſimo V. Cel. ad

la-

labefactandam, de hoc carmine veluti genuino Poetae foetu perſuaſionem, vtitur. Et quamquam formam dicendi fatetur Homericam eſſe, tamen ea, quibus Homeri praeſtantia maxime cenſetur, neruos, ſanguinem, ſpiritum, ſaepe requirit. Prae ceteris illae nihil proficientes Iridis, Hecatae, et Rheae legationes diſplicent. Quamquam etiam ſic quoque, quae Homeri ſtudioſus vix pro Homericis agnoſcat, nonnulla commemorat: v. c. vſ. 9. Πολυδέκτης, et alibi Πολυδέγμων pro Plutone; vſ. 12. Κάρα pro κάρατα; vſ. 210. ἐξυσμός, quae vox forma diſcrepans ab ἔξυμα in Lexicis deſideratur; vſ. 209. ἀντίτομον, pro *remedio*; vſ. 221. προθαλής, pro *vegetus*, *viuidus*; vſ. 264. ἐλεινήν pro ἐλεεινήν, quod quamquam in Cod. MS. legebatur, tamen vt laboranti verſiculo ſuccurreretur, reponendum ſtatuit; vſ. 338. ἀπιθεῖν ἐφετμῆς pro ἐφετμῇ, quod ſchema conſtructionis verbi ἀπιθεῖν cum Genitiuo ἐγγιωτικόν vocat Lesbonax p. 181. Pauſaniam fortaſſe, cum Fuluio Vrſino ad Virgil. Ecl. IV, 59. aliquis dicat parum intelligentem talium rerum exiſtimatorem fuiſſe; ſed non conſentiente Viro Cel. Nam cum de Orphei et Muſaei carminibus, de Homeri Thebaide, de Heſiodi Theogonia, praeclare iudicauerit, cur in hoc diiudicando lapſus ſit aliunde repetendum eſt; fortaſſe inde, quod omnes Hymnos, qui ſub Homeri nomine feruntur, Boeot. 30. cum Hymno in Apollinem Phocic. 37. pro veris et germanis habuerit; quod ne Leoni quidem Allatio l. c. et Steph. Berglero, Praef. ad Odyſſ. p. 16. quibus nemo de his Hymnis magnificentius ſenſit, probabatur: vt adeo eorum ſplendore ita ſibi oculos praeſtringi paſſus ſit, vt ad quaedam eorum vitia, quibus alius Homero ſcriptor proderetur, conniueret. Sed ne quis plane contemnat et abiiciat carmen, tenendum eſt: primum Pauſaniae iudicio hoc effici, vt, quod ipſe pro Homerico habuerit, id ab omnibus pro longe antiquiſſimo ſit habendum, vt a Poeta, qui vel ſtatim poſt Homerum, vel Heſiodi aetate vixerit, ſcriptum vi-

Digitized by Google

videri poſſit. Nam χνοῦς ἀρχαιοπινής, robigo vetuſtatis in eo apparet. Deinde, cum non ſolum ab antiquitate, ſed etiam a priſca et ſimplici venuſtate commendetur, exiſtimandum, ad pulchri ſenſum alendum, ad alios ſiue Graecos ſiue Latinos Poetas intelligendos, valere, et cum fructu conferri poſſe. Quam eius ſententiam, tria exempla e medio ſumta, confirmant. In hoc Hymno vſ. 13. et in verbis his: Κηώδει δ'ὀδμῇ πᾶς οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, Γαῖά τε πᾶσ' ἐγέλασσε, fons eſt, vnde venuſtum illud loquendi genus fluxit, quo vtitur Catullus de Nupt. Pel. et Thet. 281.

quos propter fluminis vndas
Aura parit flores tepidi fecunda Fauoni,
Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe corollis,
Queis permulſa domus iucundo riſit odore.

In quo ſilentio praetereunda non eſt Frid. Gul. Doeringii, doctiſſimi inter noſtrates Iuuenis, qui hoc Carmen notis ſuis illuſtratum, pro ſpecimine totius collectionis Carminum Catulli, aliquando edendae, nuper euulgauit, diligentia, qui hanc locutionem ex Horat. Od. 4, 11, 6. et ex aliis Graecorum ſcriptis, quoad de mari placido γελᾷν dicitur, ad vſ. 274. ipſiusque Cel. Ruhnkenii ſagacitas, qui eam ex Heſiod. Theog. 40. γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς — — θεᾶν ὀπί illuſtrauit. Idem Hymnus vſ. 176. Ὡς αἱ ἐπισχόμεναι ἑανῶν πτύχας ἱμεροέντων, Ἤϊξαν κοίλην κατ ἀμαξιτόν adiuuat interpretationem verborum eiusdem carminis Catulliani vſ. 128.

Tum tremuli ſalis aduerſas procurrere in vndas
Mollia nudatae tollentem tegmina ſurae.

Hic *tegmina ſurae* cum Scaligero Interpretes alii, et ipſe quem diximus nuperrimus Interpres, perperam ſumunt pro cothurnis, vel faſciis. Intelligit Ruhnkenius tunicam quae nuda crura tegebat, quam Ariadna, ne aqua madefieret,

Digitized by Google

ret, tollebat. Hymnus vſ. 101. Γρηῒ παλαιγενεῖ ἐναλίγκιος, ἥτε τόκοιο εἴργηται, δώρων τε φιλοστεφάνου Ἀφροδίτης, *concubitum* δῶρα Ἀφροδίτης vocans, tollit omnem dubitationem quae ſollicitos adhuc habuit Interpretes Virgilii, Aen. IV, 32.

Solane perpetua moerens carpere iuuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec praemia noris?

vtrum ipſi nati tanquam matrimonii munera, vt putabat Ill. Heynius? an vero concubitus intelligendi ſint, vt adeo etiam hic Veneris praemia concubitum dici videamus.

Nunc, quod reſtat, ſingulorum quorumdam locorum, propter aliquam vel obſeruationem exquiſitam, vel comparationem, vel emendationem inſignium, recenſum agemus. Sed nimirum, quae ab ingenio naſcuntur et arte elaborantur Ruhnkenii, ita omnia nitent, vt ſi ea referre vellemus, ipſe libellus exſcribendus eſſet. Quare paucis, quae ſpeciminis loco ſint, contenti erimus. Vſ. 4. Δήμητρος χρυσαόρου negat dici poſſe, cum χρυσαόρος perpetuum Apollinis epitheton, Cereri non conueniat; emendat autem χρυσοθρόνου. Vſ. 9. Πολυδέκτης, et alibi πολυδέγμων, *multos recipiens*, frequenter vſurpat de Plutone carminis auctor. Quae vox confirmatur Cornuto de N. D. 35. vbi ſcribit Plutonem vocari cognominibus, πολυδέκτης, πολυδέγμων, et πολύαρχος. E quibus reſtituit Orphei Hymn. in Pluton. 11. p. 210. *ed. Geſn.* et pro ὦ πολυδαῖμον reddit πολυδέγμων. Ἅιδης πανδοκεύς eſt apud Lycophr. 655. *Capacem Orcum* dixit Horat. II. Carm. 8, 30. ex emendatione Bentleii. Vſ. 13. in Mſ. erat Κῶδεις τ᾽. ὀδμῇ at, is vt iam citauimus ſupra, emendauit Κηώδει δ᾽ ὀδμῇ. Mox vſ. 16. ἄθυρμα de *oblectamento* ex floribus, ſicut Anacr. Od. 53. roſam vocat Ἀφροδίσιον ἄθυρμα. Sic ἐπιψήματα dicuntur Nicandro Alexiph. 234. μειλίγματα, eidem apud Athenaeum II. p. 51. E. *ludicrum* C… illus

Carm. 60, 22. Extat hac de voce, quae hic non commemoratur, luculenta obſeruatio Interpretum Thomae Magiſt. p. 17. Quia vocabulum ἄπλητος non eſt Homericum, cum legatur vſ. 83. huius Hymni ἄπλητος ἔχειν χόλον, proponit ex coniectura, (nam omnes emendationes huius hymni coniecturae ſunt, quod per ſe intelligitur,) ἀτέλεστον ἔχειν χόλον. Sed ἄπλητος defenditur ex apta coniunctione cum χόλος, et locis Heſiodi Theog. 315. Ἄπλητον κοτέουσα et ibid. 153. vbi pro Ἰσχὺς δ᾽ ἄπλατος Cod. Reg. Pariſ. habet ἄπλητος. Sic tamen etiam eſt in edit. Iuntina prima et ſecunda, vt ex nuperrima Heſiodi editione, manuſcriptorum et editionum veterum varietate lectionis aucta, quae hic Lipſiae prodiit, cognoſci poteſt. Vſ. ὡς τὰ πρῶτα διάτριχα δασμὸς ἐτύχθη. Hunc locum opponit Cel. Erneſtio, apud Callimach. H. in Iou. 61. διάτριχα δώματα νεῖμαι diuiſum reſcribenti διὰ τρίχα δ. ν. Vox ἀνήρυτος vſ. 106. occurrens de aqua, addenda eſt Lexicis. Vſ. 208. pro vitioſa MS. lectione Οὔτ᾽ ἄρ᾽ ἐπηλσίηαι δηλήσεται reſtitutum eſt Οὔτ᾽ ἄρ᾽ ἐπηλυσίη δ. Heſychius Ἐπηλυσία· ἐπῳδὴ φαρμακῶν, videri iubet notam ad Timaei Gloſſ. Platon. p. 84. addi poſſint Interpretes ad 2 Petr. 1, 20. Mangeus ad Philonem T. I. p. 510. Vox iterum recurrit mox 210. et H. in Mercur. 37. in quo pro αἰχμὰ legit ἔχμα. Vſ. 255. περί τ᾽ ἀμφί τε κάλλος ἄητο opportuno ex Heſiodo Aſp. 8. loco: Τῆς καὶ ἀπὸ κρῆθεν, βλεφάρων τ᾽ ἀπὸ κυανεάων Τοῖον ἄηθ᾽, οἷόν τε πολυχρύσου Ἀφροδίτης, in quibus locis *ſpirare* idem eſt quod *effulgere, exſplendeſcere,* vt Etymol. M. p. 23. explicat ἄητο, ἀπαυγάζει. Mox vſ. 259. Κόμαι κατενήνοθεν ὤμους opponit Guieto, apud Heſiod. Aſp. 269. pro πολλὴ δὲ κόνις κατενήνοθεν ὤμους, ſcribenti: ἐπενήνοθεν. Ad vſ. 308. tangit rariorem vſum vocis τιμή, pro partibus quas habet quodque numen in huius vniuerſi adminiſtratione, de quo vberius Valkenar. ad Eurip. Hipp. 107. notat, ſic dici μοῖραν, Heſiod. Theog. 348. et αἶσαν ibid. 422. λάξιν Callimach. in Iou. 80. Vſ. 366.

pro

Pro *ἠΰτε μαινὰς* legendum putat *ἠΰτε κεμμάς*. Heſychius *Κεμμάς· ἔλαφος νέος*. Conuenientius enim eſſe ait, vt mater ad conſpectum filiae, quam periſſe putabat, exſultans *hinnulo* comparetur, quam *Maenadi* furioſae. Qua correctione non putabit opus eſſe, qui *Δέλφιν μαινομένῳ ἴκελον* Theocrit. Id. 2, 51: qui vſum verborum *μαίνεσθαι ἐπί τινι* et *ἐπιμαίνεσθαι τινί*, de quo videantur quos Valkenarius laudat ad Theocr. Id. citat. vſ. 48. qui denique *μανικὸς* quo modo dicatur, cogitauerit. Pro *Εἰς δ' ἄρα ῥίον ἷξε* vſ. 429. legit: *Εἰς δ' ἄρα Ῥάριον ἷξε*; nam in hiſtoria Attica nobilis *campus Rharius*, de quo Meurſ. Regn. Att. I, 14. Pro *ἀλλὰ ἔκηλον εἱστήκει πανάφυλλον* legit, cum Wyttenbachio, *ἀλλ' ἀπέτηλον ἑστήκει πανάφυλλον* et *ἀπέτηλον* capit pro *fine ariſtis*, collato Heſiod. Aſp. 289.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARII DE BELLO Gallico et Ciuili. Accedunt libri de Bello Alexandrino, Africano, et Hiſpanienſi. E recenſione Franciſci Oudendorpii. Curauit editionem SAM. FR. NATHAN. MORVS, Gr. et Lat. Lingu. Prof. Lipſ. A. 1780.

Lipſiae apud Heredes Weidmanni et Reichium, Alph. 2. pll. 8. in 8.

Quamquam huic editioni parandae, Cellariani exempli repetitio occaſionem praebuit, et quamquam curarum priſtini editoris notas paſſim et veſtigia ſeruat: tamen recenti ſtudio et diligentia noui Editoris ita eſt exornata et polita, vt et ad latinarum litterarum cognitionem, et ad ingenii cultum,

tum, priſcorum pariter ac recentiorum Scriptorum notitia, colligendum profutura ſit. Etenim verba ipſa Auctoris ita exhibet, vt in Oudendorpiana maiori reperiuntur; notas autem tenet partim criticas, partim ad rerum intelligentiam ſpectantes. Ex eadem igitur Oudendorpiana editione excerpta eſt varietas lectionis, ſed non vbique, nec ita vt ei ſingularis ſit in quauis pagina locus attributus, ſed vbi opus viſum fuiſſet, cum delectu inter notas quid quemque locum maxime a difficultatibus liberare valeat, profertur. Proprias quasdam coniecturas et emendationes interdum, ſed raro et breuiter, adſpergere placuit. Cetera ex virorum doctorum adnotationibus ita ſunt reddita, vt raro ſuus ſit, ſed aliunde fere pendeat Cel. editor. Vſus eſt etiam Ier. Marklandi *Explicationibus veterum auctorum*, quas ad calcem Commentarii in Euripideas Supplices edidit, in quibus multos Caeſaris, maxime librorum de Bello Ciuili, locos tractauit; vnde pleraque in hanc editionem contulit. Ad verborum autem vim et intelligentiam quae pertinent, Latinitatis Index docet, ſatis copioſus et diligenter confectus. Rerum in his libris expoſitarum varium genus eſt. Nunc populorum mores, nunc locorum ſitus, vrbium expugnationes, proeliorum commiſſiones, expeditiones, machinarum bellicarum deſcriptiones, munitionum genera commemorantur. Quae partim graecorum ſcriptorum, Appiani, Plutarchi, Dionis Caſſii, quos curioſe denuo a ſe inſpectos ait, comparatione illuſtrantur; partim recentiorum ingeniorum, quae harum rerum diligentius tractatarum laude florent, ope explicantur. Inprimis igitur profuerunt libri, qui et ſaepius citantur, et iis qui vberiorem illuſtrationem deſiderent, commendantur iſti: *Io. Dan. Ritteri*, nobilitati Theodoſiani Codicis editione, hiſtoria Gallorum, quam is Germanica lingua ſcripſit; *Caroli Guiſchardi*, qui cognomen Quinti Icilii habuit, duo libri, quorum alter inſcribitur, Mémoires militaires ſur les Grecs et les Romains; alter Mémoi-

moi-

moires critiques et hiſtoriques ſur pluſieurs points d'antiquités militaires, quorum ille duobus Lugduni, hic quatuor voluminibus octonis Berolini prodiit.

Et praeterea quorundam diſſertationes, Obſeruationibus Miſcellaneis Belgicis et Lipſienſibus inſertae, quibus argumenta quaedam hiſtorica et antiquaria ex inſtituto tractantur, paſſim memorari videmus. Inter interpretandi et ſententiae verborum reperiendae ſubſidia, praeter metaphraſin Graecam, adhibita eſt quoque I. Franc. Wagneri, Rectoris et Prof. Osnabrugenſis, Germanica horum commentariorum verſio. Mappis autem geographicis, oppugnationumque, murorum item, pontium, machinarumque, et aliarum rerum imaginibus, haec editio caret; ſunt enim iſtae delineationes non tam certae, vt iis ipſam rerum veritatem cerni credendum ſit.

In lectu digna Praefatione ad extremum de vtilitate ex lectione horum Commentariorum ſperanda, ſic fere diſputatur. Si quis ait Cel. Auctor, omiſſis iis, quae paucioribus tantum placere aut prodeſſe poſſunt, multa ingeniorum millia, quae in Caeſarianis libris aut verbis diſertis deſcribuntur, aut quorum vita et facta cum ſuis cauſis conſiliisque narrantur, attentus ſpectauerit, ac ſub illo narrationum inuolucro latentia inueſtigauerit; ſi Caeſarem, celeritate atque taciturnitate omnia efficientem, hisque artibus adiutum incredibilia feliciter gerentem, ſui ſemper ſimilem, numquam crudelem, perpetuo lenem, in ſummis rerum omnium inopiis, tamen vno, eoque ſapientiſſimo conſilio locupletem, ob oculos habuerit; ſi animum eius dominatorem, per integrum decennium in Gallia tranſactum, eodem tramite conſtanter ad imperium nitentem viderit; ſi quidquid egit, ad vnum ſcopum tendere animaduerterit; nonne in humano pectore introſpiciendo, humanaque vita contemplanda ſe

Digitized by Google

verſari concedet? nonne hos, qui diſcunt, de vita, moribus, prudentia, felicitate ad monere poterit? nonne hiſtoriae ſtudioſis oſtendere licebit, hiſtoriam non modo eſſe memoriam euentuum, aut ſcholam futurorum magiſtratuum et imperatorum; ſed quidquid contineat, quocumque modo poſteris tradat, omni aetati, omni generi lectorum, aliquid ſaltem ſuppeditare, doctioribus ad cogitandum iudicandumque, peritis et imperitis ad imitandum cauendumque, iis denique, qui ad humanitatis ſenſus non plane obtuſi ſint, ad ſe ipſos agnoſcendos?

Nunc veniamus ad quaedam explicationum ſpecimina proferenda ſic, vt noſtrum etiam qualecunque iudicium interponatur. Primum tentatur locus B. G. I, 1. *Spectat inter occaſum ſolis et ſeptentriones.* Malit *in* pro *inter* et *et ſpectat:* probabiliter, quia vltima ſyllaba praecedentis *pertinet* id potuit abſorpſiſſe. Ibid. c. 31. *ſecreto in occulto.* Tollitur alterum, tanquam alterius interpretamentum. His tamen voculis longam notam impendit Oudendorpius, cuius hic nullam rationem habitam eſſe videmus. Ibid. 34. *ſine magno commeatu atque emolimento.* Quae hic de voce emolimentum dicuntur, congruunt cum iis, quae Cel. Ruhnkenius ad Vellej. Pat. II, 78. notauit. Putant autem Viri docti, ſecus quam Geſnerus in Theſ. L. L. vtrumque vocabulum *emolumentum* et *emolimentum* non magis inter ſe differre, quam *monumentum* et *monimentum*, et ſignificare 1) laborem, operam, vt hoc loco: 2) vtilitatem et fructum qui inde proueniat; quam ſententiam recte, vt arbitramur, probat. B. G. III, 20. *ciuitates Galliae prouinciae finitimae.* Omnes Interpretes reclamant, et has ciuitates non in finibus, ſed in ipſa prouincia ſitas fuiſſe contendunt, ipſo Caeſare dicente I, 10. *Toloſatium ciuitas eſt in prouincia;* quod et hic repetitur. Nos vero accipimus de ciuitatibus finitimis inter ſe, ſiue quarum ager adiacet; ita veritas Caeſari conſtabit; quam

quam vt tueantur, alii aliud comminiſcuntur. Aſſentitur autem iis qui locum ſic legunt, *quae ſunt ciuitates Galliae prouinciae finitimae his regionibus*, i. Aquitaniae, vt non iam ſit inane additamentum illud *ex his regionibus*. Ibid. c. 21. *propterea quod multis locis apud eos aerariae ſecturae ſunt*. In plerisque codd. eſt *ſecturaeque*, in aliis *ſtricturae, ſtructurae* etc., Ex his V. D. eligit *ſtructurae*, tanquam aptiſſimumvocabulum, et ei quod vernacula lingua vſurpatur *Berghen* conuenientiſſimum. At enim *Bau* ita hic dicitur vt in *Feldbau, Weinbau, Gartenbau*, et habet notionem culturae, non ſtructurae. Igitur *ſecturae* rei denotandae conuenientius iudicamus, praeſertim cum Graeci de metallifoſſoribus et lapicidinis *τέμνειν* dicant. Quare hoc tenendum fuerit; niſi forte quis prorſus omiſſo quouis vocabulo legere malit: *p. q. m. l. apud eos aerariae ſunt*, vt VII, 22. *apud eos magnae ferrariae ſunt*. Plinius H. N. XXX, 10. *nitrariae Aegypti — — tantum ſolebant eſſe*, intellecto *fodinae*. Lib. V, 42. *manibus ſagulisque terram exhaurire*. Oroſius et Interpretes acceperunt pro vellere terrae manipulos, et ſagulis iniectos exportare. At pro valde ſpecioſa laudatur Marklandi coniectura: *manibus tragulisque exhaurire*, quemadmodum Horat. Epod. V, 30. *terram ligonibus exhaurire*, et Lucan. 4, 294. *gladiis fodere ſolum*. Ibid. c. 43. *ferueſacta iacula*. „An ſunt ignita tela?" ſcribit V. C. non dubitarunt Voſſius et Dauiſius, nec Fiſcherus in Indice Palaephateo verbo Πυρπολεῖν, vbi etiam plures qui de hoc genere telorum expoſuerunt, commemorat. Lib. VIII, 9. locum, quem Interpretes non recte ceperant, diſcrepantia lectionis admonitus ſic conſtituit. Ait Caeſar, ſe imperaſſe *coronisque loriculam — — inaedificari;* legit autem: *coronisque hoc — inaedificari*, hoc ſc. vallum, omiſſo vocabulo *loriculam*, quod pro interpretamento voci *coronis* ab aliquo additum, et ex *loricula* in *loriculam* tranſiiſſe putat, quia nimirum coronae ſint ipſa loricula. Sed friget tamen quodammodo

 hoc,

hoc, quod et omitti poſſit. Videndum tamen an non ſalua manere poſſit lectio, et ſic explicari: *imperat coronis vallo inaedificandis loriculam fieri;* vt perſpicuitatis cauſa illa vox *loricula* adiecta ſit, quae quid denotetur ex VII, 72. cognoſcitur. B. Ciu. II, 29. *Caeſaris beneficium mutauerat conſuetudo.* Obſeruatur, *conſuetudo mutat beneficium* ſignificare, facit vt vileſcat; obſeruemus etiam, hanc ſignificationem eſſe exquiſitam, et *mutare* eſſe *corrumpere*, quo etiam modo τρέπειν Graeci dicunt. Geoponici Scriptt. Lib. VII, 20, 5, τρέπειν τὴν ὀσμὴν dicunt de re odori fera, cuius fraegrantia vetuſtate corrumpitur et euaneſcit. Hoc quis non illi *minuerat* Ciacconii commento praeferat? Ibid. c. 37. *naturâ et loci munitione.* Cum Marklando Explic. vett. auct. p. 268. legit V. D. *natura loci, et munitione.* Ita quidem verba accipienda eſſe videmus, et concedimus; ſed ita continuo eſſe collocanda negamus. Talium tranſpoſitionum nihil frequentius. Si quem emendatio iuuat, ei ecce damus aliam: *natura loci, et operis munitione,* Caeſ. B. G. I, 8. *operis munitione, et militum, concurſu et telis repulſi.* Haec vox inſerta perficiat concinnitatem, quam reliquis ineſſe apparet: *et maris propinquitate, et aquae et ſolis copia.* Ibid. c. 39. *capti homines equiteſque producebantur.* Cel. editor, cum ſibi perſuadere non poſſit, homines eſſe h. l. pedites, aſſentitur aliis, qui ex coniectura legi velint *equique.* Sed id non bene ſonat, et illam rationem, qua *milites* et *equites* diſtinguuntur, indubitatam reddunt obſeruationes doctorum, cum ad h. l. tum Gronouii ad Liu. 26, 19. Ienſii Lect. Lucian. p. 329. Wopkenſii Obſeru. Miſcell. Nou. T. II, p. 51. qui et laudat Dauiſium ad Cicer. Tuſcul. IV, 5. et Cleric. ad Exod. XV, 1. Et P. 558. *trichilae ſtratae* B. C. III, 69. i. caſae frondeae menſis paratis et expoſitis inſtructae, ad ἀνώγεον ἐστρωμένον Marc. 14, 15. Luc. 22, 11. aſſerta lectione *ſtratas*, conferuntur; et P. 567. *pauimentum.* Ibid. c. 105. ſiue ſolum marmoreum, e lapidum coagmentis

con-

confectum, ad λιθόστρωτον Ioh. 19, 13. aliaque plura, ſcitu iucunda et vtilia, diſputantur. *Aggerem agere* B. Al. c. 37. eſſe vel admouere, vel ceſpitem aggeris faciundi portare, Oudendorpius obſeruat; hinc V. C. explicat aduehere, apportare; qui vtique rarior loquendi modus eſt, ſi haec ſignificatio obtinet locum.

IMMAN. IO. GERH. SCHELLERI COMPENDium Praeceptorum Stili bene Latini, inprimis Ciceroniani ſeu Eloquentiae latine declarandae. In vſum Praelectionum.

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch 1780. 1. Alph. pll. 1½. in 8vo.

Cum huius libelli eadem ſit deſcriptio, quam Cl. Auctori placuiſſe videmus in maioribus Praeceptis Stili bene Latini, quae ante paucos annos, vel nuper potius, edita nouimus, perſcribendis, non arbitramur opus eſſe, vt de totius operis primariis et ſecundariis partibus et diſtinctionibus pluribus verbis exponamus. Sed ſufficit, vt noſtri Lectores formam operis ipſi vel concipiant, vel recognoſcant; monuiſſe, quidquid in plerisque aliis libellis, rhetorices praecepta tradentibus, ſub capitum de Inuentione et Elocutione complexu, comprehenditur, id noſtrum Auctorem his tribus, de *Perſpicuitate*, *Grauitate*, et *Suauitate dicendi*, tanquam totidem primariis eloquentiae, inprimis Latinis verbis, demonſtrandae virtutibus ſuperſtruere, ſingula quaeque aptis ſectionum et numerorum diſtinctionibus diſponere, ad-

monitionum et exemplorum frequentia illuſtrare, prorſus vt conueniebat libro, qui, ſicut de ſole ait Horatius, alius et idem eſſet. Eundem igitur efficiunt argumentum et argumenti tractatio; alium breuitas quaedam et reſtrictio in exemplis et admonitionibus afferendis, e quibus has quidem Cl. Auctor parcius adhibuiſſe; illa vero pro ratione locorum vel prorſus omiſiſſe, vel, vt eſſent pauciores, prouidiſſe confirmat. Et quamquam haec ita ſe habent, tamen ſatis adhuc amplus et prolixus manſit, natus nempe ab ingenio eius, qui ſe breuitati inimicum fateatur, eamque ad docendum, et ad accuratas et claras rerum notiones excitandas, multum valere poſſe neget. Nec dubitamus quin ſatisfacturus ſit huius libri apparatus, cum magiſtris quibusdam aridis et ieiunis, et vltra compendiorum cancellos progredi reformidantibus, tum diſcipulis doctrinae cupidis, et ſuo labore et induſtria connitentibus, praeſertim ſi cum huius opuſculi conſuetudine, maioris operis vſum coniunxerint. De tribus dicendi generibus, de quibus ab aliis copioſius fere traditur, ad extremum paucis, per Appendicis acceſſionem exponitur, quaſi de re parum vtilitatis habente, et inani vocabulorum ſtrepitu memoriam exercente. Habet ipſe liber, quod ex priori exiſtimari poteſt, vnum enim, vt eſt apud Terentium, qui norit, vtrumque nouerit, deſcriptionem aptam et diligentem, perſpicuitatemque ad docendum et placendum multum valituram. Continet admonitiones obſeruationesque, cum in ſcriptores priſcos, quorum verba citantur, tum de ſententiis doctorum, Heineccii quidem in libro, quem *Fundamenta Stili cultioris* inſcripſit, a vero ſaepius aberrantis, aliorumque magni quoque nominis et de re litteraria praeclare meritorum. Hic nobis V. Cl. non dicimus maleuolentia, ſed ſeueritate quadam arguta, aliter quam ipſi ſenſiſſent, et quam vacuus cupiditate animus lectoris intelligat, accipere viſus eſt. Hinc quae ſtrictius illi et ad certorum tantum locorum intelligentiam anguſtius ſumi

mi vellent, ad alienam ſententiam, latius et diffuſius accepta, calumnioſe detorquet. Hinc populari notione ab oratoribus, Cicerone, aliisque prolata, vituperandi cauſſam quaerens, ad ſubtilitatem philoſophicam reuocat. Nec tamen ſingulorum quae diximus, exempla memorabimus, nec morem Viri Cel. multum exagitabimus; ſcimus, haec quoque excuſationem habere et ad acuenda hominum, accuratae doctrinae laudem appetentium, ingenia valere poſſe. Sed ne cui vana crimina obieciſſe videamur, quaedam ſaltem, quae memoriae adhuc recenti inhaerent, ponemus. Eo loco, quo de *recto vocabulorum vſu* traditur, negatur v. c. *aliquanto* eſſe explicandum per *longe;* eſſe autem ſemper medium inter *paullo* et *longe.* Quod eſt verum, ſi origo ſpectetur. Sed conſuetudine multae voces efficaciores ſunt, quam origine ſua; in explicando autem hoc verbo vtendum eſt breuitatis cauſa, et ne vulgaris error Lexicorum triobolarium propagetur, in quibus iis vocabulis redditur quae *paulum* vel *parum* ſignificant. Vid. omnino Erneſti ad Sueton. Caeſ. 86. Hunc enim maxime petit. *Denique*, ſcribitur, male explicari a Graeuio (cf. et Erneſti ad Tacit. Ann. I. 28.) per *vt paucis dicam.* Atqui hoc aliter fieri non poteſt; ſed contextus eſt conſulendus. *Hoc eſt ad fructum vberrimum*, non valere *hic eſt fructus vberrimus*, (quae nos ita interpretemur: hac ex re capitur fructus vberrimus, *hier iſt der reichlichſte Nutzen anzutreffen.*) ſed, hoc *efficit* fructum vberrimum, quod nec ſatis Latinum; nos melius dixerimus *hoc habet fr. v.* Ibidem *caput* pro *homine* dici, praeterquam in formula *lepidum caput*, negatur. Quomodo igitur Aeneas apud Virgil. Aen. 4, 354. Iulum filium *carum caput* appellat, tantumne *caput* reſpiciens? Quid quod non tantum pro hominum, ſed et pro pecudum corporibus *caput* dicitur, vt in libris Iuriſconſultorum veterum, vbi *greges* ducentorum *capitum* memorantur. Alia apud poetam, *per caput hoc iuro: huic capiti inſultans: caput obiicere peri-*

Digitized by Google

periculis, nonne ad totam perſonam referuntur? Nec vſus iſtorum eſt poeticus, ſed ſolutae orationis ſcriptoribus communis. Ibidem p. 43. *Male* ait Caeſar B. C. I, 65. *Quos vbi Afranius procul viſos conſpexit*, pro: procul conſpexit. At nobis hoc participium non videbatur ſuperfluum. Nam procul *viſi*, ſunt e longinquo *oculis oblati; conſpicere* eſt *intentius conſiderare*. Sic prorſus, vt poſtea vidimus, accepit Clarkius, cui accedit Oudendorpius. Item reprehenduntur qui *aetatem* per *adoleſcentiam* explicant; at in multorum locorum explicatione hoc vocabulo vtendum eſt, nec tamen hinc ſequi debet haec eſſe Synonyma. *Segnis* ducitur ab Graeco ὄκνος, (melius ὀκνηρός,) in quibus parum eſt conuenientiae. Quidni potius ab *ſe*, et *agere*, quaſi ſemotus ab agendo. Alicubi nonnulla, ait, ad elegantiam referri, quae per naturam aliter dici non poſſint: v. c. *ſe ipſe interfecit;* bene. Sed et *ſe ipſum* dici certa lege poteſt, ſi ſit in oppoſitione alius, ab eodem interemti. Veluti ſi quis gladiatorem vel militem, qui alios occidiſſet, ſe ipſum quoque interfeciſſe dicatur. Cf. Oudendorpius, et quos is laudat, ad Caeſ. B. G. 2, 25. Porro, *errare humanum eſt*, et *errare hominis eſt*, eadem eſſe non poſſunt. Nam hoc hanc vim habeat: errare hominem decet. Hinc in fine praefationis parum apte dictum, meminerint lectores, errare humanum eſſe, humanius, errantem in viam amice ducere, (*comiter* melius cum Ennio dixerimus,) acumen quidem refert, ſed confuſis vitii virtutisque notionibus, admodum fractum et retuſum. Caeterum, qui maiori operi fauent, hanc etiam repetitam operam comprobent neceſſe eſt. In illud Ruhnkenii, Viri Celeberrimi, obſeruationes ſibi miſſas ait Auctor, quibus ad haec expolienda, non ſine grata mente *vſurus* ſit, ſic enim in emendandis pro *vſus* legi iubet; quaſi earum vſum in aliud tempus differat.

CAII

Digitized by Google

CAII PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTO-riae, cum interpretatione et notis integris Ioh. Harduini, item-que cum Commentariis et Adnotationibus Hermolai Barba-ri, Pintiani, Salmaſii, Iſ. Voſſii, I. Fr. Gronouii, et vario-rum, VOLVMEN SESVNDVM: recenſuit, varieta-temque lectionis adiecit, IOH. GEORG. FRID. FRANZIVS.

Lipſiae, impenſis Guilielmi Gottlob Sommeri A. C. MDCCLXXIIX. pag. 788. in 8.

Quum nuper tres priores libros hiſtoriae Plinianae lucem videre iuſſiſſet Vir experientiſſimus, qui Plinium Harduini cum editione Gronouii ita coniungendum combinandumque curat, vt Harduini editio repetatur, numero capitum editionis Gronouii vncis incluſo, varietatibusque Gronouii textui ſubiectis: haud diu emtores amatoresque Plinii moratus eſt, dum alterum Volumen emitteret, quod in repetendo volumine craſſiori feſtinandum arbitraretur, ne improuiſa citius obreperet ſenectus, multorumque Plinii emendi atque legendi cupiditas, mora temporis fracta, ſenſim ſeneſceret. Idem vero praeſtitiſſe videtur Editor doctiſſimus in hoc altero volumine recenſendo, quod eum praeſtitiſſe in priore volumine non ignorant qui hac editione vtuntur, qua quidem Plinius, ſi emendatam lectionem, vſumque cum philologicum, tum hiſtoricum, ſpectes, nihil plane lucratus eſt, lectorum tamen commoditati maxume conſultum videtur. Praemiſſa eſt huic volumini lectio prima

Digitized by Google

de Plinii patria, nec non altera de fide et auctoritate Plinii, quae vtraque a *Paulo Cigalino*, Nouocomenſi Ticinenſis Gymnaſii publico et primario Profeſſore Medicinae, habitae, in editionis Gronouianae primo volumine reperiuntur. In priori, teſtium auctoritate, monumentorum inſcriptionumque fide, non Veronenſem, ſed Nouocomenſem ciuem eſſe habendum, fuſius demonſtratur: de fide et auctoritate Plinii in altera lectione ita diſſeritur, vt Plinius defendatur ab eo crimine, quo omnia ex Dioſcoride transſcripſiſſe arguitur. Cum enim Plinius et Dioſcorides inter ſe conueniant et rebus et verbis, ac neuter alterum nominet, Dioſcorides vero ſub Antonio et Cleopatra florens, Plinium aetate longe antecedat: ex Dioſcoride Plinium pleraque in ſuam hiſtoriam transtuliſſe, fuere qui crimini darent Plinio. Hunc igitur defendit Cigalinus ſic, vt eius integritatem laudet, cum auctores, quibus ſuum opus debeat Plinius, vel obſcuriores Dioſcoride, nominauerit, vt Plinium multa, quae in Dioſcoride legantur, vel plane praeteriiſſe, vel alia ratione tradidiſſe demonſtret; furti denique culpam in Dioſcoridem recidere, qui nusquam quicquam ſe ex aliis ſumſiſſe profiteatur, ne vnum quidem materiae medicae ſcriptorem nominet, oſtendat. At nec opus eſſe videtur, vt quae Paulus Cigalinus pro defendenda fide atque auctoritate *Plinii* diſſeruit repetamus: cum ſatis ſuam ipſe cauſam egerit Plinius in praefationa ad Veſpaſianum, nec iis, qui Plinii lectione, hiſtoriae naturalis cognoſcendae cauſa, vel etiam temporis non ſine fructu fallendi gratia, delectantur, iſta ignota atque obſcura reperiantur.

Continentur vero hoc Volumine tres libri, a quarto ad ſextum, quos deſcriptionem ſitus regionum, montium, fluminum, vrbiumque, complecti conſtat, et maxima pars notarum debetur Harduino, qui nomina propria locorum ex Pauſa-

ſania, Strabone, Mela, aliisque explicat atque illuſtrat. Rarius occurrunt notae Pintiani, de vera lectione conſtituenda ſolliciti, et Dalecampii, maximam partem hiſtoricae. Gronouiana editio in his tribus libris Plinii, cum lectione quam ſecutus eſt Harduinus, fere vbique conſentit, ſi excipias ea loca, quae Harduinus vel manuſcriptorum ope, vel ex ingenio ſuo emendauit. Sic, vno modo vt exemplo vtamur, cum Plinius Libro V. c. 16. ed. Hard. et c. 18. ed. Gronouii, diſſerit de Decapolitana regione qua vergit in Coele-Syriam, et Libanum montem, non omnes eadem de his oppidis obſeruare ſcribit, addens: *Plurimi tamen Damaſcum et Opoton, riguas amne Chryſorrhoa fertilem*, quam vulgatam lectionem ſequitur Gronouius, et ſic quoque in optimis Codicibus legitur. At oppidum, quod Opoton nominetur, in iſta regione non reperiri, iam monuit Salmaſius ad c. 36. Solini, atque ſic emendare conatus eſt: *Damaſcum epoton riguris ex omne Chryſorrhoa fertilem.* Heud tamen probabile eſt, Plinium vſum eſſe voce Graeca ἐύποτον, atque hoc epitheton ſine interpretatione adiecisſe vrbi Damaſco longe celeberrimae. Hinc Harduinus recepit Iſaaci Voſſii coniecturam, quam in Obſeruationibus ad P. Melae librum I. c. 7. p. 582. edit. Gronouii propoſuit, atque Plinium ſcribere iuſſit: *Dumaſcum ex epoto riguis amne Chryſorrhoa fertilem.* *Rigua* vero ſunt Plinio ὀχετεῖαι, vel aquae ipſae rigantes. Fertilitatem igitur tribuit Plinius Damaſco, quia per rigua, per canales, atque riuos, totum epotet (exhauriat) amnem Chryſorrhoam. Id certe dicere voluiſſe Plinium nobis perſuaſum eſt, quamuis malimus legi *Damaſcum ex epoto riguam amne Chryſorrhoa ac fertilem.* Facile enim *ac* potuit excidere ob finem vocis antecedentis; vox tamen *epotus*, quantum nos quidem videmus, poetico ſcribendi generi magis conuenire videtur, quam hiſtorico. At nihil eſt quod his longius atque diutius immoremur, cum ſufficiat hoc vnum

 di-

Digitized by Google

dixiſſe, Franzium V. d. huud inutilem laborem ſuſcepiſſe in repetenda et coniungenda editione Harduini et Gronouii, laudandamque eius eſſe ſedulitatem atque induſtriam; de fide enim atque diligentia editoris nonniſi iudicare et certi quid dicere poterunt ii, quibus vtraeque editiones principes ad manus ſunt, et quibus vacat operaeque pretium eſſe videtur vtrasque cum hac Franziana editione comparare. Libro V. ſub finem c. 15. pro *planetorum* legendum eſt *palmetorum*: vt alia ſilentio praetereamus.

Abhandlung über das Weſen und die Einſchränkungen der Kräfte etc.

i. e.

DE NATVRA VIRIVM, EARVMQVE FINIbus, diſſertatio AVGVSTI WILHELMI REHBERG, praemio Soc. Scientiarum Berolinenſis proxima.

Lipſiae, apud Weygandium, 1779. in 8.

Metaphyſicam virium Theoriam inexplicabilibus difficultatibus inuoluit communis de corpore, eiusque extenſione, conceptus. Dum nimirum in contemplatione mutationum a motu corporum pendentium, in quarum rationes vltimas inquiſiuere Metaphyſici, vel non ſollicite ſatis diſcernerent apparentiam ab eo, quod reapſe eſſet, vel plane etiam, quod frequentiſſime maximo ſcientiarum dam-

damno euenit, confunderent; praecluſerunt vtique aditum ad ſublimem illam Philoſophiam, quam diuinum Leibnitii ingenium ſero tandem recluſit. Senſuum profecto Philoſophia in hoc capite ſterilis admodum eſt et ieiuna, monſtra parit horrenda, quae, dum in lucem protrahuntur, prorſus euaneſcunt. Tale fuit ſpectrum forma ſubſtantiae ante Leibnitium, quam apte compoſuere Scholaſtici ex vi Subſtrato cuidam infuſa. Quodſi etenim, ad quam rerum claſſem tale Subſtratum, quod eſſet quaedam quaſi pars ſubſtantiae, pertineret, quaeſiueris; oppido apparbeit, ſolam phantaſiam ratione prorſus immota incaſuum luſiſſe. Subſtratum nimirum, (ſuſtentaculum Lockio eſt,) antequam vi iungeretur, fruſtra et abſurde ſubſtantia habetur, quorſum alioquin virium infuſio? Sed nec in accidentium numero eſſe poteſt, niſi forte ſubſtantias ex compoſitione merorum accidentium, quod nemo vnquam aſſeruit, oriri ſtatuas. Qui hanc de ſubſtantiis notionem ad Philoſophiam quam dicunt corpuſcularem transtulerunt, nihil egere aliud, quam vt errorum pinguem nubem in agrum metaphyſicum effunderent. Nec corpora, nec eorum extenſio id ſunt, quod eſſe videntur, imo motus ipſe phaenomenon eſt, et maſſam corporum ſi a viribus eorum diſtinctam dixeris, ſatis vtique probas, quid valeat imperium introductarum in Philoſophiam, monadum dominantium, te non ſatis intelligere.

Deſeruit acutiſſimus Rehbergius antiquiorum Cosmologorum davi ſubſtantiarum primitiua placita, iunxitque ſe Leibnitio, cuius Philoſophemata, ſoluturus quaeſtionem ab illuſtri Academia Berolinenſi propoſitam, ita explanauit, vt ſuum, ſi viueret Philoſophus, calculum ei aegre denegaret. Dabunt nobis fidem rerum harum intelligentes, ſi tractatum Rehbergianum cum Cosmologia Leibnitiana conferre

Digitized by Google

libuerit. Agedum, faciamus ipſi eius rei aliquale periculum. Poſtquam auctor clariſſimus, relicto inter phaenomena motu, mutationes omnes ſubſtantiarum in repraeſentationibus inter ſe connexis poſitas eſſe docuit; fontem modificationum omnium, quae ſubſtantiis accidant, non in vi mouendi, ſed in vi repraeſentandi poſitam eſſe, inuictis argumentis comprobatum dedit. Haec ſola omnis in vniuerſo vitae vnica origo eſt, infinita etiam in omni ſubſtantia finita licet et limitata, quod nimirum ens infinitum, a quo vniuerſa virium harmonia profluxit, extra ſe nihil quod infinitum non eſſet producere poſſit. Quod adtinet ad repraeſentationes monadum limitatas, quae praebere nonnullis firmum argumentum adſtruendae vis eſſentialiter limitatae videntur, acute monet Auctor, hos gradus non eſſe a Deo ſubſtantiis immiſſos, pendere potius ab earum coniunctione, vi cuius ſubſtantia ſubſtantiam proximam, ſeu remotam etiam, ſtringit, ſtringendoque limitat; imo vel ex talibus limitationibus, quoniam ad maiores continuo perfectiones tendunt, non inepte virium ſubſtantialium infinitatem collegiſſe videtur. Fruſtra aduerſus hanc doctrinam vrgetur, concipi non poſſe modum atque rationem, qua monadum repraeſentationes in formam motus modificandae, quis enim, ſi motus non ſit phaenomenon, vnquam docuit modum et rationem excitati in corpore motus? Solet vulgo ſubſtantiarum a Deo dependentia ad vim creandi referri, quam infinitam dicunt potentiam, et ſufficientem conferendae exiſtentiae ſubſtantiis. Auctor noſter hanc falſo in numero perfectionum diuinarum haberi confidenter contendit; nec potuit aliter, ſaluis philoſophandi legibus, quibus omnem ſubſtantiam, finita ſit, ſeu etiam infinita, vnicam, eamque repraeſentandi vim habere, quin hanc ipſam vim ſubſtantiam eſſe, aſſeruit.

Sed

Digitized by Google

Sed cauendum, ne ſcribamus Rehbergio dicam: non negat vim creandi, ſed negat vim creandi aliam eſſe a vi repraeſentatiua Dei, multusque eſt in eo, vt aſperitatem huius aſſerti emolliat. Atque hoc Philoſophiae Leibnitianae caput grauiſſimos ſemper habuit aduerſarios, quorum quidem argumenta ſi per ſe conſiderentur, in aſſenſum quaſi rapiunt, ſed collata cum notionibus Leibnitii primis langueſcunt, et lectores in biuio deſtituunt. Spinoſa profecto vtrinque ſunt omnia, ac neſcimus an confidenter oſtendi poſſit, qua parte maximae difficultates obuiae ſint. Noſtrarum vero partium nunc non eſt, cumulum dubiorum augere, quod quiuis ex ſe facile poteſt; ingenue tamen fatemur, profundiſſimum Rehbergium ſingulari acumine ac dexteritate in diſſoluendis nodis verſatum fuiſſe, quamuis, ſi quid iudicando valemus, rem totam confeciſſe non videtur. Ac primo quidem difficultatem ex dependentia rerum ſucceſſiuarum ab ideis in intellectu diuino deſumtam, deſperato plane medio tollit. Quodſi etenim ideae diuinae nullis mutationibus obnoxiae ſint, plane omnis ratio exiſtentiae rerum tollitur, nec eſt amplius vnde ſucceſſio euentuum et ſubſtantiarum concipi perfecte poſſit, quin potius videtur, ſimul exiſtare debere omnia, quae facta ſucceſſiua rerum euolutione in mundo ad actum perducuntur. Sed admiſſis ſemel mutationibus idearum intellectu diuino comprehenſarum, pronum eſt ad concludendum, nihil praeuidere Deum, ipſamque adeo praeuiſionem non niſi per errorem et praecipitantiam inter attributa diuina referri. Nititur enim praeuiſio quaeuis, dum ex praeſenti rerum ſtatu et conditione, quae futura olim ſint, colligit, defectu cognitionis diſtinctae totius mundi; quamobrem etiam, cum ideae diuinae perfectiſſime res exprimant, eas vtique praeſentia duntaxat, futura contra non cernere aſſerit, atque, quamuis timide aliquantum, contendit, ſolius ſubſtantiae fini-

tae

tae intelligentis perfectionem quandam intellectus in praeuiſione poſitam eſſe. Vidit vero celeberrimus auctor difficiliora ſolutu argumenta, quibus ſuum ſyſtema premitur, quod nimirum viam videatur pondere ad Spinozismum, qui ex eius ſententia non ita religioni inimicus eſt, vt conciliari cum eadem nequeat. Verum tamen feliciter et ſatis vt videtur commode, ex his tortuoſis anfractibus eluctatus eſt, dum partim ſolide docet, Deum nullo modo caput et initium eſſe ſubſtantiarum, quod videlicet in ſerie exiſtens, ita iungeretur, vt finitae ſubſtantiae finitis aliis iunguntur, partim etiam inuictis argumentis hypotheſin Spinozae euertit, oſtendendo, eſſentiam infinitam non eſſe ſummam, ſeu complexum rerum omnium exiſtentium. Fieri enim non poſſe putat, vt ideae animarum noſtrarum habeantur pro ſubſtantiis, nec etiam conſcientia noſtra criterium eſt idearum ad nos pertinentium, cum ſingulis momentis ineffabilis obſcurarum idearum numerus mentem noſtram exerceat. Iam autem, ſecundum demonſtrata Leibnitiana, in numero harum repraeſentationum ſunt quoque ideae rerum exiſtentium omnium, totiusque adeo vniuerſi; quaeuis ergo anima, quaeuis etiam monas, ſubſtantia eſt, non nuda infinitae ſubſtantiae modificatio. Certe, ſi de vltimis Philoſophiae noſtrae principiis meditamur, neceſſe eſt, vt vel ſequamur Leibnitium, vel tranſeamus in caſtra Spinozae. Atque hoc, de rei veritate conuicti dicimus, certoque confidimus fore, vt lecturi tractatum Rhebergianum cum debita attentione mentis, iuſtum nobiſcum pretium Philoſophiae Leibnitianae ſtatuere diſcant.

ABV

ABV NASRI ISMAELIS EBN HAMMAD AL-Gieuhari Farabienſis, Purioris ſermonis Arabici Theſaurus ſiue Lexicon Arabicum. Particula I. E Codd. Mſſ. ſumma fide edidit, ac verſione latina inſtruxit, EVERARDVS SCHEIDIVS.

Traiecti ad Rhen. ap. Abrah. van Paddenborg, pp. 179. praeter Praefat. et all. 4. mai.

Nuper admodum in manus noſtras peruenit egregius hic liber, multorum deſideriis iam dudum expetitus, edi quidem coeptus a. 1774. ſed tot impedimentis retardatus, vt poſt plures annos demum abſolutus prodiret, haud ille quidem omnia iſta deſideria expleturus, ſed ſpem tamen explendorum oſtenſurus haud paullo certiorem. Scilicet conſtabat inter omnes, quibus litterae Orientis curae ſunt, exſtitiſſe olim inter Arabes Grammaticos egregie doctos, qui, quod ſuperiori ſeculo Italiae et Francogalliae ab Academiis ſuis praeſtitum eſt, Lexicis vernaculis conficiendis, idem iam tum praeſtarent ſermoni ſuo; inter illos vero iure cenſeri etiam *G'euharium* *), auctorem Lexici Arabici كتاب الصحاح inſcripti, ſeculo X. p. C. n. celeberrimum, gente quidem Turcam, Farabiae, quae nunc Otrar eſt, natum, ſed Arabum litteris ita innutritum, et in eorum lingua adeo verſatum vt ipſi eum non dubitarent امام اللغة, *linguae magiſtrum*, appellare. Nec minus cognitum erat, hoc opus *G'euharii* ſupereſſe integrum in bibliothecis noſtris,

*) Tò ج placuit ſemper per G', impoſita lineola, exprimere

ſtris, atque adeo *Golium* Lexici ſui maximam partem ex illo vnice hauſiſſe, idemque perpetuis virorum doctorum, qui illud vſu cognitum habuiſſent, laudibus celebratum noſcebatur. Sed ex quo *Golius* opus ſuum ediderat, CXX, et amplius, effluxerant anni, et tamen *G'euharius* in bibliothecis abditus latebat. Tandem vero, magno litterarum arabicarum commodo, exſtitit Cl. *Scheidius*, Prof. Harderuicenſis, qui, ſummo has litteras iuuandi ſtudio ductus conſilium caperet vtiliſſimum huius operis edendi, et comparatis variis praeſidiis, initium faceret hac particula, tanquam integri operis proluſione, in lucem proferenda. Itaque, vt, quanta commoda ex integro opere, vbi editum fuerit, ad has litteras redundatura ſint, coniici poſſit, quid in hac eius parte inſit, age, breuiter enarremus.

Habemus igitur hic partem operis G'euhariani arabice, magna cum diligentia, expreſſam, eique verſionem latinam appoſitam, quam, vt Cl. Editoris ipſis verbis vtamur, rudiori Minerua, in tironum fere vſus, confecit. Sed contexta oratio *G'*. edita eſt e duobus Codd. Mſſ. quos *Scheidius* ipſe habet, et in praefatione totius operis accurate deſcripturus eſt, altero vetuſtiori, altero elegantius ſcripto; quibuscum etiam, maxime cum inter ſe diſſentirent, librum Mſ. biblioth. Leidenſis comparauit. Scilicet nec plane eadem habent duo illi libri, quorum alter interdum auctior altero reperitur, nec ſemper eodem modo ſingula exhibent; itaque iudicio critico opus erat in vera lectione conſtituenda, quo non dubitamus, quin Cl. *Scheidius*, quae eſt viri ſubtilitas, recte et caute vſus ſit: nam varietatem lectionis, iudiciique ſui cauſſas in hoc quaſi Prodromo (ita quidem eius conſilium nos interpretamur) oſtendere noluit. Videtur autem, de quo lectorem ipſe non admonuit, aut vterque eius Codex, aut alteruter certe, gloſſatoris manum hic

hic inde expertus fuiſſe; nam p. 88. vbi *G'*. prouocat ad locum aliquem poetae, quem ſemper κατ' ἐξοχὴν appellat ألرّاجز *Lyricum*, ſ. *Rhythmicum*, nomine non addito, ibi ergo duplex eius nomen adiectum reperitur ſic: *Abu Muhammed al Fakaſii, qui idem Abdollah ebn Ribii vocatur*, quod gloſſema Editor ipſe vncinis videtur damnaſſe.

Iam Lexicon ipſum *G'*. ſic adornatum eſt: Copiam verborum omnem, vt par erat, per radices, quas diximus, deſcripſit, ſed alio ordine radicum, quam qui vulgo in lexicis regnat; quam diuerſitatem etiam *Golius* in Praef. Lex. attigerat, non autem dixerat qualis eſſet. Scilicet, habita vltimae cuiusque radicis litterae ratione, primum in vnum locum congerit verba omnia, quae in Elif hamzatum deſinunt, tum eodem modo, quae in Be, quae in Te terminantur, atque ita porro, adeo vt pro numero elementorum XXVIII capitibus totum opus complectatur: ſed ſingula capita denuo in XXVIII ſectiones minores diſpeſcit, prout v. c. primi capitis verba hamzata, ab ا, ب, ت, ث, etc. incipiunt. Hunc ordinem operis, nouum ſane, et, vt videtur, ad rationes grammaticas perutilem, poſtquam ipſe *G'*. breui admodum praefatione deſcripſit, qua ſimul, quibus e fontibus ſua hauſerit, oſtendit, omnes vero ſe linguae diuitias exhauſiſſe, modeſte negat, tum ſtatim ad *Cap. I. de hamzatis verbis* (باب ألهمزة) progreditur. Hoc caput non integrum a *Cl. Scheidio* hac proluſione exhibetur, ſed deſinit p. 178. in rad. قباء, quae eſt vltima Sect. XXI. In ſingulis autem radicibus ſic verſatur, vt ſuperſcripto verbo ipſi ſubiiciat omnia eius coniugata et deriuata, quot quidem ei innotuiſſent, addito aliquo pronomine, nomine, particula, alioue,

Digitized by Google

ex quo modus verborum cum aliis iungendorum appareat; atque ea quidem ſic ponit ſimpliciter et nude, quando vſus eorum ſatis frequens eſt, ſenſusque cognitus, ſed aliis verbis ſynonymis aut circumlocutionibus explicat, cum infrequentioris ſunt vſus, aut ſenſum e ceterorum vicinia contrahunt peculiarem. Haec verba promiſcue et ſine ordine poſita eſſe, queſtus erat *Golius*. Et ſane ſi ordinem quaeras eum, qui pro ratione originis grammaticae verba diſpoſita habeat, nullus eſt: at, in plerisque certe, reperimus longe vtiliorem ordinem ſeruatum, ita vt verba ſe exciperent pro ratione ſignificationis a primo quaſi fonte ad alias aliasque partes paullatim deriuatae. Iam veras verborum ſignificationes, verosque ſenſus tradi, vel inde quisque poterat conſidere, quod, diu collectam operis materiam varia multaque lectione auctam et multis Arabum genuinorum colloquiis (عرب العاربة) expolitam fuiſſe, *G.* docuerat: ſed tamen, ne dubium lectorem relinquat, ſemper in verbis rarioribus aut difficilioribus, nec minus in omni fere obſeruatione grammatica probatiſſimorum quorumque auctorum exemplo aut praecepto ſe tuetur. Prouocat autem ſaepiſſime ad clariſſimos illos ſeculis II et III Hegrae Grammaticos, *Al Chalil*, *Abu-Amru*, qui et *Sibouiah* cognominatur, *Abuzeid*, *Atsmai*, *Pherrai*, *Ahmar*, *Ebn - Oſſikith*, *Abu-Obeida*, aliosque, quorum ipſa praecepta ſaepe transſcribit; ſed etiam, quae ipſe inter legendum annotauerat, exempla, ex ſcriptoribus bene multis apponit, ita vt interdum longiores ῥήσεις poetarum aliorumue auctorum exhibeat. Sed pleraque e Corano, ex Apophthegmatibus Muhammedis ſociorumque anecdotis, (الحديث, *traditiones*) e carminibus *al Fakaſii*, quem ſupra docuimus الرجز appellari, et alius poetae, *Abu ebn Kamiiah* (vid. p. 176.) quem pariter per excellentiam اَلشَّاعِرُ (*poetam epicum*) vocat,

tum

tum ex aliis poetis, oratoribus, hiſtoricis, grammaticis, medicis plus quam L, confirmat; horum pleroſque *Herbelotus* ignorat: neque tamen nomina adſcribere viſum eſt, quia praeter nomina vix quidquam ex hac eorum commemoratione intelleximus, plura fortaiſe olim, integro opere edito, cognoſcent viri harum litterarum ſatis periti, quibus aditus ad bibliothecas patet vario genere librorum arab. Mſſ. refertas. Ceterum noſtro non ſufficit, vſum verborum probum et ſanum docuiſſe exemplisque firmaſſe: ſed idem etiam haud raro vitioſum vſum reprehendit, verba male vulgo enunciata notat, dialectorum, inprimis Hegazenſis, (quae tum deterior erat Iemanica, ſ. Koreiſchitica, nunc, teſte *Niebuhrio* omnium per Arabiam optima reperitur) diſcrepantiam commemorat, grammaticas verborum rationes, formarum origines et cauſſas, litterarum aut vocalium mutationes ſaepe ſubtiliter explicat, ſimilium verborum diſcrimina, variumque pro varia ſcribendi aut enunciandi ratione ſenſum luculenter oſtendit. Haec fere bona libri reperimus, quantum ad grammaticam Lexici rationem; ſed eorum ſpecimina dabimus, cum exemplis ſtudebimus oſtendere, quorſum illae copiae grammaticae nobis profuturae ſint.

Scilicet, cum pleraque omnia ex G. in ſuum opus tranſtulerit *Golius*, praecipua vtilitas in eo erit, vt pro riuulis fontem ipſum adire poſſimus, vt Goliana G'euharianis confirmari videamus, nec minus vt illa ex his ſuppleamus, emendemus, illuſtremus, atque adeo intelligere diſcamus. Primum igitur ſunt quaedam in G'. quae *Golius* non habet; ea plerumque *Scheidius* ſigno aliquo appoſito notauit; ſed tamen et alia reperimus ab eo non notata, quorum indicem hic exhibuimus. In rad. أجأ apud *Gol.* deeſt أَجَئِيُّونَ *Agaenſis*, nomen gentilitium a monte Aga ductum;

E rad. حبا vnum nomen habet ſolum, ſed ſub v. حبا; cum ا quieſc. Quae ſequuntur, duae radices plane deſiderantur: زَمَأ c. c. علي p., Inf. زَمْأ, moleſtus, difficilis alicui fuit. رَتَأ c. c. a. r. Inf. رَتْأ, conſtrinxit nodum. In rad. رجا, vbi nomen ſectae poſuit أَلْمُرْجِئَةُ, debebat etiam adſcribere *nomen ſing.* مُرْجِئٌ, Murgius, (*quod etiam* مُرْجٍ *ſine hamza effertur*) et *gentilitium* مُرْجِئِيٌّ murgienſis. Sic in rad. سبأ praetermiſit سَبَائِيَّةٌ Sabaitae, vna ex ſectis minoribus Golatarum (غلاة), qui haeretici a Sunnitis habentur, originem ducens ab Abdalla ebn Saba. Rurſus deſiderantur صَتَأَ c. c. ل r. Inf. صَتْأ, i. q. صبد, operam dare alicui rei; et قَبَأَ Inf. قَبْأ, *ex dialecto vulgari pro* قاب, edit bibitque. Porro in r. برأ nomen بَرِيَّةٌ ſcripſit quidem ſic ſine hamza, vt etiam apud G'. eſt, ſed debebat amplius annotare, nomen ſic ſcriptum deriuari etiam a بَرًى puluis, quod G'. ex *Pherraeo* refert; et rad. بهأ non debebat ad بها vel بهي referre, cum G. diſerte vtrumque diſtinxerit: nam بها vlt. quieſc. eſt: ſplendere, vt recte *Golius*, ſed بهأ c. c. ب p. aſſueſcere alicui, *hinc*, بَهُوءٌ *de camela manſuefacta*, quod *Gol.* habet, *et* لَهُ مَا بَهَأْتُ, non attendi ei. Praeter haec Cl. *Scheidius* p. 31. quaedam e rad. جبأ et p. 101. in rad. رفأ ſpeciem 13. رافأ peculiari ſignificatione, notauit in *Golio* deeſſe; ſed illa totidem fere litteris, haec

ad

ad ſpeciem 4. افناء relata, in eius Lexico legebamus. Sed etiam, vt verum dicamus, ex altera parte *Gol.* quaedam ex *G'.* enotauit, quae in hac eius particula, vbi quaerenda eſſent, non vidimus; ex quo procliues ſumus ad excuſandum *Gol.* qui alia praetermiſerit, quod fortaſſe Codice vſus fuit, modo locupletiori, modo indigentiori, quam quos *Scheidius* noſter tractauit; quae quidem coniectura inde firmatur, quod ipſi libri Scheidiani non vbique conſentiunt.

Sed haud ſcimus an hoc excuſari queat, quod *Gol.* cum Lexicon ſuum vellet copioſiſſimum edere, quae a *G'.* ceteriſque Lexicographis tradita reperiſſet de vario verborum ſenſu et vſu, ſtatim omnia inter ſignificationes verborum retulit, non additis formularum exemplis, e quibus cognoſci poſſet, ſintne illae ſignificationes, quae vere dicantur, an translationes verborum e rei ſubiectae natura et caeterorum verborum coniunctione natae. Haud quidem reprehendimus, quod exempla cum locis ſcriptorum non appoſuit; erat enim hoc ab eius conſilio alienum: ſed debebat tamen breuiter formulas loquendi commemorare, in quibus verba ſic, vt ab eo reddita ſunt, occurrunt; ſaltem diſcernere vbique ipſe debuerat, num verbum ipſum per ſe id ſignificet, quod ſcripturus eſſet, an aliunde hunc vſum admittat: ita ille ſibi cauiſſet a vitio, quod per totum opus dominatur, vni verbo tot tamque diuerſas ſignificationes tribuendi, vt non videamus, quomodo homines, quibus mens ſana et larga verborum fuerit copia, vno verbo tam multiplici ratione vti, aut alios ita vſos intelligere potuerint. Iam in hoc genere inprimis prodeſt, integra *G'.* praecepta legere, quae iſte male excerpſerat, atque inde ſignificationes verborum recte conſtitutas a vario eorum vſu et ſenſu diſtinguere. Sic cum *Gol.* ſcribit: بطاء tardus fuit, *etiam* tardum et ſegne habuit iumentum, apparet ex *G'.* alteram non eſſe

no-

nouam ſignificationem; laudat enim haec ex Abu Zeid: أَرْطَأَ القَوْمُ (tardum fuit, tarde profectum eſt agmen) i. e. *iumentis tardis vſum eſt;* vnde patet, quam pro ſignific. arripuerit *Golius*, eam eſſe tantum Grammatici explicationem. — Rurſus ille ſic: بذأ, ingratum et inuiſum habuit; *de loco:* pabulo caruit. Quid hoc rei eſt? Duplex ergo ſignificatio verbi, et altera quidem tranſitiua, altera intranſitiua? Nullo modo: ſed *G*. docet, بذأ ſignificare: contemſit, inuiſum habuit; hinc v. c. dici بَذَأْتُ الأَرْضَ contemno regionem, ſc. quod paſtu caret, et terram بَذِيئَة, deteſtabilem, in qua paſcua nulla ſint: habemus igitur rurſus ex vſu vario verbi ſignificationes exſculptas. — Plura quis vult exempla? Adſunt. جشأ, *Conj. I. commota et excitata fuit anima moerore vel terrore; item Migrauit; Conj. II. et V. ructum emiſit; Conj. VIII. non conuenit ei regio.* Quae portenta ſignificationum in vnum locum congeſta! Haec vero omnia id vnum verbum vere *ſignificare* credamus? At bene habet; vna tantum et propria eſt ſignificatio *eructandi,* ad ſummum accedit altera paullo latior *eiiciendi*, cetera omnia translate dicuntur in ſingulis formulis, vt ex *G*. intelligimus. Nam ſic 1) جَشَأَتْ نَفْسِي (q. d. eructat animus) eſt نَهَضَتْ نَفْسِي إِلَيْكَ *effert ſe animus meus aduerſus te*, aut جَاشَتْ, *efferueſcit prae triſtitia et moerore;* 2) اجْتَشَأَتْنِي البِلَادُ (q. d. eructant me regiones) *reſpuunt, reiiciunt me*, itemque اجْتَشَأْتُهَا (q. d. eructo eas) *improbo, non conueniunt, diſplicent mihi;* tum

tum 3) جَشَأَ ٱلْقَوْمُ مِنْ بِلَادٍ إِلَى بِلَادٍ (eructat ſo-gens) i. e. *migrat ex alia in aliam regionem.* — Riſerit forte aliquis, aut Arabes olim putauerit ſatis lepidos fuiſſe, his apud *Gol.* lectis: سُوأَى, *Deformis mulier. Ignis, ſ. potius Infernus. Poena. Malum.* At bona verba! Audiamus *Geuharium:* سُوأَى eſt *malus* in vniuerſum; ergo mulier ſic dicitur, cum *deformis* eſt. Sed ٱلسُّوأَى ſubſtantiue poſitum eſt *malum* quoduis, inprimis vero *poena,* et in aliquo Corani loco XXX, *9. poena, ſ. ignis infernalis.* Verba ſunt: ثُمَّ كَانَ عَاقِبَةُ ٱلَّذِينَ أَسَآؤُا ٱلسُّوأَى finis eorum, qui male fecerint, erit malum, h. e. infernus). — His aliisque ſimilibus vitiis animaduerſis, facere non potuimus, quin denuo optaremus, quod ſaepius pro nobis ipſi taciti deſiderauimus, vt tandem aliquis, peritia dialectorum orientis, et analogiae linguarum, iudicioque ſubtili inſtructus, Lexicon conderet accurate et docte, in quo, quod in omnibus linguis, ſed praecipue in orientalibus, eſt perquam neceſſarium, verae verborum ſignificationes a vario eorum vſu, propriae a translatis, frequentiores ab infrequentioribus, diſtinguerentur ſic, vt ſeries omnium et nexus, et quaſi genealogia ſignificationum cognoſci poſſet, maxime ſi grauiſſima quaeque formulis quibusdam breuiter illuſtrata fuerint; quae quidem opera praeſentiſſimo *G'euharii* auxilio adiuuabitur, vbi totum opus editum fuerit. Sed vt clarius oſtendamus, quale ſit, quod poſtulemus, ſpecimen exhibebimus talis operae in verbo قَرَأَ, vbi, quae e *G'euhario* ſumſimus, littera *G'.* notauimus, quae nusquam reperta neceſſaria concluſione adiecimus ipſi ad ſeriem ſupplendam, aſteriſco (*)

 in-

inſigniuimus, quae ſine nota aliqua ſcripſimus, e Golianis, praeter *G'euharium*, addidimus. Itaque

قرأ *antiquitus duplicem ſignificationem habuit*, * A. ſtato tempore aliquid vel facere vel pati, * *quod ad tempora ſiderum occaſibus, ventis, (eteſiis,) pluuiae, morbis acutis, partui, maxime vero menſtruo mulierum fluxu conſtituta accommodatur.*

I. Conj. قرأ *Inf.* قرء, *idem.* *

قرء *Subſt. Coll.* اقراء, قروء, اقرؤ, 1) *in vniuerſum:* tempus ſtatum rei; *v. c.* قروء الثريا, tempora, quibus Pleiadum occaſus pluuiam affert, *G'.* 2) *inprimis de menſtruis muliebribus, partim* tempus fluxui a natura finitum, ſ. fluxus ipſe, *partim* tempus inter bina menſtrua interiectum ſ. puritas a menſtruis. *G'.*

قرء *Subſt. idem, ex vſu 2.*

قراءة (*ap. Hegazenſes* قرة) *ex vſu 1.* morbus epidemius, *qui intra ſtatum dierum numerum incolas regionis afficit. G'.*

II. Conj. قرأ 1) — — — — * 2) *c. c. a p. (q. d. finere menſtrua alicuius mulieris praeterire)* per menſtrua aliquam explorare num grauida ſit, *G'.*

III. Conj. قارأ — — — — —

قارئ *Subſt.* καιρός, tempus rei ſtatum, *G'.*

IV. Conj. اقرأ, *Intranſit.* 1) accedere ad tempus, quo aliquid faciendum ſit, idue attigiſſe. * Sic اقرأت الحجي, negotium peragendum accedit, prope eſt,

eſt, vt perficiatur, *G'.* اقرأت الريح, ventus flat ſuo tempore, *G'.* اقرأت المعصم, ſidus pluuiam expectatam differt (*q. d. accedit, tendit ad tempus pluuialis occaſus, ſed nondum id attigit.*) *G'.* 2) *de mulieribus: attigiſſe* τὸ قرء, *i. e. vel* menſtruo fluxu laborare, *vel* ab eo puram eſſe; *etſi poſteriori ſenſu* Achfaſch *vult tantum Conj. I. dici. G'.*

مُقْرِأَة *Subſt. Foem. ex vſu 2.* mulier menſtruis laborans.

V. Conj. تقرّأ *Intranſ.* 1) — — — — * 2) partui vicinam eſſe, *de camela.* (*Hinc adeo ſecundum quosd.* قرأ *1. Conj. eſt* talem camelam ſepto includere.)

مُتَقَرِّأَة *Subſt. foem.* camela iam paritura.

X. Conj. اسْتَقْرَأَ *c. c. a. ex vſu 2. Conj. V. de camelo dictum:* foeminam praegnantem inire cunctatur. *G'.*

B. legere, i e. colligere, partes partibus addendo. *G'.*

I. Conj. Inf. قَرْأً, قِرَاءَة, *c. c. a.* 1) *propr.* colligere, conferre in vnum locum, *v. c. aquam, grana.* 2) *transl. de camela:* (*q. d. iungere vterum foetui*) continere vtero foetum vel ſecundinas *G'.* (*niſi tamen hic vſus potius pertinet ad verbum* قرى) 3) *transl.* legere, *v. c. librum,* سلام, i. e. *ſalutandi formulam etc. item* praelegere, *c. c. a. r. et* على *vel acc. perſ. G'.*

قرء *vt ſ. ex vſu 3.* lectio; quidquid legitur *; *inprimis* homoeoteleuton in carmine; Pl. أقراء, carminum genera.

قُرْآن, Coranus Muhammedis, *ex vſu 3. vt ipſi Mu-*

Digitized by Google

hammedi placet, Cor. LXXV, 17. 18., vel a colligendis Suris, ex vſu 1. ſecundum Abu-Obeida. G'.

II. Conj. — — — — — *

قُرَّاء, *Pl.* قُرَّاؤن *ex vſu 3.* qui egregie legit; *inpr.* deditus legendo Corano (et pietatis exercitationibus) *G'.*

III. Conj. c. c. g. a. ex vſu 3. praelegere, praelegendo docere.

قارِئ *Subſt. Pl.* قَرَأَة, Lector, *G'.* inprimis Corani.

IV. Conj. c. c. a. r. et لِ *p. ex v. 3.* iubere legi; legendum dare librum *G'.* legendam tradere, i. e. ſcribere ſalutem. *G'.*

V. Conj. ex deriu. Conj. II. lectioni ſacrae et pietatis ſtudiis ſe dare.

VIII. Conj. ex vſu 3. legere.

IX. Conj. — — — — — *

مَقْرُو, * *Foem.* مَقْرُوَّة } qui legitur, legendus.
مَقْرِيّ *Foem.* مَقْرِيَّة

NB. Quod ad Conj. III. Gol. *ex* Firuzab. *adſcripſit:* Rediit, retroceſſit, Abiit, Abſuit, *non apparet quale ſit, niſi quis forte aliquo loco τὸ* أقرأ *ita vſurpauit, vt eſſet: abire, recedere a fine propoſito: quemadmodum ſupra docuimus de ſideribus dici, quae tempus pluuiale nondum attigerint.*

Ceterum, poterunt facile aut ſimiles vſus huius verbi cum deriuatis ſuis in dialectis hebr. chald. ſyr. aeth. cum his comparari, aut eorum, qui diſſimiles videntur natales relationesque ad primam ſignificationem inde reperiri; quod hoc loco, ne nimis copioſi eſſemus, noluimus facere.

Sed

Sed vt ad *G'euh.* noſtrum redeamus, iuuat ex eo quaedam promiſcue addere, quae inter legendum annotauimus. Verbi جبأ Infinit. ponit مَجْبِيءٌ, docetque, rariſſime in Infin. verborum, quorum Conj. 1. Futurum habeat cum Kesra in media, Kesram pro Fatàh ad mediam radicalem poni; id tamen fieri in his

جبأ, جبض, كيل, صبر. — دِرِّيٌّ vel دُرِّيٌّ

itemque دَرِّيٌّ nec ſidus aliquod peculiare ſignificat, nec omnibus ſtellis commune eſt nomen, ſed ſtellam quamuis maiorem et ſcintillantem indicat, vnde omnes ſtellae maiores, quae peculiari nomine carent, دَرَارِيُّ appellantur. — Neſcimus, linguae copia, an loquendi multiplex vſus, an grammaticorum ſubtilitas hinc eluceat, quod omnes hae formulae: بَدْأَةً بِي بَدْأَةً,

بَدْأَةً بَدِيءً, بَدْأَةً بِي بَدِيءً, بَدْأَةً بِي بَدْءً,

بَدِيءً بِي . بَدِيءً, بَادِيءً بَدْءً, بَادِيءً بَدِيءً,

idem omnino ſignificant: Fac hoc omnium primum, ante alia omnia.— Ceterum ex ipſis *Geuh.* obſeruationibus, et multo magis e locis auctorum ab eo laudatis, multa poterunt ad illuſtrandam antiquam Arabiae hiſtoriam et geographiam vtilia peti, e quibus ſpeciminis loco haec notauimus: *Saba* (سبأ) is ſcilicet, qui a Moſe Gen. X, 28. narratur fuiſſe, בן־יקטן, communis tribuum antiquiſſimarum in Arabia felice auctor, dicitur Ieschgobi F. Iaarofi N. Kahtani ſ. Ioctanis Pron. fuiſſe;

iſſe; *Tai* vero, a quo Taitarum nunc quoque celebris gens originem habet, ebn Odad ebn Zeid ebn Kahlaan ebn Saba ebn Himjar. In rad. حداء notat *G'.* verbum حداءة (vulgo حداء *miluus*) occurrere in his, quae in prouerbium abiiſſe videntur: حداء حداء وراءك بندقة, (*Milui, milui tibi*, *Bunduca*, *imminent*) ſed in his verbis alios intelligere nomina duarum gentium *Hadaa* et *Bunduca*, quarum illa Hida ebn Namijra, haec Bunduca ebn Maddah prognata ſit, vtraque vero ad gentem Saado'l Aſchir in Iamana referatur. Sic alio loco أرد شنوءة, alio صداء, Tribus in Arabia fel. commemorantur. *Zabii*, (صابئون, proprie qui religionem mutarunt) iidem illi, qui nuper nobis paullo certius quam antea innotuerunt, genus Iudaeorum eſſe narrantur p. 136. — Nec dubitamus, quin loca veterum Scriptorum multa ad intelligendas hebraicae linguae formulas et proprietates, atque adeo ad interpretanda Vet. Teſt. oracula ſint collatura; cuius ſuſpicionis firmandae cauſſa vnum exemplum apponemus. P. 128. locus eſt neſcio cuius Scriptoris, vbi ita Koreiſchitae loquentes inducuntur:

نحن قريش وهم شنوءة
بنا قريشا ختم النبوة

h. e. in noſtra gente vaticinia finem habuerunt, vltimus prophetarum e gente noſtra ortus erat; vbi cum eadem formula occurrat de ceſſantibus vaticiniis, quae totidem litteris exſtat Dan. IX, 24. חתם נביא, videtur etiam idem vtroque in loco eius ſenſus ſtatui poſſe. — Tandem etiam criticum iudicium de libris Arabum, qui nunc exſtant, hoc opere valde adiuuabitur, nam interdum etiam variae lectiones

nes locorum appoſitorum commemorantur. Sic p. 54. in his *Aadii ebn Zeid:*

إِجَلْ أَنَّ ٱللّٰهَ قَدْ فَضَّلَكُمْ
فَوْقَ من أَحْكَأَ صلْبًا بإِزَارْ

poſteriorem partem etiam ſic legi tradit: (vtrum rectius ſit, non dicit)

وَفَوْقَ مَا أَحْكِي بِصُلْبٍ وَإِزَارِ

hoc certe inde apparet, fuiſſe et tum in iis auctoribus, qui ſtudioſe legerentur et deſcriberentur, lectionis varietatem, quae quidem illo tempore in cufica ſcriptura facillime potuit oriri.

In his igitur tot tantisque huius operis bonis, in quo vnum hoc ſpem noſtram fefellit, quod arborum, plantarum, animalium nomina, non accuratius explicata reperimus: facere non poſſumus, quin Cl. *Scheidio* pro hoc munere gratias agamus, eumque etiam atque etiam rogemus, vt maturanda, quantum fieri poſſit, integri operis editione, de litteris orientalibus, hoc eſt de inſigni parte eruditionis egregie mereri pergat.

DISSERTATION SUR LA FORCE PRIMITIVE, qui a remporté le prix proposé par l'Académie Royale des Sciences & belles lettres pour l'Année 1779.

Berolini ex officina Deckeri, in 4. maj.

Inſignis huius Tractatus, latino ſermone conſcripti, Auctorem titulus prodit, qui fere talis eſt: *Diſſertatio de vi Subſtan-*

ſtantiali, eius notione, natura, et determinationis legibus, Auctore Ioſepho Pap de Fogaras, A. L. M. Philoſophiae Doctore, et Eccleſiae Reformatae Saxopolitanae V. D. M. in Hah-Város, vrbe Tranſyluaniae. Quamuis Metaphyſici fere omnes, Ariſtotelem ſecuti, rerum vniuerſalium nomina, iuſta diuiſione, vel ex ſubſtantiarum, vel ex accidentium claſſe petant, non tamen aeque conſtanti lege notiones ſubſtantiarum formant. Inciderunt ergo nonnulli in nugas difficiles, ex quarum labyrintho emerſi, dum ita igne quodam fatuo miſere decepti plenam lucem conſectarentur, iterum in nouum, eumque horridiorem, ruere praecipites Non ſolum qui ſubſtantias ex ſubſtantiarum coniunctione prodire iubent, ſed et qui in omni ſubſtantia certam quandam compoſitionem ineſſe dictitant, inexplicabiles ſibi nodos nectunt; et licet nomen *ſubſtantiae compoſitae* ita emolliant, vt ei ſubſtantiarum quendam cumulum ſubſtituant, haerent tamen, et graui errore laborant, dum cogitationem de monade in duas partes, ſubiectum puta, quod quid ſit non dicunt, quia non intelligunt, atque vim, qua praeditum ſit, diſcerpunt; denique etiam, quamuis hoc ferendum, ex diſcrimine virium infinita fere ſubſtantiarum ſimplicium genera in Philoſophiam inducunt. Illuſtris Leibnitius, vt erat accerrimo ad inueniendum ingenio, quantum conſtat, primus feliciter tenebras, quibus ſubſtantias inuoluere Scholaſtici, diſpulit, tanta quidem luce, vt nunc, ſi quis forte ex ſimplici ſubſtantia ſubiectum exſculpere velit, cui vis inhaereat, merito, qui fructus induſtria tanti viri ad Philoſophiam acceſſerint, ignorare cenſendus ſit. Auctor ſcripti, cuius dum momenta palmaria enumeramus, ſimul coronam oſtendimus, quam Regia Societas, quae Berolini floret capiti eius impoſuit, dictorum fidem abunde comprobat. Referat eruditiſſimus Vir complura, quae Leibnitius de ſuis monadibus, earum vi repraeſentatiua, item materiae paſſiua extenſione, vnione, de monadibus dominantibus, etiam de mona-

nadi-

Digitized by Google

aadibus corporis Chriſti, ſparſim, acin litteris in primis ad Rev.P. Boſſes datis, praeceperat. Imo hoc inniti totam hanc de vi ſubſtantiali diſſertationem, Leibnitianae Metaphyſicae commentarium, fatemur.

Itaque quoniam omnes totius vniuerſi mutationes vel ad repraeſentationes, vel etiam ad motum referri debent, acutiſſimus Actor in vim animae repraeſentatiuam diligenter inquirit: eſſe docet vnam cum eius ſubſtantia, ſubiecti prorſus nullius indigam, mutationibus tamen obnoxiam, diuerſas ex hoc fonte natas potentias pro totidem natura propria diuerſis viribus minime habendas, quin potius modificationum inſtar transfundendas eſſe in vim fundamentalem ſeu primitiuam, quae ſit ipſa vis repraeſentatiua, qua ſolum omnis animae *egoitas* ſeu *perſonalitas* contineatur. Harum veritatum omnium diductiorem explicationem dedit, adiunxitque demonſtrationes, quae euidentia ſeſe et rigore fere vbiuis commendant. Poſſumus autem huius adiectae reſtrictionis declarationem facile dare. Vis fundamentalis nimirum, quae etiam primitiua audit, nec determinatio eſt alterius cuiusdam vis, in quam reſoluatur, nec nuda agendi potentia. Manifeſto autem vis primitiua opponitur deriuatiuae, quae quid aliud eſſe poteſt quam facultas exercitii diuerſi, aut modificatio vis primitiuae? vnde, ſi diuerſi fuerint actus, quamplurimum profecto adtinuerit, diuerſas ſtatuere leges, ad quarum praeceptum vis primitiua exerceatur, atque ideo complures diuerſas in vna eademque vi ſubſtantiali, h. e. in ſubſtantia facultates, concipere.

Hanc diſtinctionem interno ſenſu, ad quem ſaepius prouocat eruditus auctor, probatam, neglexiſſe videtur. Certe, numerus facultatum diuerſarum non arguit numerum diuerſarum ſubſtantiarum. Hoc tum demum colligitur, vbi rerum internum diſcrimen impedit, quo minus certa quaedam facultas vnione eſſentiali referri debet ad vim, de qua quaerendo agitur, vel vt ſi, num animae vis repraeſen-

Digitized by Google

tatiua habeat facultatem mouendi ſuum corpus, forte quis intelligere velit; is reuera vel ipſo intelligendi conatu ſentiet, vim repraeſentandi, quoquo modo modificatam, vel minimo motui producendo imparem omnino eſſe, itaque vel agere in corpus nequire, vel tribuendam animae vim fundamentalem a priori diuerſam, vt ita ratio plena moti coporis perfecte intelligatur. Verumtamen ita explicato vno nodo nectuntur alii, ſolutu forte multo difficiliores, quos acutiſſimus auctor praeſentit atque ita eritauit, vt demonſtraret pag. 20. animae duas vires a ſe diuerſas competere non poſſe. Hoc ſi legitime demonſtratum dederit, recte demonſtratione acquieſcere cenſendus eſt, vtut explicari nequeat modus, quo vis repraeſentatiua voluntatis actus, vel motus etiam in corpore, eliciat.

Fingas, inquit, animae competere duas vires A et B a ſe diuerſas. Vis A aut poteſt exiſtere ſine vi B, aut non poteſt; ſi poteſt (et ſi differrat ab ea, cur non poteſt?) exiſtat ea ſeparatim vis A, aut eius ſubiectum erit ſubſtantia, eadem vis B ratio, animaque eſſet ex duabus ſubſtantiis compoſita; ſi non poſſit vis A ſine vi B exiſtere, tum aut natura illius poſtulat, vt haec adſit, aut huius vt illa adſit, aut communis quaedam ratio poſtulat duas vires coniungi; ſi primum, vis B erit vis A determinatio, non diuerſa vis; ſi alterum, vis A erit vis B determinatio; ſi tertium, tum nec A nec B erunt vires fundamentales, ſed potius vtraeque prioris alicuius vis fundamentalis determinationes. Sit vis animae ſenſitiua a vi eius rationali diuerſa, oſtendimus vim eſſe niſum ad effectus producendos, aderunt ergo in anima ſemper conatus ad ſenſationes et ratiocinia producenda, quod certe nemo dixerit. Adeſt ſemper tam ſenſationum, quam ratiociniorum fundamentum, vna nempe vis animae repraeſentatiua; ſed vtrique effectus haud ſemper adſunt. Perſonalitatis noſtrae ſenſus rationem in iis, quae animae competunt, habere debet. Quid vero in ea obſeruamus, non niſi muta-

Digitized by Google

tationes certo ſibi ordine ſuccedentes, ex illisque adeſſe vim eas producentem colligimus. Perſonalitas vero rationem in effectibus habere nequit, qui diuerſi ſunt, habet itaque in vi; vnitas ergo eius eſt fundata in vi animae.

Procul dubio intellexit venerabilis auctor, formatae ita demonſtrationis neruos incidi poſſe, negando veritatem concluſionis, qua adſtruit, vim A aeque ac vim B haberi debere pro determinationibus alius cuiusdam vis fundamentalis, quod ſumtum fuerit, eſſe quidpiam, quod talem vis A et B coniunctionem poſtulet. Itaque noua demonſtrandi forma, ex vnionis virium diuerſitate deſumta, ſententiam probare conatur. Habeat, ita pergit, ſubſtantia animae duas vires fundamentales. Eae in anima vnitae erunt, erit itaque illa vnio vel eſſentialis, vel accidentalis; ſi prius, illae non erunt diuerſae vires fundamentales, ſed potius diuerſi vnam vim eſſentialem concipiendi modi; ſi poſterius, tum vel neutra cum ſubſtantia animae eſſentialiter cohaeret, vel vna tantum earundem; ſi neutra, deletis vtrisque viribus anima maneret, quod abſurdum eſt: animae enim, cuius nullae vires, nullaeque tum modificationes eſſent, nulla idea formari poteſt. Si vna illarum tantum eſſentialiter cum anima cohaereret, altera vi deleta anima nihilominus maneret, ea proinde eſſet mera animae modificatio, non vis; nam modificatio vis eſt actio, non noua vis. Et quid, quaeſumus, ſibi vult vim vi iungi? vis quaelibet proprium exiſtendi characterem habet, nec proinde maiori iure cum altera vi coniungi, quam exiſtentia vnius alterius exiſtentiae addi poteſt. Sint in anima coniunctae duae vires accidentaliter, effectus vtriusque ad diuerſas vires, duplices vires ad earum vnionem ducent; quae cum ſit accidentalis, in accidentali determinatione erit poſita animae ſubſtantia, quod abſurdum eſt; notio enim ſubſtantiae nullius, accidentalibus determinationibus abſolui poteſt.

His ita demonſtratis, accedit A. ad indicandum fontem ef-

 fe-

Digitized by Google

ſectuum eorum, qui in motu cernuntur. Aperit ergo luculenter difficultates, quibus haec doctrina vndiquaque premitur, dum extenſio atque motus realiſata e numero phraenomenorum eiiciuntur, tandemque infert, omnem extenſionem a realitate quam longiſſime abeſſe, corporumque elementis vim repraeſentatiuam vtique tribuendam eſſe. Conſtat nimirum, inter phaenomena referendum, quidquid variata continuo ſcheſi menti repraeſentandum ſiſtitur; quod dum accidere extenſioni palam eſt, patet, eam nulla ratione in realitatum numero poni debere, dummodo de explicatione inter quaerentes conueniat. Quid iam de motu? et hunc apparentem ſtatuit, quod non niſi quaedam rei extenſae determinatio ſit. Prona eſt concluſio apparentis motus ex apparente extenſione, nec vlteriori explicatione eget, verum extenſionis pro phaenomeno habitae rationes internas declarare, res eſt admodum difficilis, nec forte vnquam ad liquidum perducenda. Certe, re bene perpenſa, procliuior multo videtur in apparentem motum aſſenſus, quam in extenſionem apparentem, ad quam animus ſtupore quaſi quodam rigeſcit. Habet ſane extenſionis realitas admiſſa imperuios flexus, neque talibus apparentia diſtituitur, videntur tamen illis multo molliores.

Phaenomeni extenſionis ratio vltima ex elementis cum illuſtri Leibnitio petenda, quod nullo modo fieri poteſt mutua rerum diſtantia ſalua, qua ſublata, totus materialis mundus vel ſine fine procurrens, in punctum coarctatur. Huius vero phaenomeni realitatem quis demonſtrare audeat? languet Philoſophia quaeque, quae ad hoc ſe parat. Vt dictis fidem lumenque faciam, excito Philoſophum ad P. Boſſes ſcribentem Hanouera 26. Maii 1712. Quae huc ſpectant potiſſimum haec ſunt: *ſi id, quod monadibus ſuperadditur ad faciendam vnionem, ſubſtantiale eſſe negatur, iam corpus ſubſtantia dici nequit; erit enim merum monadum aggregatum, et vereor ne in mera corporum phaenomena incidas. Monades enim per ſe*

ſe nec ſitum habent quidem inter ſe, nempe realem, qui vltra phaenomenorum ordinem porrigatur. Vnaquaeque eſt veluti ſeparatus mundus, et hi per phaenomena ſua conſentiunt inter ſe, nullo alio per ſe commercio nexa. Vtinam vero illuſtris Leibnitius commentarium in haec paradoxa ſcripſiſſet! Quae enim ab auctore noſtro proferuntur, adeo ſunt intricata, vt ad declarandam hanc Leibnitianae Philoſophiae partem parum admodum conferre videantur, praeſertim cum ambigua admodum et incerta ſint, quae in vim monadum repraeſentatiuam diſputat. Plures ſunt, vel ipſo fatente, qui talem vim pernegent, atque ex tribus ad eligendum propoſitis hoc eligant, quod nec Scepticismum vniuerſalem inducat, nec vero etiam Spinozismo faueat. Illuſtris Wlffius, magnus et ipſe Leibnitii promachus, re dubia inter litigantes relicta obiit.

Theorie der Gartenkunſt etc.

i. e.

HORTORVM ORDINANDORVM THEORIA:

Auctore C. C. L. HIRSCHFELDIO, regio iuſtitiae regundae Conſil. et in Acad. Kilonienſi Philoſ. et Artt. P. P. O.

Lipſiae, apud Weidmanni heredes et Reichium, MDCCLXXIX. forma quarta maiore. Tom. I. et II. cum figg. aen. permultis.

Accepimus in hoc libro, pleno ingenii atque artis, quaſi primum in ea arte inter Germanos. Vlterior eſt explicatio libelli prioris, inſcripti: Obſeruationes de villis, atque alterius: Theoria artis hortorum ordinandorum. Tribus diſtinctum opus eſt partibus, quarum prima continet obſeruationes generales, altera tertiaque ipſam Theoriam. Inquirit auctor, omni noſtra laude maior, in hortorum origines, easque quaerit in iis temporibus, vbi mores hominum iam politiores, et animi ſenſationes emollitae erant. Iam igi-

Digitized by Google

igitur obſeruabant naturae illuſiones et miracula, etad diuturnum talium vſum in loco quodam ſtudebant ea figeri. Pergit inde A. ad hortos penſiles Babyloniorum, Perſarum Paradiſos, quos tantum affirmant, teſte Xenophonte, fuiſſe locos arboribus frugiferis, naturalique loci pulchritudine amoeniſſimos. Non nimium in hac arte Graeci praeſtiterunt, quoniam tota fere Graecia hortus erat. Collegit hic A. quae de horto Alcinoi memorat Homerus, et quaedam ex picturis Herculanenſibus Tabula xx. et xxxxix, quae poſſint quaſi exempla hortorum Graecorum proferri, vlterius explicat. At fatetur, non deſignari iis hortos, ſed partes tantum aliquas hortorum (*Gartenſtüke*). Pergit deinceps ad villas hortosque Romanorum. Notum eſt, villas eſſe hortis apud Romanos antiquiores, cum horti nonniſi ſub Imperatoribus floreſcerent, et iis temporibus orirentur, cum iam amoruitae agrariae in luxuriam degeneraſſet. Villaeinprimis celebriores erant in Tiburtinis regionibus, in Sabinis, nec non in collibus Praeneſtinis. Meminit hic villae Diocletiani ſplendidiſſimae in Dalmatia, villae Spalatrenſis, atque alterius Hadriani celeberrimae, prope Tibur. Inter hortos eximios refert potiſſimum hortos Plinii. Atque hic miramur, cur illum Senecae celeberrimum neglexerit, qui decies centenis millibus aeſtimabatur. In medio aeuo cultura hortorum fere nulla fuit. Soli enim erant monachi qui hortos alerent, eo fini, vt fructus inde arborum, atque olera, eſurientibus profutura, nanciſcerentur.

E recentiori aetate recenſentur primum horti Italorum, quorum iam mentionem e Sec. xvi. facit Montagnius: affirmat autem cum Volkmanno, Viro doctiſſimo, et magno peregrinatore, (cuius de Italico itinere praeclarus liber iam dudum proſtat), Italorum hortos in cenſum venire non poſſe; neque hodie tales eſſe, quales plerumque credantur. Pergit ad Heluetos A. quorum hortos, tamquam naturae imitamina, in illis locis admirandae, celebrat.

Gal-

Digitized by Google

Gallorum deinceps hortos luſtrat, quales primus conſtruxit le Notre. Vituperat eos ob nimiam artem, et anxiam, et qui a natura mirum in modum aberrent. In Hiſpanorum hortis celebrat Aranjuenſem. Batauorum hortos cum Gallicis conuenire in vniuerſum obſeruat, in eo autem ab iis diuerſos eſſe, quod magis ſunt coarctati, plurimisque ludicris artificiis ad nauſeam vsque impleti, ſlorumque eximia pulcritudine et varietate gaudent. Iam vero ad Anglos penetrat Vir doctiſſimus, reſtauratoris artis huius ingenioſiſſimos. Iſtorum horti integrae regiones potius ſunt, et naturali vagaque et longe ſparſa prae aliis excellunt pulcritudine. Per eam occaſionem, atque vt fidem dictis faciat, deſcribit hortos qui ſunt Wentworti, Duncombii, Haglii, quorum ſumſit e Yungio graphicas deſcriptiones. Tandem ad Germanos A. redit; qui, dum hortos ſuos ad architectorum regulas inſtruerent, vti multa alia inconcinna, ita etiam Gallorum naeuos imitati ſunt. Mox ad Sirenſes A. deflectit, et de illorum hortis miras narrationes lectoribus proponit, eas inprimis, quas Chamberius retulit. Pergit inde ad Perſas, Iapanenſes, aliosque orientis populos. Et haec quidem omnia nonniſi ad hiſtoriam hortorum pertinent.

Iam deinceps ipſum veterum recentiorumque ingenium hortiscolendis indagat, refutatque ineptam illorum ſententiam, qui recentiorem hortorum rationem et culturam ex antiquitate ducunt. Deſcribit igitur primum rationem hortorum inſtruendorum quam le Notre inuenit. Inter Anglos Baconis de hortis explicat ſententiam, cui ſucceſſit Miltonus, Pope, Addiſſon. Tandem hortorum reſtauratorem illum celeberrimum, Kentium, et poſt hunc Whatelyum, praedicat. In Gallia de cultura hortorum inprimis bene meriti ſunt Ruſſaeus, Ceſſiéres, et Whateletus. Comparat dein A. inter ſe veterem recentemque hortorum inſtruendorum artem. Laudat hanc vt elegantem, illiusque dignitatem etiam ex eius fine

net demonſtrat. Hae ſunt quaſi primae lineae Theoriae hortorum.

Iam ad ipſas theoriae hortenſis regulas A. progreditur. Atque hic primum de pulcritudine naturae, de colore, de motu, deque aemoenitate, de eo quod nouum eſt et inexſpectatum, de ſenſatione e rebus contrariis, de diuerſa regionum facie atque indole, de plano, de colle, ſaxis, montibus, ſiluis, de aqua, pratis, proſpectibus, deque regionum diuerſa indole, multa docte atque eleganter praecipit.

Pars Theoriae altera ſiſtit argumentum de locis hortorum, et ſitu, de arboribus, floribus, de ceſpite, aqua, de viis denique. Adiectae ſunt hortorum quorundam deſcriptiones, tum Anglicorum, tum Germanorum. Circa arbores multa curioſe adnotat. Arbores ipſas diſtinguit. Aliae ipſa ſpecie ac ſtipitis pulcritudine placent, aliae ſurculis, nunc ſurgentibus, nunc diuergentibus, nunc deorſum pendentibus; aliae foliorum luxuria, colore; varietate, perpetuitate; aliae floribus oculos delectant. Neque A. fruticeta, lucos, ſiluas, aquas, prorſus reticuit, quin potius operam dedit, vt quoduis iſtorum, cui loco, cui fini aptum ſit non ſolum, ſed etiam decorum, diſtincte doceret. Adiectae ſunt hortorum deſcriptiones quaedam, anglicorum non minus quam germanorum. Caeterum, ingens tabularum aeri affabre inciſarum copia, magnam iis lucem affert, quae ab A. dicta ſunt; ſed augent etiam ſplendorem libri. Sunt in his Ruſſei atque Sulzeri, in riuorum ripis, inter arboreta, atque in inſulis, ſepulcra. Dictionis elegantia laudari ſatis non poteſt, cuius pretium augent interſperſa Philoſophumena, plerumque tribus quatuorue verbis expreſſa. Eſt igitur hic liber etiam iis lectu digniſſimus, qui, etiamſi hortos inſtituere aut nolint, aut non poſſint, tamen recreare animum legendis talibus, tam eleganter tamque iudicioſe ſcriptis, volent.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Auguſti Anno MDCCLXXVI.

PHILOSOPHIAE NATVRALIS PRINCIPIA mathematica, Auctore ISAACO NEWTONO, equite aurato, illuſtrata Commentationibus potiſſimum IOANNIS TESSANEK, Phil. et Theol. D. et Mathem. in Vniuerſ. Pragenſi Prof. Regii P. O. cet. et (quibusdam in locis) Commentationibus veterioribus Cl. Vir. TH. le SEVR et FR. IACQVIER, ex Gallicana Minimorum Familia Math. Profeſſorum, aliter propoſitis. LIBER PRIMVS.

Pragae, per Io. Adamum Hagen, MDCCLXXX. 4to. P. 319. cum XVI. Tabb. aen.

Specimina iamiam aliquot, paucis abhinc annis, *Teſſanekius* V. Cl. in Commentationibus phyſico-mathematicis

Digitized by Google

Societatis inclytae literariae in Bohemia florentis, cum eruditis communicauerat Propoſitionum quarundam praeclari Operis Newtoniani noua methodo illuſtratarum: quae, vbi primum vidiſſemus atque examinaſſemus paulo diligentius, Commentarii eiusmodi perpetui in omnes propoſitiones deſiderium illico iniecere; cui rei prae aliis parem eſſe Teſſanekium certiſſimo pignore h. e. ipſo facto cognoueramus. Quae res, quanquam optari magis, quam, propter operis et molem et difficultatem, niſi interpoſito longioris temporis interuallo, ſperari poſſe videbatur: tamen opinione citius deſiderium expleuit, ſpemque adeo noſtram, quam de tali opere conceperamus, omnino ſuperauit Vir doctus, edito nuper Principiorum Newtoni Libro Primo, cum ſuis et excerptis Clar. Vir. Th. le Seur et Fr. Iacquier Commentationibus. Nempe Commentarii doctiſſimorum, quos modo memorauimus, Virorum, bonae frugio et ipſi pleniſſimi, in enucleando Newtono fere ſic verſantur, vt ſenſus verborum et propoſitionum, vbi opus eſſet, explicent, Demonſtrationes ſubinde clariores reddant, vel aliter inſtituant, inſertis etiam ſuo loco aliis propoſitionibus, veluti lemmatibus, dicta et enunciata Newtoni corroborent, afferendis aliorum Virorum doctorum ſententiis et locis quamplurimis, verbo, ea omnia referant, quae quidem a doctis et fidis Interpretibus expectari poterant: de methodo autem, vnde Theorematum Newtonianorum demonſtrationes, ſiue problematum ſolutiones, pendent, nihil afferant. Quod cum animaduerteret Teſſanekius V. Cl. intelligeretque, hac potiſſimum re Lectorum optime acui ad inuentionem, et quaſi manu adduci poſſe ingenia; quia Syntheſis, quam adhibuit Newtonus, geometricam quidem illa pariat ἀσφάλειαν, ſciendi tamen cupiditatem non expleat. Huic deſiderio vt faceret ſatis, per integrum iam nunc Librum primum operam dedit, vt ſingulorum a Newtono propoſitorum Problematum ſolutionis, et Theorematum demonſtrationis, non ſolum

lum traderet rationem, ſed etiam viam, intento quaſi digito, monſtraret, atque ipſum inuentionis modum ſumma cum perſpicuitate exponeret. Et ſane, cum id potiſſimum ageret Vir doctus, vt Lectoribus, ea quam opus poſtulat ſublimioris Matheſeos intelligentia inſtructis, ſtudium, quod in hoc libro perlegendo ponerent, quam fieri poſſet iucundiſſimum et longe fructuoſiſſimum redderet, nihil potuiſſet ad hanc rem efficacius deligere, quam quod Problematum ſolutionibus modos ſoluendi, et Theorematum demonſtrationibus ipſarum fundamenta adiunxerit et patefecerit; quibus ſubſidiis adiuti Lectores, ſi ſolutionem ſiue demonſtrationem vniuerſam, vltro, ſi velint, poſſint eruere. Commentationes ipſae, (quae a verbis Newtonianis minore charactere, itemque voces ſingulae, Newtoniano textui, ſed admodum raro, veluti breues explicationes, interſperſae, etiam vnciculis, diſcernuntur, Analyſin interdum ſiſtunt geometricam, quae ad ſolutionem Newtonianam, ſiue etiam aliam, ab ea diuerſam, quae ſimul affertur, ducit, pleraeque tamen propoſitiones, per Analyſin recentiorem, ope Algebrae, pertractantur; qua haud dubie, tanquam optimo inuentionis ſubſidio, ipſe vſus eſt Newtonus, ad eruendas propoſitiones, quas, vti mos eſt Anglorum, ad ſyntheticam deinde normam, ſumma cum ἀκριβείᾳ et ſeueritate, exigeret. Sed, vt melius poſſint, quomodo ſe hic geſſerit Vir Cel. lectores ipſi iudicare, viſum eſt quarundam propoſitionum Newtoniaanrum hic ſubnectere Analyſin Teſſanekianam, et inuentionis modum; in quo tamen ſpectabimus potiſſimum breuitatem, deligendo eas propoſitiones tantummodo, quae paucis verbis potuere tractari, relictis commentationibus longioribus, in quibus tamen deprehendimus quaedam, notatu, ingenioque Viri ſubtilis digniſſima, quae deinde indicabimus, cum ipſa hic proferre chartae prohibeat anguſtia.

Sectio II. Propoſitis I. Theorema I. pag. 45.

53. *Areas, quas corpora in gyros acta radiis ad immobile centrum virium ductis deſcribunt, et in planis immobilibus conſiſtere, et eſſe temporibus proportionales.*

„Vis demonſtrationis:"

„Si vis centripeta agat in principiis partium aequalium temporis, ſemper impulſu vnico; areae aequalibus temporis partibus deſcriptae aequantur inter ſe"

Sequitur Demonſtratio Newtoniana:

quam excipiunt notae et Obſeruationes Cl. Teſſanekii.

„In demonſtratione hac concipit Newtonus vim centripetam, vbi corpus venit ad B, C, D, etc. agere impulſu vnico, ſed magno: vnico, vt motus compoſitus ſit aequabilis; magno, vt anguli C B c, D C d, etc. reddantur finiti, et via A B C D, finito tempore deſcripta non ſit rectilinea, ſed ex rectis finitis, finitos angulos comprehendentibus, compoſita; quae demum, ſumtis tempuſculis infinite paruis, et vi centripeta agente impulſu infinite paruo, fiat curuilinea. Solet nempe Newtonus primum quantitate finita conſiderare; dein tranſit ad caſum punctorum coeuntium, ſiue ad quantitates infinite paruas. Ceterum, poteſt loco impulſus illius magni concipi impulſus infinite paruus, et loco aequalium temporis partium finitarum aequales infiniteſimae; nec differt demonſtratio, et eius vis conſiſtet in eo, quod aequalibus tempuſculis infinite paruis deſcriptae areolae aequentur inter ſe."

„Praeterea ſupponit Newtonus, vim centripetam efficere, vt corpus de recta B c declinet, et pergat in recta B C. Tum vero poſitio rectae B C et rectae c C, quae parallela eſt rectae B S, vna cum poſitione et magnitudine rectae

B c,

B c, determinant magnitudines rectarum B C, C c. Poſſet ſupponi, actionem vis centripetae exprimi per B V; et tum determinaretur poſitio et magnitudo rectae B C. Alterum aequinalet alteri."

„Quaeri poteſt, quomodo B V deſcribatur motu aequabili, cum ſupra viderimus, ſpatium agente vi centripeta, ipſo motus initio deſcribi motu vniformiter accelerato. Facilis autem eſt reſponſio: nam ſumtis temporis particulis, quae ſint infiniteſimae altioris cuiusdam ordinis, motus erit aequabilis."

„Obſeruandum eſt hoc loco, nos in demonſtratione ſolum conſideraſſe, quod corpus ob actionem vis centripetae declinet a recta B c, non vero quantum declinet. Et inde conſequitur, augmentum vel decrementum vis centripetae non infrngere demonſtrationis vim. Vera ergo eſt propoſitio, quamcunque legem ſequatur vis centripeta, quin etiam ſi nullam. Et ideo, quamuis actio vis centripetae augeatur, vel minuatur per nouam vim centripetam, eadem, vel oppoſita directione agentem, adhuc tamen ratio arearum eadem erit quae temporum. Patet etiam, veritatem hanc obtinere, ſi mobile deſcribat curuam per vim proiectilem, et centrifugam. Connexitos enim traiectoriae obuerſa virium centrifugarum centro non mutat demonſtrationem."

Propoſitio IV. Theorema IV. pag. 52.

72. *Corporum, quae diuerſos circulos aequabili motu deſcribunt, vires centripetas ad centra eorundem circulorum tendere; et eſſe inter ſe vt ſunt arcuum ſimul deſcriptorum quadrata applicata ad circulorum radios.*

„Fundamentum demonſtrationis:"

Digitized by Google

„Pro parte prima: ſi ad centrum circuli ducantur radii vectores, ratio ſectorum eadem erit, quae arcuum, ſeu temporum. Aut: ſi arcuum duorum ſimul deſcriptorum infinite paruorum et adiacentium chordae compleantur in parallelogrammum, ſagitta tranſibit centrum virium; tranſit autem ſagitta haec (vtpote ſinus verſus) centrum circuli. Pro parte altera: ſi arcus A E, ab aequalibus tempuſculis infinite paruis deſcribantur, vires ſunt vt A C, a c; Eſt vero $AC = \frac{AE^2}{AG}$; et $ae = \frac{ab^2}{ag}$.“

Sequitur Demonſtratio Newtoniana.

Theoremata autem, quae Newtonus in Corollariis ad hanc propoſitionem propoſuit, ſymbolice expreſſit Teſſanekius V. Erud. poſitis, vi centripeta = V, velocitate = C, radio = R, et tempore periodico = T.

Propoſitio V. Problema I. pag. 57.

83. *Data quibuscunque in locis velocitate, qua corpus figuram datam viribus ad commune aliquod centrum tendentibus deſcribit, centrum illud inuenire.*

Sequitur Solutio Newtoniana,

quam excipit

„Inuentio ſolutionis“

„Dentur velocitates in locis tribus, per quae ducantur tangentes; dabiturque ratio perpendiculorum a centro virium in tangentes demiſſorum, quae ratio eſt reciproca velocitatum. Determinanda ergo eſt poſitio puncti, a quo ad datas tres rectas demiſſa perpendicula habeant rationem datam. Quaeratur ergo locus punctorum, a quibus ad datas poſitione duas rectas, e. g. primam, et ſecundam, demiſſa per-

Digitized by Google

perpendicula ſint in ratione data a: b; ac etiam locus punctorum, a quibus ad alias duas, e. g. ſecundam et tertiam, ducta perpendicula ſint in data ratione b: c. Interſectio horum locorum erit punctum quaeſitum. Et in hoc conſiſtit modus ſoluendi hoc problema."

Patet autem — Sed vberiorem expoſitionem hoc loco omittendam duximus, quia ad peculiarem ſchematismum reſtringitur, qui in aliis Principiorum Editionibus non apparet.

Sectio III. Propoſitio XI. Problema VI. p. 72.

102. Reuoluatur corpus in Ellipſi: requiritur lex vis centripetae tendentis ad vmbilicum Ellipſeos.

„Fundamentum ſolutionis."

„Figura ſuppeditat has proportiones:

$$P x \text{ ſeu } QR : PV = PE \text{ ſeu } AC : PC;$$

$$PV.\ VG \text{ ſeu } 2\,CP.\,PV : QV^2 = CP^2 : CD^2$$

$$QX^2 \text{ ſeu } QV^2 : QF^2 (= PE^2 \text{ ſeu } AC^2 : PF^2 = CD^2 : CE^2)$$

$$= CD^2 : \frac{L, AC}{2} \text{ vbi}$$

L latus rectum principale denotat. Coniungantur hae tres proportiones:

Newtonus componit has quatuor:

$$L + QR : L + PV = AC : PC;$$

$$L + PV : PV + VG = L : GV;$$

$$PV + GV : Qv^2 = PC^2 : CD^2;$$

$$QV^2 : QT^2 = CD^2 : CB^2 \text{"}$$

Se-

Sequitur Solutio Newtoniana,

quam excipit haec Nota:

„Cur Newtonus primae rationis terminos in proportione prima multiplicet per L, et cur adhibeat proportionem ſecundam, ratio eſt, quia terminos primarum rationum eo reductos voluit, vt conſequens primae rationis in vna proportione antecedens fieret primae rationis in ſequenti proportione; quod dum fit, termini primae rationis proportionis ex omnibus compoſitae fiunt antecedens primae rationis in proportione prima, et conſequens primae rationis in vltima. Poteſt quidem in primis duabus proportionibus loco L poni alia quantitas, e. g. A c vel S P, vel 1 etc. At ſeruato L obtinetur proportio L. QR : $QT^2 = 2$ P C : G v; vnde confeſtim patet, eſſe L. QR $= QT^2$. Ceterum, non adhibito L, et adhibitis tribus tantum proportionibus, omiſſa ſecunda, pari facilitate ſoluitur Problema."

Sed abſtinemus, quanquam inuiti, plura hic transſcribere, quum ea, quae hic excerpſimus, ſatis luculenter viam, quam ingreſſus eſt Vir Cel. et quomodo in ea perrexerit, demonſtrent. Plura qui cognoſcere cupit, atque his etiam maiora, quibus tractandis ingenium prodidit acutum, et ſubtilitatem adhibuit Geometra, Newtoni praeſertim Commentatore dignam, adeat ipſum librum, praeſertim loca haec: Not. pag. 87. num. 133; pag. 92. not. infer. pag. 94. Not. pag. 140; pag. 142, 145, 149; pag. 151. ad Corollarium ſecundum. Not. pag. 156; Not. ſuper. pag. 69; Not. pag. 71; 170; 174; 175; 176; 180; 183; ad Corollarium tertium, Not. pag. 185; 215; 217; ad Propoſ. 50mam, Not. pag. 237; 268; 282; 290; 299; 111; 19; 20; 25; 57; et nobiſcum confitebitur, non facile reperiri poſſe aut excogitari rationem, qua melius poſſit ingenium ad geometricam ἀκρίβειαν informari, quam preſſe ſe-

Digitized by Google

ſequendo, vt hic factum eſt a Viro Cel. magni Geometrae veſtigia, eaque quae ſint, et quomodo et quousque pedem protulerit, in clariſſima luce, praelata quaſi face, conſtituendo. Potuit autem hic modus in primo Principiorum libro inprimis adhiberi, quippe qui de motu corporum agat in ſe ſpectato, vbi corpora ponuntur moueri per liberum ſpatium, quo fit, vt propoſitiones, quae eum conficiunt, a rigore geometrico ne tantillum quidem abhorreant, atque adeo methodi perfectiſſimae exempla praebeant. Aliter ſe iam habet paulo res in libro ſecundo, vbi reſiſtentiae mediorum, in quibus corpora mouentur, ſimul habenda ratio eſt, quae absque obſeruationibus et experimentis expediri non poteſt; longius etiam in libro tertio receſſum eſt, in quo mathematica principia, prioribus duobus libris expoſita, mundi ſyſtemati applicuit Newtonus, ita tamen, vt eum non poſſit legere niſi Mathematicus bene exercitatus, et qui praecedentia expenderit.

Commentario praemiſit Teſſanekius V. C. Newtoni praefationes tres; omiſit Edm. Halleii verſus in Principiorum libros, itemque Coteſii, qui ſecundam editionem curauerat, praefationem; quod miramur factum, quum plurima contineat ſcitu digna, de modo, qui diuerſis temporibus in phyſicis diſciplinis tractandis obtinuit, quaeque Newtonianam philoſophandi methodum, caeteris longe anteferendam, in bene explicet, inprimis autem de grauitate vniuerſali clariſſime exponat. Commentationes has in Librum primum ISAACI NEWTONI, *ſummi inter magnos Philoſophi*, MARIAE THERESIAE, *Auguſtiſſimae Romanorum Imperatrici* dedicauerat Vir doctus, in eoque legem homogeneorum optime ſeruauit.

Reliquos Principiorum libros, ſecundum atque tertium, ſperamus atque confidimus eadem diligentia expoſitos,

 co-

eodemque habitu veſtitos, ſuo tempore prodituros, quamquam de his nihil proditum eſt in Libri praefatione.

Vnum eſt quod rogamus vehementer Virum Cel. atque adeo flagitamus, vt, quia in his, qui ſequuntur, libris, praeſertim vltimo, tam ſeuera methodus in ſoluendis et demonſtrandis propoſitionibus obſeruari nequit, atque adeo Commentationes ipſas hac parte breuiores fierit, atque pauciores neceſſe eſt, vt, inquam, ſuis quibusque locis, paucis verbis commemorare, ſaltim breuiter indicare velit, quid et quantum additum ſit a poſteris Newtonianae de phyſica caeleſti doctrinae, quomodo ea et a quibus aucta ſit, quid etiamnum maxime ſpectetur; cui rei feliciter perſequendae amplam ſatis praebent materiam Acta et Diaria Londinenſia, Pariſienſia, Petropolitana, Berolinenſia, Scripta denique doctorum Virorum ſeparatim etiam edita, Ioannis et Danielis Bernoulliorum, Bradleji, Mac Laurini, Claeralti, Euleri, Alemberti, la Grangii, et, qui nullo modo hic praetereundus eſt, Paulli Friſii, in egregio de grauitate vniuerſali corporum libro, in quo non ſolum Virorum doctorum in hac re inuenta ante et poſt Newtonum, ad ſua vsque tempora, (Liber prodiit Mediolani MDCCLXVIII.) ſumma cum diligentia collegit, ſed etiam omnia, veluti alter Newtonus, apte diſpoſuit et expoſuit, eo potiſſimum conſilio, vt Newtoni opus ſuppleret, quod intelligeret habere quaedam, (verba ſunt ipſius Friſii,) quae corrigi, plura quae addi, et plura etiam quae alia ratione ac methodo tradi poſtulent. Sed ne quis tamen, in tanta praeſertim rerum copia, aliter haec interpretetur atque volumus intelligi, *breuiter* haec omnia ſuo quaeque loco ſunt tantum, vti diximus, *indicanda,* Lectoresque ipſi ad fontes ab legandi. Quod ſi fecerit Vir Cel. Virorum doctorum non ſolum grates demerebitur, ſed etiam ipſius Newtoni deſiderio faciet ſatis, qui in fine praefationis primae enixe rogat, *vt omnia candide legan-*

gantur, nouis omnia conatibus inueſtigentur et benigne ſuppleantur; quod factum eſſe poſtea, vberiorem formae Telluris, aeſtus maris, et variationum in motibus Planetarum indagationem inſtituendo, omnes ſciunt; praeſertim tamen per magis accuratam Lunae et Cometarum theoriam, quam ſatis adhuc imperfectam a ſe traditam fuiſſe, Newtonus ipſe pronunciauit.

PETRI LAMBECII, HAMBVRGENSIS, Commentariorum de auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi Liber Tertius. Editio altera, ſtudio et opera ADAMI FRANCISCI KOLLARII, equitis Hungari de Kereſztény, Conſiliarii Actualis Aulici, Aug. Bibliothecae Directoris, et Academiae Scientiarum elegantiorumque literarum Theodoro-Palatinae Socii Extraordinarii.

Vindobonae, typis et ſumtibus Ioan. Thomae Nob. de Trattnern, Aug. Aulae typographi, et Bibliopolae Vindobonenſis. Anno a partu Virginis 1776. Alph. 1. pl. 18. in fol. mai. c. tabb. aeneis permultis.

Qui in tertio hoc libro, maiori cum cura et ordine ſcribi coeperunt Lambeciani Commentarii, nouis curis Ill. *Kollarii* ita nunc prodeunt, vt maiori legentium commodo inſeruire poſſint. Nam lectorum commodo ſane intereſt, ea, quae hic traduntur, primum rectius digeſta ac deſcripta, deinde etiam magis aucta et caſtigata, tractare. Ac his fere partibus et numeris abſoluitur ac cernitur omnis conatus et la-

Digitized by Google

labor, qui ab Viro Ill. in ornandis et refingendis his libris eſt adhuc adhibitus, et inpoſterum adhibebitur. Igitur non modo Additamenta, et absque opportuna occaſione et extra ordinem ſcripta, ſtudioſe collegit, et ſuis locis inſeruit; ſed plurima quoque Commentariorum loca, quae vel luxata, vel etiam mutila ac manca ſunt viſa, integritati ſuae reſtituit, et adnotationibus ſuppleuit, quae quidem in ima quaque pagina, transuerſa linea ab opere ipſo ſeiunctae conſpiciuntur. Quemadmodum autem muneri ſuo, in his agendis, ſe ſatisfeciſſe confidit, ita etiam ſperat, denuo inuitatos quaſi et allectos plurimos exſtituros eſſe, qui paratis copiis, ad Claſſem theologicam pertinentibus, vti velint. Miratur autem, hoc non iam dudum factum eſſe, ex quo primum Lambecii opus euulgatum ſit, centum amplius annis elapſis. Innumera in his theſauris ineſſe typis edi digna, quorum tamen vix aliquot a Viris ex veteri inſtituto Theologiae vacantibus in lucem prolata ſint. Cauſas refert alias ad difficultatem adeundi eos, in quorum poteſtate fuerit *has copias* cum aliis communicare: alias ad indolem vniuerſitatum ſcientiarum, qui *quatuor Facultatum* nomen gerant, quae quidem ab elegantioribus Graecarum Latinarumque litterarum ſtudiis ſemper ipſi viſae fuerint refugiſſe. Sed tempus illud praeteriiſſe, mutatamque nunc eſſe rationem. Copiam, quam exteri et domeſtici quaerant ſibi dari librorum inſpiciendorum ac tractandorum, facillime et quotidie fieri: cathedras, quae tradendis doctrinis ac Theologiae inprimis docendae inſeruiant, ab contentioſa et rixoſa ratione perpurgatas eſſe. Non iam defuturos aemulos ſanae cultaeque eruditionis theologicae, ſi modo etiam debitus Philologiae Latinae, Graecae, et Hebraicae, honos habeatur; quod viris quibusque doctiſſimis certum atque exploratum ſit, nobiliſſimas quasque ſcientias, extra Philologiae conſortium, mancas, tetricas, incultas, quin etiam ruſticas ſemper eſſe futuras; id ſe aliquoties, vel maxima cum inuidia

ſua,

Digitized by Google

ſua, affirmaſſe et cenſuiſſe. Cuius quidem ſententiae nordum etiam ipſum poenitere, quamquam variis artibus ac modis grauiſſime oppugnata ſit atque etiam victa; mitius tamen iudicium poſteritatis ſperandum eſſe. Nunc etiam mentionem facit renaſcentium literarum coeli, ſub quo Corderii, Poſſini, Combefiſiique, pulchre adoleſcant, qui, vbi ad maturam aetatem peruenerint, praeclara ſint effecturi, (p. 160.) Atque illam quoque ſententiam ſperat calculo ſuo comprobaturos eſſe multos excolendae linguae patriae cauſa iuuentuti popularium ſuorum Graeca Latinaque exemplaria inprimis eſſe voluenda, cum his mentis facultates excitentur et alantur; cum iis ad cogitandum, inueniendum, disponendum acuamur; cum denique ad linguam calamumque regendum iis magiſtris vtamur. Additamenta igitur, quamquam ſuis locis diligenter inſerta ſunt, tamen adhuc remanſerunt ad calcem huius Voluminis, ſub additamentorum titulo numero ſex, quae propter prolixam verboſitatem, vel ob alias cauſas, non ſunt illata ipſi reliquo narrationis corpori. Demtae tamen picturae ſunt, quas cum ceteris huius libri tertii tabulis coniunctim, ad ipſam Codicum recenſionem, reiecit. Nam etſi Reimannus in *Bibliotheca Acroamatica*, vbi et numerum omnium tabularum aeri inciſarum, quae hoc in opere et ſingulis eius partibus continentur, refert, iudicauerat, eas picturas eſſe parum ſcitas et aptas; monachorum ſaltem ſeculi tertii, quorſum pertinent, imperitiam demonſtrare: tamen ab iſta monachis maledicendi licentia et dicacitate alienus Ill. Kollarius, eas iterum vulgauit, et quidem monachi cuiusdam, Montefalconii, auctoritate motus, qui Palaeograph. p. 190. has tabulas *doctiſſimis ſuis laudibus* (haec Latinitas non placet, aptius erat, *ampliſſimis, non obſcuris*) ornauiſſe, et Lambecii ſententiae, de iis ſpectandis et aeſtimandis, ſubſcripſiſſe fertur. In notis quaedam inſunt, quae ad Lambecii famam non admodum commendandam, et quodammodo labefactandam trahi poſſint.

ſint. Tale illud, quod p. 46. ſcribitur: folio 105. praeſentis codicis p. 2. vbi hi Pſalmi incipiunt, (ſermo eſt de Cod. VII. in quo deſcribendo Lambecius dixerat, meminiſſe horum ſuppoſitiorum Pſalmorum Salomonis Ioannem Zonaram, in Commentario ad Concilii Laodiceni Canonem quinquageſimum nonum); Cl. Tengnagelius, Auguſtae Bibliothecae olim praefectus, cuius κτῆμα hic codex erat, in margine manu ſua adnotauerat: Pſalmorum horum Salomonis mentionem fecit Zonaras in ſcholiis ſuis ad Concilium Laodicenſe. Quam παρακαταθήκην, ſi auctori ſuo in acceptis retuliſſet Lambecius, ſolidiorem profecto conmeritus fuiſſet laudem.

(quis vero *ſolidam* laudem dicat?)

Sed centenas optimae frugis Tengnagelii perſimiles adnotatiunculas, quas vir ille longe doctiſſimus, et pro Bibliothecae praefectura natus factusque, tam ſuis, quam Caeſarianis Codicibus adiicere in more habuit, eadem inuerecundia ſublegit, proque ſuis edidit; quod teſtimonium clariſſimae Tengnagelii doctrinae, imo veritatis ipſius gratia, vel inuitus adnotare ſum coactus, cum non ea, dei munere, praeditus ſim ingenii prauitate, vt in republ. literarum, oppreſſa Lambecii fama, velim inclareſcere, cet. Quo pertinet quod p. 66. ait: Ea epigraphe diligentius exſcripta eſt haec: ψαλτῆρος ἐξήγησις ἀκριβεστάτη, cet. et mox: Nihilo praeterea diligentior eſt idem Lambecius, cum praefationem d. Baſilii in Pſalmos hic haberi ait; excerptum enim ſolummodo, idque perexiguum, hicce habetur laudatae praefationis cet. Tale eſt, quod p. 71. adnotatur ad recenſionem Lambecianam Codicis XVII. Ioh. Sambucus, huiuſce codicis vetus poſſeſſor; ſumma in margine folii primi manu ſua adnotauerat: Theodoreti nomine ſunt Romae excuſa latine per Caraſam Antonium; quo indicio hic vtitur Lambecius, nulla viri eruditi mentione facta, oblitus, vt videtur, illius Pli-

Pliniani, ingenui pudoris rem eſſe, fateri, per quos profeceris. At ſcite ſaltem eo monito fuiſſet vſus, adnotaſſetque, ea, quae hoc codice continentur, aut Theodoreti non eſſe, aut vero eius ſub nomine ſemel atque iterum eſſe vulgata, cet. Et ibidem mox: Quod de inepti recentisque Graeculi imperitia queritur noſter, nos illi ampliſſimam eius veniam facimus, nequaquam vero impoſturae, quod principium et finem Commentariorum Theodoreti in Pſalmos, compendium laboris vt faceret, non integre exſcripſerit, et loca quaedam ſolum ex iis quae hic deſiderantur Pſalmorum commentariis, Graeca fide conſarcinarit. Nam quod ad vetuſtas codicum manuſcriptorum epigraphas attinet, eae perinde ac numi veteres ſubleſtae perſaepe ſunt fidei. In duobus Codd. Graecis Mſſ. Anglicanis Commentaria haec, adnotante ad Theodoreti ſcripta Caueo, Euthymio Zigabeno ἐπισκόπῳ Κύρου attribuuntur, at doctiſſimo tamen Vſſerio, Biblioth. Theol. Mſſ. p. 531. haud quaquam impoſuit mendax epigraphe, monuitque vir doctus, id factum eſſe minus recte: idem prorſus decuiſſet noſtrum pronunciare, (at nulla neceſſitas erat iisdem ſe legibus dicendi adſtringere,) de perſonato imperiti Graeculi Aquila et Symmacho, cet. Quo etiam illud ſpectat, quod p. 106. legitur: Et hic loci haeſitaqua Lambecio; ſubſcriptio enim haec plura continet, noſcendo melius codici noſtro (eſt Cod. XXVI.), neceſſaria; en exſcriptam integre, cet. Et p. 201. haec habentur: Haec (nimirum S. Methodii Opera Graece et Latine edita eſſe ab Combefiſio Pariſ. 1644.) et plura alia ad praeſentem rem pertinentia, nullus dubito quin Lambecio fuerint notiſſima, quae tamen is omnia, animo ſuo, quo in Combefiſium erat implacabili, obſequens, inuidioſe reticuit. — Diſertius haec eloquitur p. 324. vbi ait: Codinum a Lambecio illuſtratum, ſale critico, nec fortaſſe immerito, perfricuerat Combefiſius; hinc illae lachrymae! hinc motus Lambecio ſtomachus, vt numquam ſine bile Combefiſii

poſ-

Digitized by Google

poſſet meminiſſe. Et addit: Quid vero de me fieret, boni ſuperi, ſi viueret ille noſter, ſi nobiſcum aura frueretur aetherea, quod Commentaria haec ſua diuinum et immortale opus, (ſcripſerat nempe Lambecius in praefatione huic Libro tertio praefixa: deſcriptionem hanc Auguſtiſſimae Bibliothecae, quam poſteritatis potiſſimum gratia litteris mandet, olim inter praecipua Imperii Romani decora futuram, nempe tanquam monumentum aere perennius, regalique ſitu Pyramidum altius, quod non imber edax non Aquilo impotens poſſit diruere, aut innumerabilis annorum ſeries et fuga temporum,) attrectare ſum auſus, ſed profecto emendaret ipſemet, ſi ſaperet, monitus, ſin vero minus, et defendere delictum, quam vertere mallet. Quintilium imitatus, nullum vltra verbum curamque inſumerem inanem, quin ſine riuali ſeque et ſua ſolus amaret. Haec propemodum, et his ſimilia multa, ad vanitatem, ſuperbiam, inuidiamque Lambecio exprobrandam valent. In aliis adnotationibus de libris cum editis, tum ineditis, deque eius rei modo et ſucceſſu traditur: v. c. p. 147. ad Codicem XXXIV. Byzantinae hiſtoriae, ait, ſupplementa, a Lambecio promiſſa, colligere et iuris publici facere meditabatur, cui anno 1749. vita functo in Cuſtodis munere ſucceſſi, Cl. Spanagelius. Verum enimuero, vir caetera doctiſſimus opus illud quidem inconſultis omnino adgreſſus erat humanam cum Graecarum in eo literarum peritia eſſet permodica, aliorum doctrina manuque vti coactus, opus ne bene quidem inceptum reliquit. In vertendis quibusdam latine opuſculis, vſus fuerat opera Clar. ac doctiſſ. viri, Eraſmi Froelichii, e Societate Ieſu Presbyteri, quae perinde atque alia pro Supplementis Byzantinis a Spanagelio ſelecta, duobus Voluminibus incluſi, illius conatus poſteris ſpecimen praebitura. — De eodem opere memorat p. 328. ad Cod. LXV. Primo Spanagelii Supplementorum Volumine a fol.

180.

150. Antonii Monachi Studitae Orationis Apographum exſtat, et cum verſione quidem interlineari. Eadem verſio ibidem altero exemplo habetur fol. 191. nimirum vt certius eſſet, eum conatum omnem tyronis, cum τύπτω, τύπτομαι luctantis, fuiſſe. — Manus, qua verſio haec ſcripta eſt, Spanagelium, neque eruditiſſimum Froelichium, auctorem eius agnoſcit. Haec, vt arbitramur, multis ignota fuerunt, antequam hoc inexſpectato indicio proderentur. In ceteris, de aetate Codicum dubia, deque incertis antiquitatis agnoſcendae ſignis; de genuinis et ſpuriis Patrum Eccleſiae libris; de ambiguis denique et mediis, ita diſputatur, vt collectis Virorum doctorum, Grabii, Cauei, Montefalconii, Fabricii, Oudini, Aſſemani, aliorumque ſententiis rationibusque ſubductis, partim ipſe decernat, partim alios pro arbitrio decernere permittat. Ita quidem ad Cod. LVII. p. 213. ſcribit: Non eſſet a propoſito meo fortaſſe alienum, ſolidis rationibus comprobare, quaenam Sanctorum Patrum Opera, codicibus noſtris contenta, genuina ſpuriaue eſſe exiſtimem; verum cum id, propter perpetuum doctiſſimorum vtriusque partis virorum diſſenſum, breuibus recte fieri nequeat, et pluribus agere adnotationum modus non admittat, idcirco monendum ſolum benev. lectorem eſſe duxi, ne ſilentium ea de re meum ita interpretetur, quaſi omnia, quae tam in hoc, quam etiam aliis codicibus noſtris, ſub d. Athanaſii nomine feruntur opuſcula, pro ſinceris et genuinis eius Sancti operibus habuerim. — Aſtute! ne fortaſſe inter ſuos ſibi odium pararet. Quae ad Cod. XXXVIII. adnotantur, attentionem merentur. Commentarii in Marcum, qui a Poſſino editi, vulgo Victorem Antiochenum auctorem habere feruntur, vtrum ſint eius, an vero nec ad hunc, nec ad alium vnum auctorem pertineant, quaeritur. De commentariis in reliquos Euangeliſtas clarum eſt, eos alius hominis eſſe. Obſeruatur etiam inter Codices Vindobonenſes ipſos, reperiuntur enim in aliquot codicibus et

Digitized by Google

Pariſinos diſcrepantia. Ipſe cum Richardo Simonio cenſet, eos Commentarios non aliud eſſe quam Catenam, ex diuerſorum Patrum ſententiis conflatam et contextam. Spem facit editionis iſtorum Commentariorum nanciſcendae: necdum tamen aliquid inoſſe videtur de Commentariis in Marcum, quos ſub nomine Victoris Antiocheni e Codice Mosquenſi ante aliquot annos Matthaei V. Cl. edidit.

In Cod. LXXIII. inſunt Ioh. Chryſoſtomi epiſtolae ad Olympiadem, Diaconiſſam. Earum in fine ſubſcriptum eſt: τέλος εἴληφε τῆς τρισολέκτου βίβλου. Sic prorſus legi affirmat in Codice: Lambecius ediderat τρισοδέκτου. Montefalconius Palaeogr. Gr. p. 60. vtitur hac ſubſcriptione, latine quoque expreſſa, at vitium animaduertiſſe in τρισοδέκτου, aſteriſco poſito ſignificauit. Ill. K. putat legendum εὐπροσδέκτου, ſed quia hoc nimis recedit ab vulgato, nobis videbatur leuior mutatio in τρισευδέκτου. Porro verba τοῦ ἐξ Ἀθηνῶν ἐν Κρήτῃ γεγονότος, quae Montefalc. verterat: *Qui Athenis in Cretam migrauit*, ipſe vertit: *Athenis oriundi, in Creta vero nati.* Quae nobis obſcura ſunt: et, ſi quam ſententiam habere debeant, aſſequamur, tamen ita dici vix putamus. Verbum γίνεσθαι Montef. cuius verſio magis placet, accepit pro *abire, accedere*, quam notionem conſuetudine loquendi, et obſeruationibus doctorum, comprobari ſcimus.

OPVSCVLA SOCIETATIS CVI TESSERA, TENdimus ad Idem.

Traiecti ad Rhenum. Apud Abr. a Paddenburg, Academiae Typographum. An. 1778. plagg. 22. 8.

Ad varia Scripturarum loca illuſtranda pertinent quatuor et viginti, quot hoc Volumen continet, diſſertationes,

nes, quae in Academia Rheno-Traiectina in conuentibus Societatis eruditorum quorundam, qui in explicandis libris diuinis exercentur, noſtrae, quae nomine Philobiblicae hac in vrbe floret, non abſimilis, ad intelligendi et iudicandi facultatem acuendam, ex quo tempore iſta Societas coaluit, praelectae fuerunt. Priores paginae de origine, mutatione, inſtitutis et legibus Societatis narrationem exhibent; huic ſubiiciuntur nomina iuuenum, et in hoc collegio ſodalium, et diſſertatiuncularum auctorum; ſequuntur argumenta ipſarum commentationum, additis auctorum nominibus. ſed incertorum etiam, quorum nomen latebat, quaedam opuſcula ſunt inſerta. Prima disquiſitio pertinet ad locos Noui Teſtamenti duos, quorum prior apud Matthaeum Cap. 3, 9. alter apud eundem Cap. 23, 9. legitur. Quod ad priorem attinet, disquiſitionis huius auctor hoc ſibi agendum eſſe exiſtimauit, vt 1) in explicanda voce *lapides* laboraret; 2) ad totius inde loci, quo Iohannes contendit, *poſſe deum Abrahamo ex lapidibus liberos excitare*, ſententiam explanandam veniret. Sententiis igitur nonnullorum Interpretum partim laudatis, partim excuſſis examinatisque, ſuam proponit, quae in eo cernitur, vt putet 1) lapides proprie capi debere, adeoque intelligendos eſſe lapides, quos auditores Iohannis ad Iordanem diſperſes cernebant; quod ei ex addito Pronomine τουτων apparere videtur. 2) Filios Abrahami capiendos eſſe ex opinione Phariſaeorum, non de iis qui erant natione Iudaei, adeoque filii, ſiue potius poſteri Abrahami, ſed qui e barbaris ad ſacra Iudaeorum transierant, h. e. de proſelytis. Quibus quum ſe longe potiores, deoque cariores eſſe Phariſaei opinarentur, atque in nomine Abrahami, ad quem genus ſe referre gloriabantur, ſcelerum admiſſorum patrocinia quaererent, eaque in gratiam patris ſui impunita ſibi ceſſura ſperarent, Iohannes, huius opinionis ſpeique vanitate demonſtrata, addit, poſſe deum, ipſis deletis atque e medio ſublatis, ex lapidibus iſtis,

Digitized by Google

ad ripam Iordanis ſitis, modo, a vulgari, quo Phariſaei, quemadmodum Chriſtus Matth. 22, 5. iis exprobrat, vterentur, abhorrente, vi ſcilicet potentiae, qua polleret, Abrahamo exiſtere iubere liberos, eosque omnibus iis commodis ornare, quae ad ſe ſolos pertinere exiſtimarent. Huius autem interpretationis veritatem cum ex verbis a Iohanne praemiſſis, λέγω γὰρ ὑμῖν, quae ſatis demonſtrent, hic de filiis per miraculum Abrahamo procreandis cogitari debere, tum e natura dei cognoſci poſſe, quem conſtet creaturis vitae integritate ſcelerumque immunitate excellentibus, quales iſti ex lapidibus procreandi homines ſine dubio forent, inprimis benignum ſe atque talem praeſtare, qualem ſe praebuerit Abrahamo recens nato. Hac ſententia propoſita, reſpondet ad duas obiectiones, quas ſibi poſſe exiſtimat opponi. Nam ſiue quis dicat, iſtam lapideam progeniem plane eſſe nouam, nec vllam cum Abrahami ſtirpe coniunctionem habere, ideoque alienam eſſe ab ſocietate bonorum Abrahamo promiſſorum; ſiue obiiciat, eam carere Adamitici lapſus contagio, quod *filiorum Abrahami* nomen admittat; neutram obiectionem valere poſſe, quia iisdem telis quoque petatur altera, de proſelytis, ſententia, de quibus ea douiſſe conſtet Phariſaeos, quae efficiant, et hos plane nouas fuiſſe creaturas, et ad Abrahamum patrem non pertinentes. Caeterum, ex faſtuoſo illo ſermone, quo Phariſaei Abrahamum patrem ſuum gloriabantur, occaſionem videtur Auctori ſumſiſſe Seruator, monendi diſcipulos Matth. 23, 9. ne quem vocarent *patrem ſuum in terra.* Nam cum is errores Phariſaeorum pleroſque, et praecipuos, illo loco perſtringat, veriſimile eſſe, eum hunc errorem, qui illius ſuperbiae atque peruerſitatis iſtorum hominum fons eſſet, non intactum relicturum fuiſſe. Neque enim, ex Cl. auctoris ſententia, hic debet intelligi conſuetudo, qua diſcipuli inter Iudaeos vtebantur, vt magiſtros appellarent *patres;* cuius honoris Phariſaeos inprimis cupidos fuiſſe accepimus: multo

Digitized by Google

multo minus peti exiſtimat a Chriſto eos, vt quidam volunt, Antichriſtum, qui ſe *Reuerendiſſimum Patrem* compellari ſinat; huic enim ſententiae aduerſari totius capitis contexta, vbi Chriſtus diſcipulos moneat, vt a fermento Phariſaeorum, ad quod Antichriſtus referri non poſſit, ſibi caueant.

Altera disquiſitio ab eodem Auctore *(Ioh. Iac. Boſch Emans)* profecta, verſatur in explicandis duobus V. T. locis, quorum prior Geneſ. 37, 26. habetur, alter Deut. 34, 6. In priori loco Iudae verba כִּסִּינוּ אֶת־דָּמוֹ docet, male verti ab Interpretibus, *et cum celauerimus ſanguinem ipſius:* huic enim verſioni repugnare et naturam rei, de qua ſermo ſit, et ſtructuram verborum Hebraicorum. Iudam enim primo vti Futuro נַהֲרֹג, deinde Praeterito וְכִסִּינוּ, ו autem כִּסִּינוּ praemiſſum, hic non eam vim habere quae vulgo huic particulae tribuatur, vt Praeteritum in Futurum mutet, ſed potius valere *ita vt*, et verbo cui iungatur contineri rem, quae neceſſario ſequatur rem quae verbo per Futurum expreſſo indicetur. In quo comprobando quatuor locis vtitur. Id vero hic locum habere negat. Etenim hoc: abſcondere caedem, non eſſe neceſſarium conſequens alterius: occidere fratrem. Quare aliam horum verborum interpretationem circumſpiciendam eſſe putat. Nimirum contendit כסה h. l. accipi debere ita, vt valeat *induere*, quam ait eſſe primam et propriam huius verbi notionem, et ſic occurrere Pſ. 104, 6. induere autem ſanguinem alicuius eſſe nihil aliud, quam polluere ſe eius caede. In altero loco Deut. 34, 6. interpretibus magna difficultas orta eſt inde, quod verbis וַיִּקְבֹּר אֹתוֹ non addatur perſona, quae fecerit, quod verbo קָבַר indicetur; quare hanc difficultatem nonnulli tollere conati ſunt eo, vt dicerent, יִקְבֹּר imperſonaliter intelligi debere; alii ſatius eſſe duxerunt ad Iouam referre: quam ſententiam Auctor amplexus eſt. Nobis haec ſententia etiam probatur, ita tamen, vt

verbum Hebraicum קָבַר et Latinorum *ſepelire*, non eſſe humare, et vernaculum *begraben*, quemadmodum Auctorem credidiſſe apparet ex his, quae aduerſus *Franc. Sterkium* diſputat, ſed valere exiſtimemus *e conſpectu hominum tollere.* Vertimus igitur locum ſic: deus eum e conſpectu hominum ſuſtulit, ita vt ratio, qua hoc factum ſit, ne in vllius quidem hominis notitiam peruenerit.

Quae p. 31. incipit tertia diatriba, Auctorem habet *Ioh. de Leeuw* et comprehendit obſeruationem ſuper ו, vt dicunt Paragogico. Etenim, contra Schultenſium, quem tradere conſtat, hoc ו, ſiue Cholem, ſiue Kametz comitem habeat adiunctum, eſſe nihil aliud, quam adfixum, et adſpergi Singulari aut Plurali nominum per Pleonasmum, mouet aliquot dubitationes: 1) quod ſoli חַיַּת in verbis חַיְתוֹ־אֶרֶץ apud Moſen Gen. 1, 24. legatur additum, non item nominibus בְּהֵמָה, נֶפֶשׁ et רֶמֶשׂ quae eodem loco praecedant. Deinde 2) ſtatim Cap. laudati v. 25. it. v. 30. reperiri ſcriptum absque ו Paragogico חַיַּת הָאָרֶץ. Tandem 3) ſi cum Schultenſio pro adſixo proprie ſit agnoſcendum loco laud. neque ad חַיַּת, neque ad אֶרֶץ poſſe pertinere, quae requirerent ſuffixum femininum, neque in praecedentibus reperiri ad quod referri queat. Quibus adductus, ad emendationem confugiendum eſſe ſtatuit. Etenim ſuſpicatur ו in חַיְתוֹ ortum e litera ה, ad ſequens אֶרֶץ pertinente, in Codd. MSS. iniuria temporis ita deprauata, vt tandem figura ד aut ר apparuerit, quae deinde a librario, vel incuria, vel nimia religione, ne aliquid adderet, pro ו eſſet agnita. Nec ſolum hunc locum חַיְתוֹ אֶרֶץ vitioſe ſcriptum eſſe cenſet pro חַיַּת הָאָרֶץ, ſed idem et aliis locis accidiſſe, v. c. Pſ. 79, 2. (male legitur Pſ. 97, 2.) item Pſ. 104, 11. חַיַּת הַשָּׂדֶי pro חַיְתוֹ שָׂדָי et verſiculo 20. חַיַּת הַיָּעַר pro חַיְתוֹ יָעַר legendum eſſe. Nec in מַעְיְנוֹ Pſ. 114, 8. Cl. auctor cum Altingio vult ו Paragog. quod

quod tamen alias locum habere non plane negat, v. c. in בְּנוֹ כְּמִיר et יְחִדִיר, admittere, ſed ibi potius legendum coniicit מַעְיְנֵי, quae emendatio forte petita eſt ab Interpretibus Alexandrinis, qui habent εἰς πηγὰς ὑδάτων.

Quae hanc excipit, diatribe, eiusdem Auctoris eſt, et ſpectat ad Pſ. 108, 2. et ad Pauli locum Galat. 4, 25. Quod ad priorem locum attinet, in verbis אַף־כְּבוֹדִי prius אַף quod pro eo loco parallelo, vnde prior particula huius Pſalmi ſumta ſit, Pſ. 57, 9. legatur עוּרָה, vult cognoſci debere pro Imperatiuo verbi בָּאַף, quod apud Arabes notare *diligentem eſſe*, docet ex Golio, ita vt Dauides quemadmodum Pſ. 57, 9. ſuum עוּרָה τῷ כְּבוֹד, ita h. l. compellet verbo magis emphatico אַף, h. e. eis diligens ſummo ſtudio, et voluptate; ſub כְּבוֹד autem, niſi intelligatur inſtrumenti genus quoddam, accipit de animo, vt aliis locis occurat. In altero loco, verba τὸ γὰρ Ἄγαρ a ſequentibus diuellenda eſſe, et explicanda, *quod ad Agar attinet:* quemadmodum Rom. 9, 5. τὸ κατὰ σάρκα. Reliqua vertit: *Sina mons eſt in Arabia*, *pari aſt ambulat paſſu* (nimis ad verbum vertit συστοιχεῖ) cum Hieroſolyma hodierna, *ſeruitque cum ſuis filiis* (melius: *incolis*). Quid iſta ratio proſit expediendae ſententiae verborum, non videmus. Quae autem contra *Mangeum*, Anglum, Philonis Editorem, diſputat *Ioh. Ben. Carpzouius*, potiora videntur, quibus partim Scripturae, partim explicationi conſulitur; quae videri poſſunt in eius Exercitationib. S. ad Epiſtolam ad Hebraeos *Prolegom.* Lib. II. Cap. 2. p. 31. ſqq.

Quae ſequitur a pag. 47. disquiſitio, eundem auctorem habet; pertinet autem ad illuſtranda loca Marc. 14, 3. et Ioh. 12, 3. in quibus νάρδος πιστική memoratur. Incipit a *Bynaei* querelis, quod haec vox, omnium, omni tempore, Interpretum ingenia, ita vt vix alia vlla, exercuerit: qui

Digitized by Google

qui ipſe tamen, tentatis omnibus nihil aliud effecit, quam vt πιστικὴ permutatis litteris idem eſſet ac *ſpicata*. Sed haec ſententia, quia ſola innititur coniectura, merito repudiatur. Certe praeualere debet ea, quae ex indole linguae repetita ſit. Verbum eſt πίνειν vel πίειν, quod praeter *bibendi* ſignificationem, etiam *attrahendi* et *ſugendi* valorem haber. A Praeterito Paſſiuo verbi πίω vel πίζω ductum et formatum vocabulum πιστικὸς, ſignificabit id, quod vim penetrandi habet, tum quod vt bibatur eſt idoneum. Ex illa notione auctor interpretatur νάρδον πιστικὴν eam, quae haberet hoc optimorum vnguentorum attributum, vt alte penetraret inhaereretque, adeoque ad emolliendum vel conſeruandum e. ſ. p. eſſet efficaciſſima. Quam ei vim fuiſſe etiam inde colligit, quod Iohannes referat, totam domum eius vnguenti odore perfuſam et repletam fuiſſe. Hanc ſententiam valde probamus, praeſertim cum ea quoque propoſita ſit a Cel. Fiſchero, harum rerum iudice admodum acri et perito, qui νάρδον πιστικὴν in Euangeliis eſſe docet *nardum quae bibi poteſt*, hoc eſt *liquidam*, quae a Dioſcoride 1, 75. λεπτὴ nominatur. Puram enim et ſinceram non πιστικὴν, ſed πιστὴν appellari debuiſſe. Vid. eius *Proluſſ. quinque ad Varia loca etc. Lipſ. 1779. p. 140. ſq.* Nam nardus quae *bibi* poteſt, dubio procul ſignificat eam, quam facile *tranſmittant* et *ſugant* res quibus adhibeatur; ſic chartam *bibulam* dicimus eam, quae facile tranſmittat atramentum, πίνειν autem eſſe haurire, abſorbere. Notum etiam eſt ex Anacreontis Odario 19. Bene ergo *Ioh. Piſcator* in Germanica verſione vtroque loco adhibuit vocem *flieſſend*. Ignoti Auctoris ſequitur a Pag. 57. disquiſitio de λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας Tit. 3, 5. Sententias Interpretum, ait, commode ad duas claſſes referri poſſe: nam alios per illud *baptiſmum*, alios ipſam *regenerantem Spiritus gratiam* intelligere; priorem eſſe Pontificiorum ac Lutheranorum, hanc plerorumque ex Reformatis. Eam tribus modis intelligi poſſe, vt Paullus alludat

vel

vel 1) ad ritum omnibus fere populis vſitatum, quo recens nati infantes aqua aut oleo abluerentur; vel 2) reſpiciat ad ipſum *baptismum*; vel 3) vt Spiritus Sancti gratia h. e. motus pii et ſancti in mentibus Chriſtianorum ſimpliciter comparentur *lotioni*, ſicut in aliis locis *fontis* vel *aquae* ſimilitudini adformentur. Ad primum modum vix credibile eſt Paullum reſpexiſſe; qui vero ipſam ſanctificationem intelligat, ei neceſſario ſtatuendum ſit aut bis eandem rem dixiſſe Paulum, aut priorem phraſin impropriam altera propria explicari. Ita λουτρὸν pro ipſa *lotione* ſumitur, vt demonſtrat *Hemſterhuſ.* ad Ariſtoph. Plut. 952. Nunc propius ad rem accedit, et per λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας *baptismum* denotari, neque tamen a Paulo, qui cauſam non haberet cur eum hic memoraret, intelligi ſtatuit; ſed quemadmodum ſaepe in ſacris libris pro re ſignata ſignum ponatur, vt etiam 1 Pet. 3, 21, ita hic ſanguinem ſiue mortem Chriſti ab Apoſtolo intendi, adeoque in his verbis egregiam occurrere totius ſalutis deſcriptionem. Huic loco ſubiecit notulam aliquis e Sociis, qua demonſtrat, ſe per *lauacrum* regenerationis intelligere ſanguinem Chriſti, ſine vllo ad Baptimum reſpectu, quemadmodum Zach. 13, 1. *fons aduerſus peccatum et improbitatem* dicatur, eumque locum, cum hoc, eſſe conferendum. Ita autem vocari propter vbertatem ſalutis, qua is redundet.

At habet tamen, etſi docta ſit iſta interpretatio, vultum vt ita dicamus nitentis. Quia enim baptismum non pro medio ſalutis petendae et ſperandae, non pro parte religionis chriſtianae ad ſalutem neceſſaria habebat, ideo tam praefracte negabat V. d. cauſam commemorandi baptismi Apoſtolo illo in loco fuiſſe. Proxima disquiſitio auctorem habet *Ioh. de Leeuw*, et pertinet ad locum 1 Timoth. 2, 8—14. Praemiſſa breui admonitione, de non ſeorſim ſpectandis Epiſtolarum Paulinarum locis, ſed inter ipſam orationis

 ſe-

ſeriem intuendis, et ad conſilium primarium ſcriptae epiſtolae referendis, ſtrictim quasdam verborum et formularum huius loci explicationes, exhibet. Προσεύχεσθαι eſſe *in coetu preces fundere.* Hinc προσευχὴν in Actis 16, 13. 16. eſſe locum publicis precibus faciendis deſtinatum. In publico autem loco preces fieri aliquo praeeunte, hoc praeeundi munus attribui ab Apoſtolo *viris*, impoſito mulierculis, ad loquacitatem fere promtis, ſilentio. Addit autem ἐν παντὶ τόπῳ, quia coetus Chriſtianorum in Epheſina ecleſia pariter, cui ordinandae Timotheus erat conſtitutus, atque in aliis, non vno, ſed variis in locis congregabantur. Ad geſtum precantium reſpicitur phraſi *manus attollere*; at *ſanctas* eas vult Apoſtolus, quia requirit, vt qui precetur, ſit talis, nempe liber ab odio, inuidia, indignatione, e. ſ. p. Iram autem et rixas (ὀργὴν καὶ διαλογισμοὺς) inter Epheſinae eccleſiae membra probabile eſſe, vel vndecunque ortas, vel inde, quod ſibi mulieres, quae virorum eſſent, adrogauerint. Hanc cauſam eſſe, cur admonitiones ſuas inprimis vertat ad inſtruendas mulieres, a vſ. 9. ad fin. Cap. Neque tamen commodum putat, quod fere fit, δι' ἔργων ἀγαθῶν vſ. 10. coniungere cum τῷ κοσμεῖν vſ. 9; quin potius ἐπαγγέλλεσθαι θεοσέβειαν δι' ἔργων ἀγαθῶν coniungendum et vertendum eſſe ſtatuit per, ſibimet atque aliis pietatis ſuae indicia praebere per bona opera. Verbis vſ. 14. Ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη tribuit hanc ſententiam: Adamus non deceptus eſt extrinſecus, vel ab externa aſtutia, quamquam ſane deceptus eſt fraude domeſtica. Repudiat autem quod quidam ſubintelligi volunt ex praeced. v. *primum.* Ita igitur feminae remouebantur ab inſtitutione publica; ſed domeſtica inſtitutio iis relinquebatur, et vſ. vltimo Cap. commendabatur; quem verſiculum ſingulari expoſitione ſibi tractandum ſumſit. Sequitur itaque expoſitio loci 1 Timoth. 2, 15. quae habet eumdem auctorem. Verbo σωθῆναι monet denotari, *ſalutis ſuae promotrices eſſe, eaque de re ſe et alios certiores*

ſa-

Digitized by Google

facere, eamque fundari Canone Grammatico, a Glaſſio Philol. S. L. III. tr. 3. de verbo n. 14. propoſito. In verbo τεκνογονίας explicando facit cum Chryſoſtomo, qui educationem liberorum per illam vocem intelligebat, ita vt eam non ſolam, verum etiam omne id, quod mulieri in coniugio tanquam officium incumbat, ratione procreationis et educationis liberorum, intelligat. Igitur τεκνογονίαν ſic ſumtam conſiderat tanquam bonum opus, per quod mulieres ſalutem efficere debeant, in ſtatu quidem matrimoniali, h. e. vt nos interpretamur, quod ipſis praebeat materiem et copiam pietatis ſuae et virtutis, et inchoatae adeo ſalutis demonſtrandae. Verba ἐὰν μείνωσι refert ad liberos, ſi liberi maneant in fide etc. ita futurum vt ipſis contingat, quod Paulus Timotheo promittit Cap. 4, 16. ſi curam ſui et doctrinae haberet, ſiue ſi omnem diligentiam adhibeat in munere ſuo recte adminiſtrando, ſaluaturum ſemet ipſum eſſe et alios, qui ipſum audiant.

Quae ſequuntur disquiſitiones duae, Auctorem habent *G. F. D'Oer* et ſpectant ad locum Paulinum Rom. 9, 3. In priore diſſerit contra Elsnerum, qui verbis ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου etc. hanc tribuit ſententiam, vt Apoſtolus ſua vita redemtam Iudaeorum in Chriſtum fidem voluiſſe, declaret. In quo reprehendit 1) quod ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ χριστοῦ plus quam vitae temporalis iacturam inferat; 2) quod Elsnerus hoc perſpecto conſtructionem propoſuerit hanc, ηὐχόμην ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, quae per leges linguae, quibus iubemur dicere εὔχεσθαι τινί, vel εὔχεσθαι πρός τινα, admitti non poteſt 3) quod voces ἀνάθεμα et ἀνάθημα male confuderit. Neque vero ad ſuperiora tempora haec referri poſſunt, quaſi dicat: optabam ego ſeparatus eſſe a Chriſto et Chriſtianis, et ipſius meae ſalutis iactura, popularium meorum religionem, inſtituta, legesque defendere. Nam cum iſtum feruorem ſatis decla-

Digitized by Google

rauerit, opus non erat, illas affirmandi formulas, quibus deum et ſuam teſtatur conſcientiam, adhibuiſſe. Quare duo haec quaſi fulcra ſuae ſententiae ponit: 1) Paulum amore incredibili erga populares ſuos affectum fuiſſe: 2) haec eum ſcripſiſſe ſedato liberoque a vehementioribus commotionibus animo; vnde neque probandam eſſe comparationem verborum Moſis Exod. 32, 32. *Condona ipſis delicta, ſin minus, dele me e libro quem ſcripſiſti*: Nam haec certe animo vehementer commoto dicta eſſe, et ad vitae taedium indicandum pertinere. Ait ergo, ηὐχόμην eſſe *profitebar, denuntiabam*; ὑπὲρ eſſe *ſuper, in*; reliqua vero hoc ſignificare: hoc me vehementer angit, quod egomet ipſe natione Iudaeus, meis popularibus ſeparationem a Chriſto et eius bonis denuntiare iam ante debuerim, et nunc amplius denuntiem. Quaerat aliquis vbi hoc factum ſit? reſpondetur, non diſertis verbis, ſed vi tamen et ratione, conuenientiſſima Act. 13, 46. De his iudicium ſit penes lectores. A nobis quidem nondum impetrare poteramus, vt huic explicationi aſſenſum praeberemus.

In proximis diatribis diſſeritur, *de Sabbatho δευτεροπρώτῳ Luc. 6,* 1. de loco Matth. 22, 23—31. in qua quaeritur, num dictum Chriſti aliquam vim habeat ad refutandos Sadducaeos, niſi Angelos habere corpora ponatur: inſunt obſeruationes philologicae ad quaedam loca Geneſeos, ad 15, 12. 23, 13. item ad vaticiniorum Nahumi capitis primi priores verſiculos, in quibus de originibus vocum Hebraicarum, ſubſidio linguae Arabicae detegendis, deque earum tum primis, tum ſecundariis ſignificationibus diſputatur: ineſt *de decreto concilii Apoſtolici Act.* 15, 20. et 29. disquiſitio: ſunt praeterea quaedam philoſophicae, *de lege cordibus inſcripta: de iudicio:* quas intactas relinquemus. Ad extremum autem leguntur quaedam ad locum 2. Petr. 2, 1. pertinentia. Primum contra ſententiam eorum loquitur, qui

Digitized by Google

qui verba τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι de iis interpretantur, *qui negent, quod dominus eos emerit.* Sed refutat hoc ſolo argumento, vt dicat, Participium pro Infinitiuo hic poſitum eſſe non poſſe, quia, hoc ſi ſit, non antecedat verbum a quo pendeat, vt in hoc loco, ſed ſequatur, Luc. 24, 39. vnde dicendum fuiſſe, τὸν δεσπότην ἀρνούμενοι ἀγοράσαντα αὐτούς. Proponit aliam, quam ait commendari ab ſimplicitate, hanc: *dominum qui ipſos emit, abnegantes,* hoc ſenſu, quod falſi iſti doctores ſuum dominum, (Deum vel Chriſtum, id perinde erit,) qui ipſos emerat (ad operandum) abnegarint. Non igitur intelligit Auctor emtionem per pretium ſatisfactionis et mortis Chriſti, ſed eam quae eſt ſeruorum, in foro venalium. Doctores ſibi fingit in foro venales, hoc eſt, idoneis facultatibus ad munus eccleſiaſticum gerendum inſtructos, eique admotos ſub conditione pretii, vel praemii. Hos, vbi neglexerint officium, vbi diſſeminauerint αἱρέσεις ἀπωλείας, ſectas pernicioſas, et aliis auctores exſtiterint deſciſcendi a ſinceritate doctrinae diuinae, dici poſſe ἐπάγοντας ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν, contrahere ſibi iacturam ſalutis. His ſcilicet ambagibus erat vtendum ei, qui, propter doctrinam de abſolutis decretis, concedere nolebat, Chriſtum etiam pro iis, qui in aeternam perniciem ruunt, mortuum eſſe: immemor verborum Pauli 1 Tim. 2, 4. Θεὸς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι καί, εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν; immemor locorum, in quibus nos Chriſtus dicitur ἐξαγοράσαι 1 Cor. 6, 7. Gal. 3, 13. etc. tanta euidentia verborum et ſententiae, vt obſcurari nullo modo poſſit. add. Hebr. 10, 29. vbi dicitur τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος ἐν ᾧ ἡγιάσθη, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίσας. Verbum autem ἀρνεῖσθαι cum hic, tum in loco parallelo Ep. Iud. vſ. 4. τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι; item 2 Tim. 2, 12. eſt *negligere, ſpernere,* et illum neglectum et contemtum, cum verbis, tum factis, prodere. Ita καταπατεῖν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ di-

dicitur Ep. ad Hebr. loc. cit. Conf. *Kypke* Obſeruatt. ad Act. 3, 13. et 2 Tim. 3, 5.

PLATONIS DIALOGI IV. MENO, CRITO, ALcibiades vterque, cum Animaduerſionibus Virorum Clariſſimorum, GEDIKE, GOTTLEBER, SCHNEIDER, priorumque Editorum, curauit BIESTER.

Berolini, ſumtibus Auguſti Mylii, MDCCLXXX. 173. pagg. 8.

Prodiit anno ſuperiori Pot. Regis Boruſſiae, quae eſt eius ſalutis publicae cura omni noſtra laude ſuperior, mandatum, ſpectans Auctores Claſſicos graecos atque latinos in Gymnaſiis maiori atque accuratiori ſtudio tractandos. Voluit ſcilicet Rex ſapientiſſimus, vt ſcriptores iſti diligentiſſime in maioribus ſcholis explicentur, atque illuſtrentur, nec tam voces graecae atque latinae memoriae inculcentur, quam potius res, ſententiae, tractationis modus, doctrina, atque ſimilia menti tradantur, vt et viri docti ad vertendos illos germanice excitentur. Huic edicto vt ſatisfieret curauit Illuſtr. Zedlizius ita, vt pluribus doctis partes, aliis alias committeret, et *Bieſtero*, qui ei eſt ab epiſtolis, curam edendorum dialogorum Platonis traderet, qui id egit, vt dialogi quatuor ſupra memorati ſua cura vitiis operarum purgarentur, quasque haberet cum ſcriptas, tum impreſſus doctorum Virorum notas, textui ſubiicerentur. In priori igitur Dialogo, in quo Socrates cum Menone de eo disputat, vtrum virtus diſciplina et exercitatione comparetur, an vero nobiscum nata vel a Deo data ſit. Hic et illic reperiuntur

bre-

Digitized by Google

breues atque conciſae notae Cl. Gedike, Fridericiani Gymnaſii Directore, quibus et maxime pauca Editor Clar. addidit. Quum Socrates ſtatim ab initio Theſſalos laudat, quippe re equeſtri et diuitiis inſignes, eosque nunc etiam ſapientia praeſtare dicit: ironice haec verba Socratis capienda eſſe colligitur ex Plutarchi libro de legendis poetis, vbi Simonides negat Theſſalos a ſe decipi poſſe, quod ſint *ἀμαθέστεροι*. In verbis Socratis *κινδυνεύω σοὶ δοκεῖν μακάριός τις εἶναι*; vox *μακάριος deus quis* reddenda videtur ex ſententia Ciceronis Tuſc. I, 11. *deus aliquis viderit*. In ſequentibus p. 9. verba *δοκεῖ σοι ὑιοντε εἶναι* ab oſcitante librario ex proxime antecedentibus repetita videntur Gedickio; ſed talem repetitionem de induſtria factam, eiusque exempla trita atque frequentia eſſe in libris Socraticis, nec adeo hoc loco ſenſum impedire, facile, vt nobis quidem videtur, demonſtrari poteſt. Menonem loco genericae definitionis, qua oſtendere iubetur *quid ſit virtus*, modo ſpecies virtutum §. 2. enumerare, et a quouis intelligitur, et ab Editore obſeruatur. Paragrapho quarta diſplicet Gedickio *τοῦ δεσπότου*, et mauult legi *ἄρχειν οἷόντε εἶναι ἀντὶ τοῦ δεσπότου*, addens rationem philoſophicam magis quam criticam, non ſtatim neceſſariam eſſe ſcribens, *vt ſeruus imperans ipſi imperet domino, cum poſſit pro domino ab hoc conſtitutus aliis ſeruis imperare.* At nulla primum veſtigia a librariis neglectae vocis *ἀντι* reperiuntur, dein lectione vulgari ſeruata, quaeſtioni ſequenti maior vis atque efficacia ineſſe videtur. Aduerbium *διαλεκτικώτερον* recte explicatur p. 16. ita, vt notet *conuenientius regulis familiaris conſuetudinis et ſermonis*, quod ipſum et ex ſequentibus Platonis verbis facile intelligitur. Pro *τὸ τοιοῦτον* Gedicke V. Cl. legere mauult *ταυτόν τι*, quod quidem non diſplicet; ſed nec neceſſarium videtur, cum verba Socratis hunc ſenſum habere videantur, *idem volo dicere, non aliud quid.* Maxime probabilis contra, noſtro quidem iudicio, videtur coniectura, quam Vir doct. §. 7. pro-

proponit, ex qua pro πράγματα legendum cenſet παράυτικα, cum ei reſpondeat αναμνησθεὶς, nec Socrati moleſtum ſit reſpondere; adde quoque, melius conuenire τὸ προστάττεις. Huic dialogo, vt ceterarum notarum, inprimis ſenſum ſpectantium, nullam faciamus mentionem, duo Excurſus adiecti reperiuntur, quorum prior agit de Daedali ſtatuis motu vitaque praeditis, quod Daedalus primus oculos apertos Statuis tribuerit, nec non ſeiunctas manus, pedesque: alter ſpectat problema geometricum, *an figura trigonatis dato circulo poſſit includi ita, vt quaeuis linea peripheriam circuli attingat,* quod Clar. Gedicke ſcite ſoluit, mutanda lectione vulgata, prout ipſi ad ſuam ſententiam confirmandam neceſſarium videtur. Hinc §. 16. p. 40. in hypotheſi pro χώριον τριγωνον legi iubet χώριον τετράγωνον, in hypotheſi vero pro παρατειναντα ſcribi mauult παρατέμνοντα ſenſu mathematico, quo notat δίχα τέμνειν, et ſub finem παρατεταμενον mutari poſtulat in περιλελειμμενον. Sed properamus ad reliqua, hoc modo obſeruantes, in Dialogo qui inſcribatur Plato, maximam partem excerptas eſſe doctas criticasque notas Cel. Fiſcheri noſtri, et Bieſterum Cl. ad illuſtrandum locum elegantem Platonis, quo patria ipſa cum Socrate agens §. 11. inducitur, laudaſſe non modo Ciceronem Catil. I, 7. ſed et egregia verba, quibus vtitur ſummus Rex, in literis de amore patriae gallice ſcriptis p. 81. ſq. Igitur qua ratione Bieſterus in edendis Dialogis duobus, qui nomen Alcibiadis praeferunt, verſatus ſit, paucis videamus. Textum quidem, vt in prioribus, ad editionem Stephani inprimendum curauit, notas denique adiecit, quae debentur ingenio atque doctrinae Gottleberi inprimis, atque Schneideri. Ille enim notas in Alcibiadem ſecundum, ante nouem annos Lipſiae inprimendas curauerat, quibus nunc calamo exaratas alias addidit: hic vero in Alcibiadem vtrumque breues animaduerſiones conſcripſit, quae vt conquiſitae adderentur Ill. Zedlitius iuſſit. Paragrapho ſecunda

da ſub finem Cl. Schneiderus ὁτι ante ὑδεν delendum cenſet, quod id volunt leges Grammaticae, et vſus Platonicus poſtulat. Gottleberus Vir Cl. in animaduerſionibus ſuis ad Alcibiadem I. id agit, vt partim Stephani et Cornarii coniecturas laudet, partim, quae in Stobaeo reperiuntur loca cum textu Platonico comparet, partim nonnulla, hiſtoriam quae ſpectant, afferat, vt de pulcritudine Alcibiadis, de iureiurando per Iouem Φιλιον, de pugna Athenienſium aduerſus Lacedaemonios ad Tanagram, de Athenienſium clade apud Coroneam, de incolis inſulae Peparethi, quibus, vt et aliis commemorandis, ſuperſedere poſſe videmur. In Dialogo qui inſcribitur Alcibiades *ſecundus*, Gottleberus notat pro λησεται, quod eſt in Baſil. 2. ſubſtitutum eſſe λησῃ, ſed illud recte quoque conuenire τῳ ὁπως, atque λησεται legendum quoque cenſet Schneiderus, quia hoc ſit atticum, ſed poſt ευχυμενος inſerendum putat μὲν cum ſequatur δὲ. At μεν ſaepius reticeri ſequente δε ſatis conſtat, quod exemplo vno ac altero Clar. Zeunius ad Vigerum p. 520. docuit. Quanquam Cl. Gottleberus, ſub finem paragraphi ſecundae, coniicit, legendum fortaiſſe τυς ὀλιγυς μεν ειναι Φρονιμυς, quia ſequatur αφρονας δε τυς πολλυς, nobis tamen non placet articulum loco moueri, cum τυς Φρονιμυς referatur ad των ἐν τη πολει, ſitque ſubiectum, *qui ſint prudentes inter ciues, eſſe paucos, imprudentes eſſe plerosque*; recte enim notatur ab Editore, quod οἱ πολλοι ſint *plerique vulgus*. Non diſplicet §. 3. coniectura Stephani, διαφερειν δε, pro vulgari δη, probante, vt obſeruat Gottleberus Vir doct. Ficino, Dacier, et ſerie orationis. Paragrapho quarta, pro λησυσιν ἀυτυς και λεγοντας και πραττοντας certiſſime legendum obſeruat Schneiderus V. Cl. και λεγοντες και πραττοντες; de quo nec dubitari poteſt, cum vſus verbi λανθανειν Nominatiuum deſideret. His vero verbis fere in eam opinionem inducimur, vt credamus, paulo ante ordine inuerſo legendum eſſe λεγειν και πραττει. Quamuis paragrapho quinta σε abeſſe poſſit, nobis tamen nec *admodum im-*

 por-

portunum, vt Schneiderus putat, eſſe videtur, cum Socrates perſonam Alcibiadis in mente habeat, et cum eo colloquatur. Cum verba Socratis §. 10. ὁσωπερ ἀν μη προτερον ἐπουρισῃ το της ψυχης aliquid difficultatis habere videantur: in ea tollenda Gottleberus et Schneiderus elaborarunt, ita vt ille ante ὁσωπερ intelligat τοσουτω μαλλον, et vltima verba periodi cum ſuperioribus iungat; hic vero, verbis μη προτερον omiſſis, voces οσωπερ αν ἐπουρισει demum verbis ſequentis periodi η και ἀλλο τι των τοιουτων connectendas putet: vter horum rem tetigerit alii iudicent.

Sed hic pedem figere iubemur, quin iam plura commemorauimus, quam pro mole libri, et notarum copia, nobisque perſuaſum habemus, fore vt multi, qui Platonis lectione delectantur, etiam hos dialogos, praeter Critonem, quantum quidem ſcimus, nondum ſeparatim editos grato excipiant animo.

SCRIPTORES PHYSIOGNOMONIAE VETERES, ex recenſione Camilli Peruſci, et FRID. SYLBURGII, graece et latine, recenſuit, animaduerſiones Sylburgii et DAN. GUIL. TRILLERI V. Ill. in Melampodem emendationes, addidit, ſuasque adſperſit notas, IOHANNES GEORGIUS FRID. FRANZIUS.

Altenburgi impenſis Gottlob. Eman. Richteri, CIƆIƆCCLXXX. 8. pag. 508. cum triplici Indice Scriptorum, qui in notis laudantur, Verborum et formularum memorabilium, rerum denique memorabilium.

Quum in dotibus, virtutibus, vitiisque animi humani, ex corpore vultuque cognoſcendis, noſtrae aetatis homines

Digitized by Google

mines multum temporis operaeque locent: Clar. Franzius, quid ſenſerint ſtatuerintque veteres in hoc genere, voluit oſtendere edendis preloque ſubiiciendis ſcriptis veterum Phyſiognomonum graecorum, adiutus liberalitate, Ill. Gruneri, Profeſſoris Ienenſis, qui ipſi Polemonis, Adamantii, et Melampodis libros transmiſit, ita quidem, vt exemplari Melampodis adſcriptae eſſent notulae docta manu Ill. Trilleri, omnesque hos libros, et ſuauitatis, et doctorum commodi cauſa, publici iuris facere iuberetur. Principatum vero inter hos ſcriptores Ariſtotelem obtinere vix dubitari poteſt, cum non modo ille ceteros claritate nominis, et elegantia orationis, longe ſuperet, ſed ceteri quoque ſua fere omnia, id quod ex comparatione patet, ex illo hauſerint. Primo inde loco leguntur Ariſtotelis φυσιογνωμονικά expreſſa ad editionem Ariſtotelis, quam curauit Du Vallius, adiecta quoque verſione latina incerti cuiusdam, quam et in Du Vallii operibus Ariſtotelis reperiendam, ab hac editione noluit abeſſe Clar. Editor, ne eam parui aeſtimare, prorſusque reiicere videretur; quamuis multis in locis minus elegans atque obſcurior noſtro quidem iudicio ſit exiſtimanda. Primum enim interpres latinus ſingulas voces graecas ſingulis vocibus latinis exprimit, ita vt vox voci reſpondeat, et ſingula verba annumerari videantur, haud curans ſenſum geniumque vtriusque linguae. Dein vocibus barbaris vtitur, quales ſunt *phyſiognomonizare*, *diem delectabiliter ducere et morem accipere qui eſt hilaris*, *manſianum ſignum*, *deſignatiuus tranſitus*, *canis labrabilis*, *ſigna ſubcontrariantia* (ὑπεναντιούμενα *contraria, incerta*) aliaeque innumerae, quae vix interdum intelligi poſſe videntur, niſi graeca conſulantur. Facile fuiſſet doct. Editori voces obſoletas atque corruptas eliminare, et pro *collum groſſum*, τράχηλον παχὺν, *collum craſſum* reponere; ſed maluit verſionem intactam relinquere, quam genus ſcribendi illius temporis ad noſtri temporis vſum refigere, id quod nec vituperare audemus. At cur non vel

Auerrois, vel Andr. Lacunae, vel Iodoci Willichii verſiones, quae poſteriores ſeparatim Pariſiis 1535. et Vitembergae 1538. prodierunt, potius addiderit, huius rei nullam aliam rationem reddere poſſe videmur, quam quod haec in editione Du Vallii reperitur. Auerrois quidem verſionem ſepius conſultam atque laudatam reperimus, nec tamen omni ex parte probari doct. Viro intelligimus ex nota vigeſima ſeptima, vbi ad verba ἐκ τῶν ἐπιφαινομένων ἠθῶν ſcribit: *Male Auerroes et interpres, ex moribus a parentibus, quem ſecutus eſt bona fide Sanchez in Comment. p. 38. Sed omnes libri impreſſi, quotquot vidi, habent ἐπιφαινομένων, apparentibus, et vix mihi perſuadere poſſum, quomodo loco* (forſan hoc loco) ἐπιφ. γονείων (γονέων) *legi poſſet.* At primum ex his modo intelligitur, Sanchezium ſecutum eſſe veſtigia verſionis latinae, in qua operarum, non interpretis vitio legitur *a parentibus* pro *apparentibus*; dein nullo modo vocem γονεῖς vel ſubintellegendam, vel omiſſam eſſe, quia iam additur ἠθῶν, ſed ἐπιφαινόμενα ἤθη eſſe mores, indolem animi, quae ex vultu cognoſcitur vt c. 2. p. 21. ἤθη τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου ἐμφαινόμενα, et p. 29. pluribusque locis. Dum Ariſtoteles negare videtur p. 15. dari affectiones, quae ſint cuidam ferarum ita propriae, vt non aliis quoque conueniant ſcribens, Ἴδιον δὲ οὐδενὸς οὐδ᾽ ἓν τῶν ζώων, ἐν γε τῇ διανοίᾳ ἔχοι ἄν τις λαβεῖν: interpres latinus verbis maxime obſcuris vtitur: *Nihil autem proprium animalium phyſiognomizatorum in anima habebit vtique aliquis accipere.* Niſi nos omnia fallunt verba Ariſtotelis id volunt: nullam propriam affectionem vel vnam poterit quis reperire, eamque animo ſibi fingere. Homines igitur potiſſimum ſpectandos eſſe Ariſtoteles inde colligit, qui eandem affectionem habeant; vt ſi quis fortis ac ſtrenui hominis ſigna velit cognoſcere, vniuerſum genus fortium animalium eſſe conſiderandum, quaeque huic generi conueniant explorandum. Quare non eſt quod doct. Franzius aſſentiatur Sanchezio in Commentario p. 41.

iξ-

ἐξ ἀπάντων pro ἐξανϑρώπων vt legatur, ſuadenti. Quamuis doct. Editor in ſequentibus p. 17. locum obſcurum ſic refingat, vt ſtatuat, Ariſtotelem de rebus ſibi oppoſitis loqui, iisdemque verbis vſum fuiſſe, quorum vna ſententia iisdem verbis expreſſa incuria librariorum exciderit: huic tamen coniecturae ſequentia repugnore nobis quidem videntur. Ariſtoteles enim, ſi quid videmus, hoc docere cupit, animalia, quae quis ratione fortitudinis coniunctim ſpectare velit, ita eſſe ſpectanda vt omnia communia attributa vel παϑήματα, excludat, animoque ſeparet, quod ſi quis facere neglexerit, dubitari poſſet, vtrum fortitudinis, an alterius affectionis ſigna ſint. Locus igitur iſte potius noſtro iudicio intactus maneat, ne corrigendo magis corrumpi videatur. Capite III. ſtatim ab initio, Ariſtoteles, propter aequalitatem paritatemque orationis, non τὸ σχῆμα τȢ σώματος ὀρϑός, quamquam id quoque graeca lingua ferat, ſed ὀρϑὸν ſcripſiſſe videtur, et quae in ſubiecta nota Editoris reperiuntur, ſic legenda ſunt: *Erectam autem corporis figuram naturae auctorem conceſſiſſe homini certum eſt, non ſolum vt diſtingueretur a ceteris animalibus ſed vt quoque dominii in creaturas recordaretur, prorſusque nihil formidaret*, et quidem Editore ipſo ſic legi iubente. Quod ad indicia hominis impudentis attinet p. 47. verba μικρὸν ἔγκυρτος alieno loco poſita nobis videntur, adeo vt forſan ſic legendum arbitremur, τῷ σχήματι μὴ ὀρϑός, ἀλλὰ μικρὸν ἔγκυρτος, καὶ μικρῷ προπετέστερος, niſi poſteriora gloſſema priorum putentur. Vox διαλεκτικός quum p. 48. non conueniat ταῖς κινήσεσι, coniectura Sylburgii praeferenda videtur, legentis ἐν ταῖς κινήσεσι βραδὺς καὶ τῇ διαλέκτῳ; et ſic intellexiſſe quoque videtur Polemo p. 288. ſcribens, βαρὺ φϑέγγεται, βραχὺ δὲ; ex quo loco ſimul intelligitur, quid ſit φωνὴ πνευματώδης, cum idem homo κόσμιος Polemoni dicatur βαρὺ φϑέγγεσϑαι. Pagina 51. legitur ſpurca et obſcoena nota, ad explicandam vim vocis κιναίδου, quam mallemus abeſſe, ſufficeret notaſſe, κίναιδον a Polemone dici

 ἀν-

αἰδοίογυνον, atque intelligi hominem deditum maſculae libidini. Ὄμμα κατακεκλασμένον non eſt *oculus confractus, qualis eſt triſtium, ſed et laſciuorum,* ſed intelliguntur oculi molles, flexibiles, quibus dein περιβλέψεις tribuuntur. P. 60. vocem ὕβρις Cl. Editor mauult vertere *petulantia* ratioque qua nititur eſt in ſeq. ἡ περὶ τὰ ἀφροδίσια ἔκστασις exceſſus in re venerea, quocum coniuncta eſſe ſolet petulantia, quae eſt communis τῶν λοφουρων ἢ ὀυ λοφούρων; pro quo potius legendum videtur ἢ ου νωθρῶν, animalium quae ſetas habent erectas in ceruice, vel non ſunt tarda, atque pigra: id quod intelligitur ex oppoſito τῶν δὲ ονων καὶ συῶν. Cl. Editor coniicit, forte μισθώτων hominum, vilium legendum eſſe; ſed de animalibus, non de hominibus Ariſtoteles loquitur. Nec enim eſt quod Interpretis rationem habeamus, vertentis *laceratorum et vilium,* qui quomodo legerit, vix *quis* augurari poteſt, nec magnopere curamus. De Pardali inter omnia animalia foemineam formam maxime oſtendente, Ariſtoteles ſcribit p. 84. θηλυμορφότερόν ἐστιν, ὅτι κατὰ τὰ σκέλη· τούτοις δὲ συνεργεῖ, καὶ τὶ ἔργον ῥώμης ἀπεργάζεται, magis formam foemineam exprimit, his enim vim ſuam exſerit, et aliquod indicium fortitudinis prodit. Follinus ſenſu plane contrario legi cupit ὅτι μὴ κατὰ σκέλη τούτοις συνεργεῖ, καὶ τὶ ἔργον ῥώμης ἀπεργάζεται, redditque: *Quandoquidem crurum ratione aliis omnibus in functionibus eſt inferior. Nam quod obſecro robuſtam opus abſoluit?*

Quae interpretatio Follini cur probetur Exp. Editori, nos quidem latet: quod enim interpunctio Follini optime conueniat cum hiſtoria naturali pantherae, vt ipſi videtur, nobis vix perſuadere poſſumus, cum verba Ariſtotelis, et etiam locus ex hiſtoria animalium L. I. c. . laudatus, plane aliud ſuadeant. Verba extrema capitis quinti, τὰ μὲν οὖν ἐκπρεπέστερα etc. quae Auerroes aeque ac Interpres obſcurius reddidit, *Animalia igitur, quae videntur fertia, conuenientiora aſſumta, maſculinae formae et foemininae dicta ſunt,* et vbi ſtructu-

cturae ordinem eſſe docet Sylburgius, *ζῶα οὖν τὰ μετειληφότα τὰ ἐκπρεπέστερα*, i. e. *quae praedita ſunt maiori* ἐκπρεπεία, *in quibus decentior forma et geſtus apparent*: forſan leui transpoſitione facilius explicari poſſunt, ſi ſic legantur, τὰ μὲν οὖν ἐκπρεπέστερα ζῶα τῶν δοκούντων ἀνδρείων εἶναι, μετειληφότα τῆς δὲ τοῦ ἄρρενος ἰδέας καὶ τῆς τοῦ θήλεος, εἴρηται. *Quod igitur ad potiora animalia attinet, quae videntur fortia eſſe, ac cum maſculinam, tum foemininam formam habent, de iis ſatis dictum eſt. Caetera enim quae ſunt, facile poſſumus praeterire.* Ζωνοὶ p. 97. Ariſtoteli ſunt iidem qui εὔζωνοι, quod Interpres non legiſſe videtur, reddens, *bene lumboſi*, ſed quod eum ſic reddere res ipſa iuſſit: nec Follinus τὰ περὶ τὴν κοιλίαν λαπαρά vel potius λιπαρὰ reddens *quibus venter obeſus eſt*, vim verbis inferre nobis quidem videtur, quamuis non negemus, regiones circa ventrem et ventrem ipſum, quod Cl. Editor docet, valde differre.

Quid p. 108. ſit τὸ μέσον explicat Ariſtoteles ipſe per voces οὔτε κυρτὸν σφόδρα, οὔτε κοῖλον σφόδρα, inde εὖ πεφυκὼς eſt *bene formatus, ſine vitio corporis natus*, nec de virtute explicandum, nec locus Ariſtotelis de moribus L. II, c. 9. in ſubſidium vocandus videbatur. Δειλοί p. 126. non ſunt *timidi*, ſed *ignaui, fugientes laborem*, his opponuntur enim ἐπιμελεῖς *induſtrii*, quam vocem Follinum *egregie agites et diligentes* reddidiſſe Cl. Editor obſeruat, *cum* ἐπιμελὴς *vtramque ſignificationem admittat.* Ad illuſtranda verba Ariſtotelis p. 147. de piloſis ſcribentis, οἱ δὲ περὶ τὰ στήθη, καὶ τὴν κοιλίαν, ἄγαν δασέως ἔχοντες, οὐδέποτε πρὸς τοῖς αὐτοῖς διατελοῦσιν: *Pectore et ventere valde piloſi, ſunt homines leues, inconſtantes*, doct. Franzius ſcribit: *Locus hic valde laborare videtur. Lacuna enim aequiuocationem in verbis* οὐδέποτε πρὸς τ. α. ſuſpicatur, *quia homines ſunt ſociabiles, et Porta habet pectus et aluus, quae ob piloſitatem mente leues, inſtabiles, et imbecilles notant. Sed nihil mutandum. Qui enim pectoris et ventris regionem habent hirſutam, ſunt feruidae humidaeque naturae, ac libidinoſi*

ſi ſicut aues. Ex noſtra vero ſententia locus nulla difficultate laborare videtur, nec Andr. Lacuna et Ioh. a Porta, vt quid mutetur, ſuadent, nec tandem piloſi homines comparantur cum auibus ratione libidinis, ſed ratione leuitatis atque agilitatis. At diutius in Ariſtotelis Phyſiognomonia perluſtranda, quam vellemus, morati ſumus: in reliquis igitur libris percurrendis breuiores eſſe iubemur.

Polemonis libri duo graece primum editi a Camillo Peruſco ſimul cum Adamantio et Melampode, vt ex Volumine ſexto Operum Ariſtotelis, quae Sylburgius curauit, repeterentur, non iuſſit modo doct. Franzius, ſed et Sylburgii notas, quae maximam partem huius auctoris cum Ariſtotele et Adamantio continent, nec non ſuas obſeruationes textui ſubiecit. In his ſaepius Vir Doct. ad ea prouocare ſolet, quae Ariſtotelis cauſa ſcripſerat, ſaepius etiam ea affert, quae ipſi hanc vel illam vocem legenti in mentem veniebant: vt p. 197. de εἰδωλοθύτους, de Pelope, de Oedipo p. 201. de oculis caeſiis, p. 227. de riſu non in vniuerſum improbando, de voce μειδιᾷν et σκυθρωπάζειν, vt alia taceamus. Ἡ ἐπὶ πολὺ ἀνατομὴ τοῦ ϛόματος, *magnus hiatus oris*; os nimium apertum hoc loco eſſe *inciſionem* Vir doct. ſibi perſuadet, *quum os ſtriis ſciſſuriſque notatum ſit, quod ex ariditate fieri ſolet* ſed Ariſtoteles de ſtriis ſciſſuriſque haud cogitaſſe videtur. Sed os natura dilatatum indicare voluiſſe, quod ſimile ſit ori canino. Libro II. p. 297. τῷ μωροπονηρῷ tribuuntur ὀφθαλμοὶ ὑποῤῥέοντες ἀτενῶς, quam vocem mendoſam ſuſpicatur Cl. Editor, forte rectius ὑπερορῶντας ſubſtituendum exiſtimans, *fixe oculos ad maiora conuerſos*: nobis videntur metaphorice *oculi ſemper deiecti, in terram defixi*, more aquae defluentis indicari. Ex voce σκαφοειδὴς p. 308. Cl. Editor colligit, Polemonem Chriſtianis annumerandum eſſe, eumque ad effatum Prou. V, 6. reſpexiſſe.

Quum Adamantius libris duobus Polemonis libros explicarit, quod conſilium ipſe ſtatim ab initio aperit, doct. Fran-

Digitized by Google

Franzius id egit, vt non modo Sylburgii notas adderet, ſed et Adamantium cum Polemone compararet, et vtrosque inter ſe conferret. Extremo tandem loco legitur Melampodis opuſculum, cuius parte priore de *palpitatione*, poſteriore de naeuis corporis egit, quibus adiectae ſunt breues notae a manu Magni Trilleri profectae, quas, vt facile incurrerent in oculos, aſteriſco notare Editori doct. placuit. Triplici praeterea indice inſtruxit hos libellos, vt eos conſulere, *atque illa*, verbis eius vtamur, *oracula phyſiognomonica adire*, *atque ex aureo illo tripode, cui ferreus et ligneus ſubſequutis temporibus ab aliis phyſiognomonibus ſubſtitutus eſt*, *reſponſa percipere queant*. Nos quidem hanc acerbiorem in recentiores phyſiognomonas inuehendi rationem improbamus in eo, qui rogatos cupit lectores aequos, vt ſibi veniam ignoſcendo concedant. Ceterum non diffitemur, doct. Franzium his in libris edendis magnam probaſſe induſtriam, pluribusque locis ſuae in arte medica peritiae, ſuique veteres in medicos amoris, in iisque conſulendis collocati ſtudii, documenta edidiſſe.

Feldzüge des Vicomte Türenne

i. e.

RES GESTAE VICECOMITIS TVRENNII, Summi exercituum Regis Galliarum Ducis, ex probatiſſimis monumentis illuſtratae, a FRIDERICO WILHELMO de ZANTHIER.

Lipſiae ap. heredes Weidmanni et Reichium, MDCCLXXIX. Alph. 3. plagg. 5. cum figg. aen. permultis.

Celebrauit antiquitas heroes ſuos, viroſque rebus geſtis claros, monumenta memoriae illos commendarunt ſempiternae, poetae oratores ac hiſtoriarum conditores aeternitatem nominibus illorum dederunt ac geſtis. Quo factum, vt non viui ſolum aliis exemplum et ſtimulus eſſent at-

 que

que doctores, ſed mortui idem praeſtent. Noſtrae aetati nonne eſſet dedecori, ſi heroes quaſi ſuos et recentioris aeui, quorum adhuc fere vigent in recenti memoria res geſtae, negligeret?

Facta illorum ante oculos quaſi verſantur, et potentia imperiorum virtute iſtorum parta, eminet adhuc et fulget. Facta illorum noſtros eo magis inſtruere, ac interiore belli cognitione imbuere poſſunt, quo magis ſecundum principia atque regulas artis bella recentioris aetatis geſta, atque perpetrata ſunt. Omni itaque laude dignus eſt is, qui ipſe ſcientiae bellicae peritus, hoc officium meritis atque virtuti debitum ſuſcepit, inprimisque tanto ſtudio tantaque diligentia et cura in eo elaborauit, quique omnia diſtantia remota ac diuerſa vno quaſi loco congregauit, vt eo illuſtriora luceant.

Quod vt magis pateat, inquiramus in ipſum librum, et fontes, eq uibus deriuauit A. ſonorum illud rerum geſtarum flumen, et quibus praeſertim rebus, eos, qui anteceſſerunt illum, ſuperauit. Nullum plane alicuius auctoritatis ſcriptorem neglexit, nullum, quem non aperiret, fontem, et pleno hauſtu non deguſtaret ſolum, ſed etiam deglutiret, ac in ſuccum et ſanguinem verteret.

Ramſeius enim in vita Turennii non ſatis nouerat fontes, aut noluit eos adhibere. Nimium indulſit illi elegantiae in ſcribendo et dicendo, cui ſaepe veritatem ſubiicit, mox, ſe ipſum proponit philoſophum, oratorem, ac hominem reipublicae peritum, non eum cuius narrat facta. Neque ſatis peritus erat rei militaris. Interea primus ille commentarios quarundam Turennii expeditionum, quos tantopere celebrat Puyſegur, et omnibus commendat, in lucem protraxit, vti et Ducis Yorkii, et quasdam literas Mareſchalli proprias.

Patet vero ex ipſis commentariis, Ramſeium ſaepius mentiri, eumque contradicere ipſi qui geſſit res narranti. Probationis loco poteſt eſſe illa pugnae prope Nordlingam narratio, quae ex hoc libro, Meriani deſcriptione adiuncta, plus lucis accipit, quam ex Ramſeii narratione. Omnes has, quae ante oculos poſitae ſunt, Turennii res geſtas,

Digitized by Google

ex ipſis Mareſchalli commentariis ſumſit generoſiſſimus Auctor. In bello annorum 1644-1648. Puffendorffii adhibuit libros, qui dedit narrationem Suecicam, vti etiam Imperatorias et Bauaricas, vt his aduerſariorum narrationibus res plus acciperent lucis, adiectis iis quae Turennius ipſe ſcire non poterat. Ita adhibuit deſcriptionem pugnae Friburgicae a Muſſaio initae, qui in Germania in exercitu Condei erat, quaeque vt exemplum militaris deſcriptionis celebris eſt. Adhibitae ſunt deſcriptiones illae pugnarum memorabilium Gallicarum: Batailles mémorables des François, inſcriptae, partim e narrationibus ducum et aulae; partim ſingulorum praefectorum ſumtae. Neque omiſit Commentarios Puyſegurii, patris Mareſchalli eiusdem nominis, qui in eodem bello, in quo Turennius aduerſus regem arma geſſit, aduerſarius illius fuit; in ſequenti autem ciuili et Hiſpanico bello ſub illius imperio, aut in Mareſchalli la Ferté exercitu, qui cum eo coniunctus erat, militauit. Qui licet parum eſſet Turennii amicus, tamen ei non detrahit, ſed lucem potius adſpergit rebus illius geſtis, vti et Comes Büſſy Rabutin, qui licet a partibus Puyſegurii eſſet, Turennium cauſam regiae aduerſus ſe indignationis eſſe putabat, tamen Turennii merita agnoſcit. Ducis etiam de Navailles, viri integerrimi, Commentarii, multa belli ciuilis negotia, praecipue liberationem vrbis Valenciennes, illuſtrant, et in bello anni 1672. pugnam apud Seneff; hic, licet etiam a partibus aduerſariorum Turennii ſtaret, tamen tribuit illi quod aequum eſt, eique debetur.

Ex his omnibus multam Turennii geſta lucem accipiunt clariorem. Mirandum ſane eſt, qui fieri potuerit, vt Turennius, in tanta aduerſariorum ſuorum multitudine, partim in aula, partim in bello, tantas res gereret.

In bello Hollandico, quod anno 1672. coepit, adhibuit A. praecipue collectionem illam literarum Ludouici XIV. eorumque qui illi erant a conſiliis, et exercitum ducebant, quae X. aut XVI. abhinc annis prodierunt, quaeque operi adiunctae, non vero immiſtae ſunt. Vſus eſt etiam literis Ducis Lucenburgici, et quorundam qui ſub illius impe-

 pe-

perio militabant, legatorum. Neque etiam reſpuit hiſtoriam illius belli Hollandici, Guerre d'Hollande inſcriptam, quam etiam Folardus in Polybio ſuo laudauit. Conſuluit etiam vltima Turennii facta, a praefecto qui interfuit ipſe ſcripta, omnique laude digna. Ita etiam Commentarios Feuquierii, qui ſub illo primitias militiae meruit, neque Hilarii, cuius pater eodem globulo, qui Turennio vitam eripuit, brachium amiſit.

Deſcriptiones pugnarum aeri inciſae ex Theatro Europaeo, in cuius vſum Merianus confecerat, ſumtae ſunt. Pleriſque erant ignotae, licet maxime narrationibus ipſius Mareſchalli reſponderent, multumque augeant ipſius narrationis auctoritatem ac fidem.

P. STEPH. RAVTTENSTRAVCH, BENED. BRZENOV. Theol. et SS. Can. Profeſſ. Inſtitutiones Iuris Eccleſiaſtici Germaniae accommodatae, TOM. I. Cum approbat. Cenſurae Regiae et Ordin.

Pragae in Officina Mangoldiana, 1772. in 8.

Cum omne ius eccleſiaſticum vel publicum ſit, vel priuatum, hoc Tomo primo maxima pars iuris eccleſiaſtici publici continetur, nimirum illa, quae ad ſtatum eccleſiae internum ſpectat. Ea bifariam diuiſa eſt ita, vt priora agant de natura et vi eccleſiae Chriſtianae, poſteriora de iure eorum qui eccleſiam regunt. Illa ſeptem capitibus abſoluuntur: de origine et nexu quondam eccleſiae, de iure res in illa ordinandi in vniuerſum, de poteſtate legislatoria et iudiciaria, de iure cogendi, de regimine ſpirituali eiusque forma, de inaequalitate membrorum in eccleſia, de Hierarchia. Haec duodeuiginti capitibus conſtant, quibus traduntur principia de primatu papae, aliisque iuribus quae Papae competere dicuntur, de Cardinalibus, de aula et tribunalibus Pontificis Romani, eiusque legatis et vicariis, de Patriarchis, Exarchis, Primatibus, et Metropolitanis, de Epiſcopis cum omni-

omnibus, tum Germanis, de Epiſcopis titularibus et Coadiutoribus, de Canonicis eorumque Capitulis, tum omnium, tum Germanorum, de vicariis Epiſcoporum, de Parochis, de iuribus et immunitatibus Clericorum, de variis modis dignitates eccleſiaſticas obtinendi. Auctoris doctrina et probitas, iam alias perſpecta, non ſolum hoc libro mire confirmatur et illuſtratur, ſed et accedit eius ſingularis aequitas et modeſtia, quam vt ſemper prae ſe tulit, ita eius obſeruantiſſimus fuit in eo genere litterarum, in quo multos habet a quibus neceſſario diſſentiat. Poſtulat igitur honeſtatis ratio, vt, qua humanitate erga nos vſus eſt, eadem vtamur erga illum, neque illius qualiacunque placita ad noſtra inſtituta exigamus. Locus in toto hoc genere grauiſſimus eſt ille *de Primatu Papae:* in hoc tractando auctor tribus capitibus p. 108—133. ita verſatus eſt, vt inter duas ſententias extremas, mediam aliquam amplecteretur. Petri Apoſtoli Primatum aliquem a Chriſto ipſo inſtitutum eſſe, eo conſilio, vt poſthac ſemper in eccleſia maneret, affirmat: negat tamen eum aliter ad Romanam ſedem pertinere, quam ob voluntarium eccleſiae in eam rem conſenſum. Iura ad hunc principatum ſeu primatum pertinentia triplicis ait generis eſſe; alia eſſentialia et diuinae originis, alia accidentalia, quorum Papae ab eccleſia arbitrium factum ſit, alia controuerſa. Primum genus ex eo intelligi, ſi quod Papae ius eccleſia priſca perpetuo conſenſu diuinum exiſtimauerit, (ſed ſic primum genus ab altero vix diſcerni poteſt,) aut ſi ſine illo iure eccleſiae vnitas intelligi nequeat, aut denique natura regiminis eccleſiaſtici hoc poſtulet. His veluti fundamentis innixus, iura Primatus in tria capita conſtringit: 1) Papam quaſi centrum eſſe vnitatis eccleſiae catholicae; 2) illius eſſe, prouidere, vt ſingulae eccleſiae eandem religionem profiteantur, eiusque eſſe curam diſciplinae eccleſiaſticae; 3) item ius emendandi et ſupplendi errores reliquorum Superiorum eccleſiae. Ex his iura diuina atque eſſentialia ſpecialiora deducuntur: a) Debere Papam conſuli in iis rebus, quae religionem et diſciplinam ſpectent, eiusque decretis, compoſitis ad normam ſiue canonum, ſiue traditionum, inſiſtendum

 eſſe;

Digitized by Google

eſſe; b) Prouocationem eſſe ad Papam: ſed hic pro aequitate ſua fatetur auctor, intra trecentos a Chriſto nato annos legitimum eius rei exemplum eſſe nullum, et illam fere a Decretalibus Iſidori pendere. (Qui poteſt igitur illud ius ad naturam et eſſentiam Primatus papalis referri?) c) Ius componendi lites de religione ſubortas; d) Ius Concilium vniuerſale conſcribendi, quod et Imperatoribus ob Aduocatiam tribuitur; e) Ius praeſidendi in Conciliis, ſi illud eſt nihil aliud quam rem referre ad Patres, et ſententiam primo loco dicere; f) Ius confirmandi quae in Concilio decreta ſunt; in hoc auctor mire ſe vertit, ita vt facile ſit iudicare, illi de hoc iure non ſatis eſſe perſuaſum; g) Ius decreta componendi citra Conciliorum ſolemnitatem: quorum vis, etſi non ſempiterna eſt, tamen in rebus, quae ad fidem et diſciplinam ſpectant, tamdiu viget, quamdiu eccleſiis non aliter videtur; h) Tutela Canonum; i) Poteſtas leges condendi de diſciplina vniuerſales, ſaluo tamen Epiſcoporum iure, diſpiciendi, an ex re ſint Dioeceſeos: ſin minus, hi illas recte deprecantur, et antiquiorem canonum atque obſeruantiarum autoritatem tuentur. Igitur eiusmodi leges Papales eatenus valent, quatenus ab Epiſcopis admiſſae ſunt et promulgatae, accedente Principis conſenſu per Placetum regium, nec libertate ſingularum eccleſiarum, nec iure Principis aduerſante; k) Ius Concilia oecumenica reſtringendi, ita tamen, vt Epiſcopo idem liceat in Dioeceſi; l) Ius deuolutionis, non omiſſis Inſtantiis intermediis; m) Ius adiuuandi caeteros Epiſcopos in tuendo ſuo iure. Alteri generi iurium, primatui papali accidentalium, accenſentur: a) Confirmatio Epiſcoporum, b) Ius poſtulationes ratas habendi, c) Ius Epiſcopos conſecrandi, d) eosque transferendi, e) Eorumque ceſſiones et reſignationes accipiendi. f) Concurrentia in remouendis Epiſcopis. g) Ius nouos Epiſcopatus inſtituendi, h) eosque vel iungendi, vel dirimendi. i) Ius beatificandi et canonizandi. k) Ius confirmandi ordines eccleſiaſticos. Auctor, etſi non negat, huius generis pleraque iura ortum habere ex Decretalibus Iſidori; tamen exiſtimat illa et noſtris temporibus, detecta illarum fraude, Papae compe-

pe-

Digitized by Google

petere debere. Nam quod Synodis prouincialibus non amplius vtimur, illa iura Papae tamdiu tribuenda eſſe A. contendit ex iure Deuolutionis, nimirum vt eccleſiae conſulatur; quamdiu Synodos prouinciales requirimus, quibus haec iura olim exercuit eccleſia. Ad tertium denique genus quod attinet, iurium controuerſorum, agitur: a) de Infallibilitate Papae: hic auctor accedit ad libertatem Eccleſiae Gallicanae, nec ſe reliquis adiungit, qui Papae oracula tanquam diuina venerantur. b) Quod perhibent, Papam maiorem eſſe Concilio vniuerſali, id docte et ſubtiliter refutatum eſt. c) Papae in ſaecularibus quidquam licere in Principes, recte negatum. De tribunalibus Pontificiis p. 262—289. copioſius et diligentius expoſitum eſt, quam vulgo in compendiis Iuris Canonici, ita tamen vt breuitati, quam in hoc genere requirimus, conſuleretur. Reſtat vt pauca addamus, quibus iudicium noſtrum de praeſtantia huius libri confirmetur: dabimus igitur ſummam loci de Epiſcopis p. 395—447. Horum poteſtas, nullo interueniente, a Chriſto ortum habet, cum ſint ſucceſſores Apoſtolorum: illa vel ad ordinem pertinet, vel ad iurisdictionem; vtroque, ſecundum ius diuinum, diſcernitur ordo Epiſcoporum ab ordine Presbyterorum, eorum igitur poteſtas neque a Petro oritur, neque a Pontifice, ſed illa in eos confertur ſola conſecratione, non confirmatione papali, quae recentioris eſt originis. De iure Pontificis Epiſcopatus conferendi, nouosque erigendi, non valet conſequentia ad originem poteſtatis, quae cum his coniuncta eſt; ſic enim Pontificis poteſtas vix diuinam originem haberet, eiusque ius remouendi Epiſcopos nihil probat, cum illud, antequam Iſidori Decretales conſarcinarentur, Synodorum fuerit Prouincialium; quamquam nec ab his Epiſcoporum iurisdictio poſſit deriuari. Potius Epiſcopi dioeceſes ſuo iure ſuaque auctoritate regunt: qui cum ſub inſpectione Papae ſint, illius tamen nulla eſt concurrens Iurisdictio in dioeceſibus, nullumque ius praeueniendi. Sic, nec aliter explicandus eſt oecumenici titulus, et peruulgatum illud, Epiſcopos vocatos eſſe in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Epiſcoporum Iurisdictio

eſt

eſt in omnes et ſingulos dioeceſanos, neque vlla ab hac exemtio praeſumitur, neque illa aliter a Pontifice impetranda, quam ob cauſas canonicas. Epiſcopi, non vero Pontifex, Praebendas regulariter conferunt in dioeceſibus: poſſunt hi ob rationes canonicas diſpenſare, vel in caſibus Papae reſeruatis, ſi partibus moleſtum ſit adire Pontificem. Habent praeterea ius viſitandi dioeceſin, et leges ferendi, conuocandique ſuos ad Synodos, quarum locum hodie fere Conſiſtoria obtinent et litterae paſtorales: habent iurisdictionem in rebus ſpiritualibus etc. Si demum iura Epiſcoporum contemplamur in Conciliis inprimis vniuerſalibus, competit illis poteſtas, cauſas quaslibet, et fidei et diſciplinae, iudicandi, ipſumque adeo Papam; ſic vt ab eius oraculis liceat prouocare ad Concilium oecumenicum, ſi cautiones adhibeantur: a) Vt id niſi in cauſis grauiſſimis fiat, quae non ad priuatos pertineant, ſed ad eccleſias ſiue omnes, ſeu ſingulas, ſi forte illarum ſtatus, vel canonum autoritas, ruinam minatur, nec id fiat a priuatis, ſed ab eccleſiis, et qui cum illa *coniuncti* ſunt, Principibus ſecularibus. b) Illa prouocatione Pontificis iurisdictio non plane ſuſpenditur in cauſis controuerſis, ſed illius decreto ceu prouiſorio obtemperandum. c) Reformatio decreti Pontificii per Concilium, Reuiſioni ſimilior eſt quam Appellationi. Plura referre *nihil* attinet: iam ſatis ex his ratio viri doctiſſimi perſpicitur, cuius eruditionem et probitatem tanto pluris facimus, quanto paucioribus vtraque contigit, qui in hoc genere laborarunt.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLXXVI.

Carſten Niebuhrs Reiſebeſchreibung

i. e.

CHRISTIANI NIEBVHRII DESCRIPTIO ITIneris in Arabiam et vicinas regiones ſuſcepti: TOMVS II.

Hafniae, e typogr. regia, ap. N. Moeller; 1778. 4. pp. 479. praeter praef. cum 52. tabb. aere expreſſis.

Cum primum huius operis volumen lectoribus noſtris explicabamus, quo Cl. Auctor itinera ſua per Aegyptum Arabiamque, et tandem Bombaiam, Indiae facta expoſuerat, praedicebamus fore, vt altero volumine reditus per Sinum Perſicum, Babyloniam, Meſopotamiam, Syriam Aſiamque minorem, ſuſcepti deſcriptio abſoluatur. At mutauit

 con-

Digitized by Google

conſilium Auctor, et cum rerum copiam maiorem ſenſiſſet, quam quae vno volumine non nimis ſpiſſo comprehendi poſſet, quae reliqua erant ita deſcripſit, vt nunc quidem reditum ſuum vsque ad vrbem Halebenſem Syriae perſequeretur, cetera tertio tomo ſeruaret. Continentur itaque hoc libro, quaecunque Cl. Niebuhrio primum Bombaiae, et in ora adiacente Indiae, tum Maſcatae in Arabia, in quam ab India renauigauit, in parte porro Perſiae, quam peragrauit, tandem in Aſia Turcica, quam ab Euphratis oſtio Halebum vsque obiit, maxime memorabilia viſa ſunt; qui ſequetur tomus III. excurſionem Halebo Hieroſolyma factam deſcribet, tum reliquum iter a Syria per Aſiam minorem, Turciam Europaeam, Poloniam, Germaniamque explicabit, tum quae de Africa Auctor comperta collegerat, nec minus quidquid ipſe in coelo et ſideribus obſeruauit, exponet. Eſt autem hoc volumen, quemadmodum ſuperius, in minores ſectiones diſtributum, (ſed numerorum notis non inſignitas,) quibus de ſingulis locis aut regionibus eo ordine, quo eas A. adierat, modo copioſius traditur, modo breuius aliquid adſpergitur. Ex his, quae potiora videntur, enotabimus.

Obſeruata Bombaiae et Suratae, p. 1—80. Inſula Bombaienſis, 2 mill. germ. longa, dimidium mill. aut paullo plus lata, alii inſulae, quae *Anilis* appellatur ab Anglis (*Old-Womens Island*), adnectitur, tam eleuato ſub aquis ſolo, vt, quo tempore mare refluit, iſthmum faciat, et olim ex duabus inſulis vnam facturum videatur. Vrbs ipſa Bombaia, lat. bor. 15° 55′ 43″, ingenti ſumtu ab Anglis munita, habitatur ab Indis Romanenſium ſacra ſecutis, a Mohammedanis ex omni genere, ab Indis gentilibus, Perſis ignicolis, et Europaeis, qui ad illos comparati pauci ſunt, itemque Armeniis quibusdam et Graecis; hi omnes 140000 efficere dicuntur, quem ad numerum 1764. incolarum copia a 70 millibus creuerat per annos 20 proximos.

Cum

Cum ſolis aeſtus, aërisque ſiccitas, ventis et pluuia temperetur, quod multi ex Anglis praematura morte pereant, A. praeter alia vitia in veſtitu et cultu, inprimis intemperantia vini et carnium effici exiſtimat; vnde bene cautum Indis a legislatoribus ſuis colligit, qui eos a carne bubula et ſuilla abſtinere iuſſerint. Domus omnes faſtigiatae, tegulisque igne duratis tectae, feneſtrae tantum in Anglorum aedibus vitro clauſae, in ceteris ligneis ferreisue cratibus aut ſectili opere e quadratis conchis munitae, cubicula intus nec commode, nec ſplendide inſtructa ſunt. — Ad mercaturam et nauigationem quod attinet, viget ea plurimum Anglorum ſtudio, qui etiam magno ſuo commodo Bombaiae nauale conſtituerunt, vbi vel peregrinis pro certa pecunia naues ſuas reficere licet. Mercatores autem et collectas in India merces in Angliam mittunt, et acceptas inde per Perſiam, Turciam, Arabiam dimittunt, inprimis vero Giddam, quae Sinui Arabico adiacet (p. 11.) et amplius Cahiram in Aegypto (p. 12.) deuehunt, nunc etiam naues ſuas Sueſſam, in intimo Sinus Arab. receſſu, mittunt (p. 10.) ſecus quam A. ipſe ſuſpicatus erat Vol. I. p. 281. — Sed Bombaia ipſa, caput et arx eſt omnium coloniarum, quas Angli in hanc oram malabaricam mercaturae cauſſa deduxerunt, eaeque omnes a Senatu (*Council*) coloniae Bombaienſi reguntur (p. 8—10.) qui a ſolis Rectoribus Collegii mercaturae Indicae faciendae Londinenſibus pendet, non minus quam reliqui tres, quos idem Collegium Calcuttae in Bengala, Madraſi in ora Coromandelana, Banculae in Sumatra, conſtituit. Senatus autem ipſe Praeſide et 12 Senatoribus compoſitus eſt, inter quos et Tribunus militum locum habet; minores magiſtratus, quorum nonnulli in aliis eiusdem orae coloniis commercia regunt, omnes e mercatoribus leguntur, et Mercatores maiores minoresue, Curatores (*Factors*), et Scribae appellantur; nec quisquam eorum eſt, qui non ad ipſam Praeſidis dignitatem per gradus euehi poſſit.

ſit. Tuentur hanc Malabaricam prouinciam (p. 7.) partim Europaei milites, in 17 peditum, 3 tormentariorum (*Artillerie*) centurias deſcripti, et per praeſidia oppidorum diſtributi, partim indicorum militum (*Sepois*) tria millia, in ipſa vrbe praeſidio conſtituta; hisque copiis omnibus praeeſt Tribunus (*Major*). Eſt autem earum vſus maxime aduerſus Marattos, perpetuos Anglorum hoſtes, qui omnia late circumquaque tenent, ſolique victum et alimenta Anglis vendere poſſunt; horum dominus, Punae ſedem habens, ad 80 millia armare poteſt. — Religionem patriam vnicuique licet ſequi et profiteri (p. 14.) non item ad aliam tranſire; nec facile Senatus Indis Chriſtianis ſacris initiari concedit, niſi idoneis de cauſſis. Sed ad publicam religionis profeſſionem omnium minime proſpectum eſt Anglicae eccleſiae ſociis, qui vnum omnino ſacrorum miniſtrum habent Bombaiae, copioſius Romanenſibus, qui et numero plures ſunt. Mohammedanorum omnes fere Sectae in vrbe reperiuntur. Omnium vero numeroſiſſimi ſunt Indi, antiqui regionis incolae, auitae religionis tenaces, quam A. p. 16. ſſ. deſcribit, ſed ita, vt parum noui adferat. Nam omnem gentem in IV. ordines diuiſam eſſe, Brahmanum, Rasbutarum ſ. militum, Banianum ſ. mercatorum, et ruſticorum, (qui *Sudder* et *Harri* vocantur, nomine ab A. non dicto,) horum vero ſingulos plures continere tribus (*Caſt*,) tum omnes tribus, quarum fere 80 ſint, perpetuo ſeiunctas a ſe inuicem manere, ita vt ex vna in alteram tranſire non liceat, religionem porro non facile mutari a quoquam, niſi qui tribu motus fuerit; haec omnia a *Douio*, *Holwello*, *Anquetillo*, aliisque harum rerum ſcriptoribus, tradita habebamus. Illud memorabile videtur (p. 18.), aliquem e Rasbutorum ordine inter Brahmanes receptum eſſe, templo aedificato, et ſtatuta ingenti vacca ex auro caua, per quam ipſe cum peruaſiſſet, denuo natus videretur. Ceterum libros ſacros, ne Brahmanes quidem ipſi intelligunt, vnde difficile

eſt,

Digitized by Google

eſt de eorum religione recte iudicare. (Hic de variis linguis in India nunc vſitatis, varioque ſcripturae gener , A. expoſuit, et 4 ſcripturae varietates oculis ſubiecit Tab. II.). Quod animalium eſu abſtineant propter illam de μετεμψυχωσει opinionem, non omnino certum A. noſtro videtur p. 23. Feſtos eorum dies recenſet p. 27. et per eam occaſionem de diis Indorum varia ex antiquis gentis μυθοις promit; nec minus de chronologia et faſtis tradit p. 26. vnde hoc enotamus, tempus omne mundanum ab Indis deſcribi in 4 annorum περιοδους, 1728000, 1296000, 864000, 432000 complexas, de quarum vltima a. 1764. ſupererant ad mundi finem 427135; annum vero abſolui 365. diebus et ſex horis. Sequuntur varia p. 31. ſſ. de artis operibus cum religione coniunctis, in quibus facile primum locum tenet templum ingens antiquum in Elephantide inſula, multis commemoratum, ſed nunc demum ab A. noſtro luſtratum et deſcriptum. Totum ſaxo inciſum eſt, immenſo labore (vid. Tab. III.), fornicatum tectum columnis ſuſtentatur non ineleganter ſtriatis et capitulo ornatis (Tab. IV.), parietes omnes anaglypho opere ornati ſunt, ex ipſo ſaxo haud quidem eleganti illa Graecorum arte, nec tamen rudiori Aegyptiorum ſculpto, cuius argumentum ad deorum heroumque fabulas pertinere videtur: (Tab. V—X.). Haec omnia, cum nihil omnino de antiquitate indica nobis conſtet, nunc quidem intelligi non poſſunt: ſed concedimus facile in Cl. *Niebuhrii* ſententiam, (p. 45.) ſperantis fore, vt ſi poſthac viri eruditi curatius, quam adhuc factum ſit, antiquitatis religioniſque cognoſcendae cauſſa Indiam perluſtrauerint, multa paullatim innoteſcant, e quibus vel ad antiquas Graecorum Romanorumque litteras haud parum commodi redundet. — Ad has Chriſtianorum, Mohammedanorum, Indorum religiones, accedit tandem Perſarum cultus igni exhibitus; de quibus cum A. ipſe ad *Anquetillum* lectores remiſerit, non repetemus,

 quae

quae de iis breuiter expoſuit, (p. 47. ſſ.) nec de ſcripturae parſicae duplici genere, Pelwi et Gjan-chan (Tab. II.) dicemus. Hoc vnum addemus, Parſos iſtos annorum aeram ducere ab a. Chr. 631. quo patria expulſi in has oras venerant, inde annorum numerum cum noſtris rationibus conuenire; definiunt enim annum 365 diebus, et poſt 120mum annum menſem integrum intercalant.

Cum A. Bombaiae moratus eſſet a Sept. menſe 1763. per ſemeſtre temporis ſpatium, (quo etiam *Cramerum*, qui ſibi ſolus e ſociis itineris ſuperfuerat, ſepeliuit,) Suratam nauigauit opportunitate itineris oblata, vnde menſe Aprili redux in morbum incidit, qui eum ad finem A. 1764. Bombaiae detinuit. Sed illi excurſioni debemus, quod Suratae ſitum deſcriptum videmus Tab. XIV. et memorabilia vrbis expoſita legimus p. 53. ſſ. Eſt autem Surata ſita ad flumen nauigabile Tappi, in planitie lata et fertili, latit. bor. 21° 12′, habetque portum ampliſſimum, et omnium quicunque ſunt in Mogolis ditione, longe celeberrimum, vnde et ipſa incolarum magno numero frequentatur, quem tamen A. negat excedere 350, 000. Parebat olim haec vrbs Summo Mogoli, cuius etiam nunc maieſtatem colere videtur: ſed poſtquam Praefecti mogolici (*Nabób*) quorum alter in arce, alter in vrbe eſſet, imperium ipſi arripuerant, Angli, arce per vim occupata a. 1759. a Rege impetrarunt, vt is, qui e ſua gente mercaturae curam pro magiſtratu ageret Suratae, idem Praeſidis nomine (*Nabib*) arcem et claſſem teneret, et tertiam partem portorii, quod Mogoli ſolueretur, ſibi caperet; inde ſumma rerum penes Anglos eſt, qui Praeſidis munere funguntur, pompas adeo Mohammedanorum Praeſidis nomine ducunt, et Praefectos vrbi pro arbitrio dant adimuntque. Praeter Anglos Batavi haud parum commerciorum hic agunt, poſt hos Luſitani, minimum Francogalli. — Ceterum A. hic varia, velut

per

Digitized by Google

per ſaturam, congeſſit de cultu et habitu Indorum Suratenſium, (conf. Tab. XII. XIII.) de veſtitu vario, (vbi tamen nobis haud perſuaſit, lacernam e foliis palmarum contextam, qua ruſtici, ceteroquin nudi, aduerſus pluuiam teguntur, eſſe ἐσθῆτα φλοΐνην *Herodoti*, III. 98.) de Indorum reuerentia erga animalia, (quibus Suratae νοσοδοχεῖον amplum inſtructum eſt, cum hominibus aegrotis nullum pateat,) de votis ſatis inepte nuncupatis, de ſocietatibus religioſis, de Parſis Suratenſibus, de clepſydris, de hortis, de monumentis ſepulcralibus Europaeorum etc.

Poſt hanc Indicae orae deſcriptionem ſequitur p. 80—93. *de nauigatione Maſcatam et Abuſchechrim ſuſcepta.* Scilicet cum Cl. Auct. per Perſicum Sinum et Iraccam arab. redire vellet, naui longa Societatis mercatorum Anglicae primum Maſcatam adiit, et Arabiae oram nemini Europaeorum adhuc perluſtratam; quam quo minus et ipſe curatius obiret, valetudo et alia incommoda prohibuerunt. Inde ad Perſidis oram in portu Abuſchechrenſi appulit. Hoc autem in itinere, quae de Omana, Arabiae prouincia, et ora vtraque PerſiciSinus, comperit, in Deſcriptione Arabiae ipſe iam expoſuit p. 295. ſſ. et 308. ſſ. vnde nos quoque, cum hunc librum in Actis noſtris indicaremus, potiora excerpſimus.

Quae Abuſchechri, Schiraſae et Perſepoli, Auctori cognita ſunt p. 93—181. redeunt fere huc: Abuſchechrenſe oppidum, (Angli *Buſcheer* vocant) lat. bor. 28° 59′, Nadiri Regis victoriis celebre factum, nunc Schiraſenis pro portu eſt, etſi VI. dierum itinere remotum; hic e Mercatoribus Bombaienſibus qui tum habitabat, *Ieruis*, Auctori noſtro exemplum dedit Vitae Nadiri, vnde verſionem ſuam edidit Cl. *Iones* 1770. (p. 94.). — Ab eo oppido *Schiraſam* venit die XVIIIuo, viarum difficultate, et tempeſtatis fri-

Digitized by Google

frigidae, pluuialis et grandinoſae incommodis, (agebatur enim Februarius menſis,) retardatus, cum in itinere vbique triſtiſſima bellorum hic geſtorum veſtigia deprehendiſſet (p. 95—113. conf. Tab. XVII.). Schiraſa ipſa, latit. 29° 36′ 40″, ſedes Praeſidis Perſiae prouinciae (*Beglerbeg von Farſiſtan,*) quocum Auct. collocutus eſt, breuiter admodum deſcribitur p. 113. ſſ. Huius autem colloquii conſilium cum fuiſſet, veniam ab iſto petere rudera Perſepolitana luſtrandi, facile hoc A. impetrauit: neque enim Perſae iisdem quibus Turci ſuſpicionibus erga aduenas mouentur. Itaque acceptis commendatoriis ad praefectos vicorum villarumque litteris, comitante pediſſequo perſico, facile vbique receptus, et neceſſariis viae praeſidiis inſtructus eſt. Iam igitur haec rudera nobis A. deſcripſit p. 121—165. quae libri pars facile praeſtantiſſima omnium videatur antiquitatis ſtudioſis, cum ea multo accuratius expoſita et tabulis expreſſa reperiantur, quam antea a *Chardino*, *Bruynio*, aliisque factum erat. Sed de hac ipſa parte parum eſt quod lectoribus noſtris enarrare poſſimus, cum ea fere adſpectu imaginum (Tab. XVIII—XXXI.) ſolo ſatis intelligi poſſint. Rudera ipſa aliquot horarum itinere diſtant a fluuio *Bendemir*, (is Graecis Araxes eſt,) qui ponte 300 pedum iungitur, et a Perſis *Tacht Iamſchid* appellantur, quod ibi regiam Iamſchidis, regis antiqui, fuiſſe exiſtimant; id ipſum non abſimile vero videtur Cl. Auctori, qui ab initio quidem templum fuiſſe hoc aedificium ſuſpicatur, tum Summi Perſarum Sacerdotis, quem eundem et regem fuiſſe coniicit, domicilium factum, tandem Regum ipſorum ſedem in eo poſitam eſſe; itaque hanc ipſam eſſe regiam, quae Alexandri leuitate conflagrauerit. Quod autem vulgo haec rudera *Tſchilminár*, i. e. XL. columnae vocentur, cum nunc tantum XIX. ſuperſint, id fortaſſe hinc factum dicit, quod, cum Mohammedani has terras occuparent, tot columnae integrae exſtiterint. Hic itaque videas ruderum omnem ichno-

Digitized by Google

ichnographiam et adſpectum Tab. XVIII. XIX. ferarum, quae muri alicuius partem faciunt; imagines Tab. XX. XXIII. tum varias hominum, vario veſtitu, cultu et inſtrumento, ſeries in parietibus ſculptas, pompae militares, legationum officia, munerum oblationes per varios populos factae, exprimi videntur, Tab. XXI—XXIII. XXIX. XXX. rurſus ſingulorum hominum varias formas, quae ſacerdotum, heroum aut gladiatorum videntur, columnas item et vaſa ſingula, Tab. XXV. XXXII. XXXIII. nec minus ſingula aedificia, ex omni numero depromta, Tab. XXVI. XXVIII. et quae prae ceteris memorabiles videntur, inſcriptiones perſicas, vario ſcripturae genere factas, et diligentiſſime deſcriptas, Tab. XXIII. XXIV. XXXI. in quibus ſunt quae meris lineolis conſtant, ad perpendiculum, oblique aut tranſuerſe vario ſitu poſitis varieque iunctis, quae omnes clauorum ſimilitudinem forma referant. — Sequuntur obſeruationes variae de incolis huius regionis eorumque moribus, p. 161—181. vbi haec nobis notabiliora videbantur: Praefectus aliquis villae, quo die aequinoctium eſſe a Cl. *Nieb.* cognouerat, eo die feſtum Naurus agi iubebat, parum ſollicitus, num et reliquae villae eodem die agerent. — Perſae olim, cum duraturos in monumentis titulos ponere volebant, litteras ex argilla formatas igne durabant, tum glutine aliquo ad nitorem inductas muris infigebant. — Vini Schiraſeni celeberrimi plus quam 20 genera Auctori dicta ſunt. — Armeni, in reliqua Perſia numeroſi, pauci admodum ſunt Schiraſae, et in ſacello quodam cultum diuinum agunt, Sacerdote praeeunte, qui tum idem textoriam faciebat. — Exercitationes corporis multae variaeque, quas Perſae amant, quibusque aedificia ſua ſtructa ſunt, expreſſa reperias Tab. XXXVII. et de veſtitu Perſico expoſitum p. 175.

Schiraſa Abuſchechrim A. rediit 15 Maji 1765. in quo itinere vbique vidit, quibus alter oculus Nadiri crude-

 litate

Digitized by Google

litate ereptus eſſet. Hinc paruo nauigio *Chareg'am* inſulam petiit, de qua, quae in Deſcr. Arabiae p. 321. dicta erant, hic copioſius explicauit, p. 181. ſſ. addita etiam oppidi Chareg' a Batauis conditi deſcriptione in Tab. XXXVIII. A Charega prid. Cal. Aug. ad Euphratis oſtia, et amplius Basram vsque nauigauit. Appellatur autem Euphrates *Schat el Arrab* a Tigris confluente prope Cornam ad ipſa oſtia, quae Nili fluuiis ſimilia in Sinum Perſ. aperiuntur. Ea deſcribuntur p. 203—206. addito villarum ad vtramque ripam oſtiorum indice; his dein ſubiicitur Excurſus de pyxidis nauticae forma inter Orientales, deque eius nominibus arabicis perſicisque, nec non 32 ventorum apud Indos appellatione, p. 206—209.

Obſeruationes Basrae factae p. 209—240. Basra, latit. 30° 30', occidentali ripae Euphratis M. P. lati appoſita, VI. M. P. (1½. mill. germ.) ambitur, ſed aedificiis non admodum frequens, arua frugibus conſita, hortosque permultos muris cinctos, complectitur. Lapidis inopia et materiae caritas facit, vt aedificia tantum non omnia latere ad ſolem ſiccato ſtruantur, quod ſtructurae genus, niſi perpetuo reficiatur, fieri non poteſt quin mox dilabatur; vnde non mirandum videtur, vrbium olim celeberrimarum in his regionibus nunc ne veſtigia quidem apparere. Vrbs ipſa, etſi aquae copia magna adeſt, adeo tamen lutoſa, vt magis eſſe non poſſit; diuiſa eſt in 70 curias, (*Quartiere*) quas A. coniicit ad ſummum 7000 domus, incolas vero ad 40 mill. continere. Quod ad religionis profeſſionem, Sunnitae hic reliquis praeſtant numero, Schiitae, tum quidem cum A. ibi erat, metu iniuriarum Sunnitas ſe ſimulabant; inter Chriſtianos orientales numeroſiſſimi ſunt Armeni; Sabiorum pauci adſunt; (horum litterae, vt a quodam ſcribendi perito ex hac ipſa gente acceptas A. exhibuit Tab. II. F. non prorſus conſentiunt cum iis, quas in Amoenit. Exot. *Kaempferus*

Digitized by Google

rus exhibuit.). Banianes ſat multi, Iudaeorum fere C domus hic viuunt; e Romanenſibus A. duos monachos reperit, qui collapſam aediculam miſere reficiebant. Inter peregrinos Angli plurimum valent pannorum, linteorum, ſericorum commerciis; Itali quidam ſuas negotiationes feliciter obeunt; mercatores indigenae plerumque Caffeam Iemenicam mercantur. — Veteris Basrae rudera 2 mill. germ. verſus auſtrum remotiora ſunt p. 221. cernitur ibi fluuii alueus nunc ſiccus, quem Arabes *'Gaerri-Zaade* appellant, Auct. Pallocapam Graecorum putat, quem *Plinius* VI. 27. Euphraten vocat. — Vix vsquam tot palmarum dactyliferarum genera ſint, quam prope Basram; certe A. p. 226. variorum generum 26 nomina varia recenſet. — Ceterum ex quo vrbis Basranae praefectura viro cuidam nobili ex iſta regione oriundo a Turcis data fuerat, hic ipſe religionis profeſſione libera omnibus conceſſa, peregrinis allectis, aliisque rebus prudenter inſtitutis, breui effecit, vt vrbs creſceret opibus et incolis; inde per aliquod tempus Praefecturae Turcicae ſedes fuit, ſed poſtea Bagdadenſi prouinciae attributa eſt; igitur iſto tempore (a. 1765.) rei maritimae praefectus, (*Caputan Paſcha*,) qui Basrae fuit, a Praeſide Bagdadenſis prouinciae conſtitutus erat, nec minus ceteri magiſtratus, quos A. pag. 214. nominat; etiam milites turcici (*Iengitſcherri*), qui in praeſidio erant, ab eodem Praeſide pendebant, iidem tamen ſumma licentia vtebantur (p. 216.). At iam tum gens aliqua Arabum, Euphratis orientalis ripas accolens, nomine *Kaab* (vid. Deſcr. Arab. p. 319.) ditionem Basranam valde imminuerat (p. 227—236.); poſtea vero conſtat, vrbem ipſam cum agro ſuo a. 1777. in ditionem Perſarum redactam eſſe.

Cum Cl. *Nieb.* Basra Halebum proficiſci voluiſſet per Deſertam Arabiam, eo, quod attritis impetu Arabum, quos modo diximus, Basranorum rebus, vix ſatis validus comitatus itineris fore videbatur, hoc conſilium abiicere coactus

 eſt;

Digitized by Google

eſt; ſed tamen acceptam ab Arabe aliquo Scenita Itineris per Deſertum deſcriptionem, qua alii forte poſthac vterentur, edidit p. 236. ſimul et de columbis quaedam addidit, quibus in illa regione pro tabellariis vtuntur, p. 239. Itaque nauigio Hellam, vnde terreſtri itinere Bagdadum iret, delatus eſt, quam cum vel Tigri fluuio, vel Euphrate petere poſſet, longiori per flexus Tigris nauigationi breuius iter praetulit; *huius itineris enarratio* p. 240—292. continetur, eoque pertinent itinerariae tabulae XL. XLI. — Quae hic A. luſtrauit oppida, celebria ſunt templis, quae apud Mohammedanos ſanctiſſima habentur; nam *Meſched Ali* templum habet eo loco, vbi Ali Chalipha ſepultus creditur. *Cuſa* 5. M. P. ($1\frac{1}{4}$ mill. germ.) inde remota, olim quidem celebre fanum habebat, in quo Ali lethale vulnus accepit, nunc eius muri ſoli exſtant, *Meſched Hoeſſein*, Mohammedis nepotem, ab equis hic conculcatum, condidit ſepulcro, ad quod magnus numerus Mohammedanorum vtriusque ſectae confluit, Schiitis mortem Hoeſſeini miſere lamentantibus, Sunnitis tacite facientibus preces. Per eam occaſionem A. p. 270—274. excurrit in diſcrimen harum ſectarum explicandum, deque variis ἀγάλμασι et virorum ſanctorum reliquiis, quae apud vtramque in honore habentur; ſed cum nemo vnquam in Schiitas iniquior fuerit Nadiro Perſiae rege, inde denuo A. occaſionem capit p. 274—486. de victoriis huius regis quaedam exponendi, inprimis vero explicandi, quanto ille conatu vel Sunnitas Schiitis coniungere, vel nouam potius ſectam ipſe condere ſtuduerit. — *Hella*, ſatis ampla, nihil tam memorabile habet, quam quod eo loco ſita eſt, vbi olim Babylon fuit (p. 287. ſſ.). Quod autem tam ſplendidae vrbis vix vllae reliquiae cernuntur, id non inepte A. hinc fieri coniicit, quod, cum olim lateribus et bitumine aedificaſſent, (vt nunc quoque his in terris fieri ſupra diximus,) tum etiam vetera aedificia ſaepe deſtruxiſſent recentia aedificaturi, vel

ma-

Digitized by Google

maxima opera paullatim deleri debuerunt. Ceterum tamen A. in ipſa Euphratis ripa, ad occidentem aeſtiuum, Hellae reliquias arcis ſeu caſtelli vidit, quod *Straboni* commemoratur, nec minus hortorum Semiramidis fundamenta in collibus excauatis, et latere repletis, reperiſſe ſibi videtur; atque adeo de templo Beli ſuſpicatur ſe aliquid animaduerſurum fuiſſe, niſi ab Arabibus latrocinantibus abactus fuiſſet.

De Bagdado p. 293—335. Vrbis partes et aedificia maiora. Tigris, pedes latus 620, interdum adeo creſcit niuibus de montibus delapſis, vt 20 ped. altior ſit quam cum maxime deſedit. Loca Bagdado vicina p. 301. ſſ. De mercatura libraria p. 301. quae omnino in Oriente tenuis admodum eſt; nec vero reliqua mercatura in hac vrbe ſatis viget. Monachi, ex ordine Carmeli Montis, hic degentes, haud infelici ſucceſſu Chriſtianos orientales Pontifici Rom. ſubiicere ſtudent. Inter Europaeos plurimum coluntur medici, ſed honoris iis parum habetur; erat tum Praeſidis Medicus aliquis *d'Erbel*, in cuius notitiam A. Basrae venerat, (p. 309.) hunc ſperat itinerum ſuorum enarrationem editurum. De ſucceſſione Praeſidum prouinciae Bagdadenſis (*Paſchah*) ab a. 1693. ad 1759. eorumque recentiſſima hiſtoria, exponitur p. 309. ſſ. ſed ea fere inuidiae, odiorum, inſidiarum mutuarum exemplis conſtat. Imperator ipſe Conſtantinopolitanus non facile Paeſides legit, ſed more antiquo ciuibus Bagdadenſibus ſibi Praeſidem ipſis imponere permittit, cui tum munus ſua auctoritate confirmetur. At Praeſides illi prouinciam ſuam non minus arbitrio regunt, quam Imperator ipſe terras ſuas, habentque ingentem comitatum conſiliariorum, aulicorum, cuſtodum, qui p. 324. recenſentur. — Additur aliquid p. 332. de Curdeſtania ſ. Aſſyria veteri, cuius maxima pars prouinciae Bagdadenſi attributa eſt; eius incolae triplici dialecto vtuntur, quarum vna ad turcicam, altera ad perſicam, ad arab. chaldaeamque lin-

Digitized by Google

linguam tertia, propius accedere dicitur; nummis antiquis Graec. Rom. Perſarumque vulgo vtuntur.

Bagdado Moſulum profectus A. p. 334—370. plurimam itineris partem fere incultam vidit, loca memorabilia pauca reperit, vnde haec pars narrationis ſaepe niſi ſtationum indicem exhibet. — Arbeia vetus, quae nunc *Arbil* eſt, attingitur p. 342. In eo tractu mons *Biſotun* (p. 340.), remotior a via, quam A. ſequebatur, dicitur varias inſcriptiones habere, quas ipſa poſthac a peregrinaturis luſtrari cupit propterea, quod *Diodorus Sic.* a Semiramide titulos ſaxis hic inciſos narret. — De *Ieſidiis*, qui et *Dauaſin* appellantur p. 344. ſſ. Sunt ii callidum genus hominum, qui modo Chriſtiani, modo Iudaei, modo Muhammedani haberi volunt, prout commodum iis videtur, a multis vero idolatrae putantur; vtuntur circumciſione, ſed vinum bibunt, clam tamen; ſedes vero cum in aliis partibus, tum maxime inter Syriam, Armeniam, Lycumque fluuium (nunc *Záb*) poſuerunt. — *Nunia*, nunc tenuis vicus (p. 353.) memoriam ſeruat Nini vrbis, cuius vallum in vicinia oſtenditur; pons ſuper Tigrin fabricatus iungit eum Moſulenſi vrbi ex aduerſo ſitae. — *Moſul* autem ipſa magna vrbs eſt et celebris, Chriſtianis multis referta, qui decem templa celebrant, et cum Turcis commodius, quam alibi locorum, verſantur. — Subiicitur huius vrbis deſcriptioni p. 367. ſſ. index omnium vicorum villarumque in Moſulenſi prouincia, *(Paſchalik,)* eo conſilio, vt videant viri docti, num quod nomen eorum, quae veteres in vicinia Nini commemorarunt, inter ea ſeruatum ſit. Nos quidem, comparatis Strabone, Plinio, Ptolemaeo, Iſidoro Characeno, pauca admodum animaduertimus, in quibus leuis aliqua ſoni ſimilitudo ſuſpicionem antiquae originis praebeat. — Pertinet ad hanc partem Tab. XLV. itineris deſcriptionem continens.

De

Digitized by Google

De itinere Moſulo Mardinum p. 370—377. Iam per deſerta iter fiebat, vbique paſcuis laetiſſimis, ſed villis per IX. dierum iter nullis, praeterquam quod hic illic rudera oppidorum cernebantur. Talia ſunt, quae 9. hor. itinere Moſulo diſtant, et *Eſki* (vetus) *Moſul* appellantur, vbi A. inſcriptionem antiquam, ſcripturae genere, quod Cufico ſimile eſt, vidit (Tab. XLIII.). Vidit et in eo itinere Niſibin, (p. 379.) nunc *Niſſabin*, ſatis celebrem in antiquis hiſtoriarum monumentis, dum fines Romani imperii aduerſus Parthos Perſasque tuebatur; ea $7\frac{1}{2}$ mill. *Mardino* diſtat, (quae veteribus Marde erat,) et a Praefecto regitur *(Begk,)* qui honoris ſui inſigne a Praefecto maiori *(Woywod)* Mardinenſi tenet. Sequitur denuo p. 390. locorum quorundam index, ad veteris geographiae vſus, de quo idem fere, quod de ſuperiori, dicendum videtur.

Finitur tandem haec itinerum pars *profectione Mardino per Diarbecrin Halebum facta p. 398—422.* Antiquitatis monumenta in omni hoc tractu fere nulla p. 400. — *Diarbecris*, vetus Amidae nomen, (ſub Imperatt. Cplit. etiam *Conſtantia* vocabatur,) etiam nunc retinet inter Turcos, qui *Kara-Amid*, i. e. nigram dicunt, quod muris ex atro lapide duriſſimo cingitur. Occidentali Tigris ripae adpoſita, dicitur 16000 domus habitatas, multas vero habitatore vacuas continere; quartam fere incolarum partem Chriſtiani efficiunt. Horum duo Patriarchae hic ſedent: alter, qui ſemper *Ignatius* dicitur, ab omnibus Iacobitis ſ. Monophyſitis per imperium Turcicum (praeter Aegyptum) colitur; alter, *Ioſuf* nomine, Neſtorianorum, qui Rom. Pontifici ſe ſubiecerunt, res ſacras regit. — *Orſa*, quae olim Edeſſa erat, ab A. tantum in tranſitu viſa eſt; inde petita *El Bir*, 10 mill. verſus occidentem ad auſtrum inclinanti, remota; eo dum tendit, in itinere praeteriit *Charras* vel *Haran*, ignobilem nunc vicum, vbi ad puteum aliquem idem officii genus

nus ab incolis expertus eſt, quod olim hic Iſaaco Rebecca praeſtiterat (p. 410.). — Sunt in his regionibus multae Turcomanorum Curdorumque gentes nomadicae; harum indicem A. dedit, vt a *Ruſſelio* M. D. Halebi acceperat, addito in quaque tentoriorum ſeu familiarum numero. — *Halebi*, (quae olim Beroea fuit,) Auct. ad aliquod tempus ſubſtitit. — Ipſum iter ad Tigridem et Euphratem Tabb. L. LII. deſcribitur.

Hanc ipſam itinerum deſcriptionem excipiunt p. 423—479. *Obſeruationes quaedam de Syria.* 1) Linguam Syriae quod attinet, valde dubitat A. quin vetus Syrorum ſermo, vt vulgo putant, in vicis nonnullis ad huc vigeat; certe, ſi ſuperſit, corruptiſſimum eſſe ſuſpicatur (p. 424.) Arabum linguam vulgo vſurpari, praeter hanc Turcicam, fere vt in Germania francogallicam; inter Curdos et Turcomanos turcici ſermonis dialectos, ſed vitiatas, audiri. — Religionis profeſſione incolae ſunt Mohammedani Sunnitae, quorum ſecta hic praeualet, Iudaei, Chriſtiani, Metaueli, i. e. Schiitae, Druſi, Naſſairii, Iſmaelitae; Chriſtianorum numerus ingens eſt, eorumque maiorem partem Maronitae faciunt, Romanae Eccl. coniuncti. Obſ. 2. et 3) de Druſis et Naſſairiis p. 428—455. *Druſi*, (rectius *Durſi* p. 436.) qui indigenae Auctori videntur, maximam Libani partem tenent, valida gens, in multas tribus familiasue diuiſa, quae a Principibus (*Schech*) et Phylarchis (*Emir*) reguntur, in variis regionibus prouinciisue conſtitutis. (Conf. p. 445—455. vnde pleraque iam in Geogr. Tom. V. recentiſſ. edit. transtulit Cel. *Büſching.*) Ordines inter eos ſunt duo, *Akâl*, quos Clericos, *'Gaehhel*, quos Laicos dixeris; iique adeo inter ſe non miſcentur, vt ne communi quidem menſa vtantur. Qui inter Laicos dignitate eminent, litterarum elementa diſcunt, religionis doctrinam non curant, quam pro ceteris omnibus Clerici ſoli tenent. Accepit autem Cl. A. li-

Digitized by Google

librum arabice a Druſo quodam de religione ſua ſcriptum, vnde praecipua excerpta dedit p. 436. ſſ. quibus apparet, hanc religionem e naturali Dei ſcientia, Iudaismo, et Chriſtianismi quibusdam veſtigiis, conflatam eſſe. De ea quidquid Clerici praeceperint, ceteri credere tenentur. Ceterum, ne religionis cauſſa vexationibus obnoxii ſint, Mohammedanos ſe ſimulant, et circumciduntur. Similes iis videntur *Naſſairii* (p. 439.) inter Libanum et Antiochiam colentes, minori numero; hi quoque religionis ſuae placita occultant, et Sunnitas ſe ſimulant. Metempſychoſin, vt illi, ſtatuunt ſic, vt proborum animos poſt paucas in noua corpora migrationes, improborum non prius quam 80 corpora permeauerint, ad coeleſtem vitam peruenire putent. 4) *Maronitae* p. 456. paullo nobis notiores ſunt, inprimis per Monachos, qui inter eos perpetuo verſantur. Artes litterasque prorſus negligunt, et quantumuis Monachi inſtent, nemo facile inter opulentiores filios ſuos in Europam mittit litterarum aut educationis cauſſa. Omino pauci ſunt inter eos locupletiores, ne illi quidem, qui *Schech* appellantur; vnde facile colligi poteſt, quam miſeri domini ſint, qui vulgo *Domini Libani montis* appellantur, eoque nomine per Europam peregrinationes faciunt, olim ſibi ſatis fructuoſas; de quibus ſatis copioſe ab A. expoſitum eſt. 5) Tandem p. 470. ſſ. ſingulae quaedam regiones Libani deſcriptae leguntur.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΚΥΡΟΥ ΠΑΙΔΙΑΣ ΒΙΒΛΙΑ ΟΚΤΩ: *recenſuit et explicauit IOANNES CAROLVS ZEVNIVS, Prof. Gr. Litt. Viteb.*

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1780. Alph. 2. pll. 16. in 8.

Cyropaediae Xenophontiae editor, cui aliquid abſoluti ſuper ea ſcribere propoſitum eſt, rem ſane arduam ac difficilem aggreditur. Nam ſi, quidquid ab antiquis et recentibus ad eam illuſtrandam et explicandam allatum eſt, indagare, colligere, et pro re nata vel confirmare, vel refellere vult, alium ex alio laborem naſci ſentiet, qui nouam ſemper vim et conſtantiam requirat. Quidam igitur apud nos Eruditus, multis iam ingenii monumentis clarus, qui idem conſilium ante complures annos ceperat, totidemque in eo tractando, quantum alii labores permitterent, conſumſerat, ad exitum tamen nondum peruenit, grauitate tamen et praeſtantia operis tarditatem compenſaturus. Cel. autem Zeunius, editis ſuperiori tempore minoribus Xenophontis Opuſculis, nactus eſſet aſſenſu Eruditorum ac fauore, fortaſſis etiam ipſa rei difficultate, inprimis autem hortatu Ill. Heynii excitatus, huius quoque libri Xenophontii editionem moliri coepit. Quare circumſpectis collectisque editis, quotquot exſtarent et haberi poſſent, huius operis libris, cum quantam vnusquisque vim haberet ad varietatem lectionis diiudicandam, collationem eorum diligentem inſtituit. Adiunxit etiam comparationem Codicis Mſti Guelferbytani, Seculi, vt ait, vndecimi, membranei, et boni, et luculenti, itemque Cod. Budenſis lectiones ex Camerarii Cyropaedia Xenophontia Pariſiis 1572. latine edita, inſpexit. Porro adhibuit Grammaticos veteres, Pollucem, Suidam, Heſychium, Thomam Mag. Moerin, in quibus deſideramus Etymologicum M. qui ad genuina ſcriptoris verba a ſuppoſitis et gloſſematis diſcernenda plurimum conferunt. Athenaeum vero, in cuius libris multa inde petita inſunt, itemque Zonaram, cuius in hiſtoria ſiue Annalibus ipſa Xenophontis verba cerni et reperiri putantur, cum Stobaeo et Ariſtide conſuluit. Nec Philelphi verſionem latinam, in veritate lectionum indaganda, neglexit. Hoc omni apparatu, ſumma fide, remota tamen ſuperſtitione, ſe vſum eſſe pro-

profitetur his verbis, quibus tamen non omnes vt arbitramur Critici adquieuerint: „in commemorandis lectionibus di„uerſis inprimis librorum editorum hoc ſum vſus tempera„mento, vt quae aperta operarum vitia eſſe viderentur, pla„ne praetermitterem, niſi viderem ea ipſa ab alio quodam „editore eſſe repetita: nam tum ea indicare mihi fuit reli„gio.“ — „Sedulo id egi vt, quidquid vſpiam vere dis„crepantium lectionum reperiretur, a me ſignificaretur.“ „Item: „in probanda vero lectione non tam teſtium multi„tudinem, quam fidem et vſum Xenophonteum ſpectaui. „Quare non ſemel omnium editorum librorum conſenſum „repudiaui, ſi modo multitudo teſtium in illis ineſſe pot„eſt etc. — Contra vero laboraui, vt, quantum potui, au„ctoritate Xenophontis ipſius aliquod verbum aut phraſin „vel probarem, vel repudiarem. — Probata et ſtabilita ſe„mel Xenophontis conſuetudine, neglexi caeterorum ſcrip„torum auctoritates etc.“ Contra haec ſunt quae monere poſſemus: primum nullum ſcriptorem, ne tenuitatem quidem orationis amplexum, ita ſibi vbique ſimilem eſſe, vt affirmari poſſit, eumdem eum dicendi et ſcribendi tenorem vbique ſeruare; nedum talem qui vbertatis et copiae ſermonis laudem petat: Deinde, hoc commentandi et explicandi genus obeſſe varietati, quae cum in aliis, tum in his quoque delectat. Quare ſaepe magnus labor ſuſceptus et declaratus eſt exemplis etiam obuiarum formularum ex Xenophonte ſolo congerendis, quae, ſi in indicem reiecta fuiſſent, ſuo potius loco legerentur. In explicanda vero verborum poteſtate, aliorum ſcriptorum auctoritates parciſſime, quibus tamen adhibendis conſtans demum et perpetuus loquendi cognoſcitur vſus, adſperguntur; ii vero loci, in quibus capita et fontes verborum notionis inſint, aut in quibus imitationis ſtudium veterum et recentiorum ſcriptorum emineat, praeter paucos et tralatitios, plane deſiderantur. Adeo faciiius eſt, ex obſeruationibus, (neque enim dicimus ex Ste-

phani theſauro,) doctorum, et ſcriptis Doruillii, Valkenarii, Vigeri, Erneſtii, Fiſcheri aliorumque, vnam et alteram adnotationem cudere, quam ex inexhauſta lectionis et animaduerſionis copia, quibus opus ſit, promere. Nec tamen iſta ſemper ſuo loco ſunt attributa. Quis, verbi cauſſa, obſeruationem de pleonaſtico infinitiuo εἶναι non ad illa potius 5, 1. 15. ἔγωγε οὔτε πυρὸς ἑκὼν εἶναι ἅπτομαι, quam ad haec ibid. 28, καὶ οἴκαδε ὅταν ἀπιέναι καιρός σοι δοκῇ εἶναι, relatam malit? Nec in afferendis veterum Grammaticorum decretis, et commode vſurpandis, promiiſo ſatisfactum videtur. Hinc ſaepe Thomae Mag. praecepta, quibus ſancte ſeruandis quae religio eſſe debeat omnium, qui grauioris Critices exercendae dent operam bene demonſtrauit Pierſonus in Praefatione ad Moeridem, repudiantur, v. c. 1, 2. 16. 1, 3. 4. 5. 2. 2. 8, 3. 28. Hinc ad 4, 3. 39. de vocibus πλαισίον et πλινθίον nota; Thomae et Moeridis locis, et illic Oudendorpii, hic Pierſoni obſeruatis prorſus caret. Quis vero Athenaei et reliquorum omnia ad rem pertinentia credat allata fuiſſe? Superflua tamen ſubinde verboſitas, et ei, qui breuitatem ſequendam ſtatuiſſet, vix concedenda reperitur. Solennis in malo omine auertendo formula εὐφήμει, eidemque reſpondens Latinorum *dii meliora: bona verba quaeſo* notam peperit ad 8, 4. 9. potius indicibus allinendam. Notae, antiquitates et hiſtoriam demonſtrantes, non admodum vtiles ſunt, et a multis locis prorſus abeſſe poterant, v. c. 1, 2. 7. de calumniatorum impudentia lege Remmia apud Romanos coercita; 2, 2. 28. de duobus amoris remediis; 3, 1. 13. de luctus et moeroris apud veteres declarandi more, inprimis veſtibus ſcindendis; de clamore bellico ad 3, 2. 9. etc. Nunc tamen adhuc de ſingulis quibusdam videbimus.

I, 3. 5. in nota disquiritur, vtrum κατάπλεα an καταπλέα legendum ſit; interim vocis exquiſita ſignificatio nec hic, nec in Indice demonſtratur. Vtendum erat Ruhnkenii ad Timaei

maei Lex. Platon. p. 21. nota, addendusque Moeris V. καταπλέων.

I, 4. 3. Cyri ait loquacitatem non odioſam ſed iucundam audientibus fuiſſe, ita vt vellent πλείω ἀκούειν αὐτοῦ, potius (quam) ἢ σιωπῶντι παρεῖναι. Cum hac ſententia comparatur Anacreonticum Od. 22, 7. Τίς ἂν σῦν ὁρῶν παρέλθοι καταγώγιον τοιοῦτο; nos vero nec cauſam comparationis, nec vllam ſimilitudinem videmus.

Ibid. §. 4. τὸ πᾶσιν ὁμοίως προσπίπτειν, οὐκέτι ὁμοίως προπετῶς εἶχεν. margo Steph. et Cod. Guelf. a manu prima προπετές. *Sed minus*, ait, *recte. Nam* προπετῶς ἔχειν *valet* προπετὲς εἶναι. Haec certe aliena ſunt. Nam legitima ratio ſane poſtulabat προπετές. At προπετῶς defendendum erat eo, quod Aduerbium nonnunquam pro Adiectiuo ponitur. Fortaſſe etiam alterum ὁμοίως abeſſe debet.

II, 4. 25. πρὶν κινεῖσθαι τὴν θήραν. Editores intulerunt alias lectiones, τὸν θῆρα: τὰ θηρία; poſterius Hutchinſoni eſt, illud a Welſio profectum. Sed quanquam vtrumque repudiatum eſſe laudamus, tamen diſplicet, a Philelphi verſione, *priusquam moueantur ferae*, recedi, et proferri hanc nouam, *antequam venatio moueatur* h. e. *incipiatur.* Amplectendum erat hoc, τὴν θήραν eſſe *feram.* Sic *venatio* apud Liuium 35, 49. *cum miraremur, vnde illi eo tempore annitam multa et varia venatio:* add. Apicius Coelius Art. coquin. 8, 2. et 4. Κινεῖσθαι eſſe proprium verbum in re venatoria, *agitare, exagitare* Latinorum, v. Duker. ad Florum I, 8. 7. Burmanus ad Petron. 131. ergo non *incipere.* Moueri autem, a Latinis non dicitur quod tractari incipit, ſed quod multorum ſtudio cummaxime tractatur.

V, 1. 4. διήνεγκε δὲ ἐνταῦθα πρῶτον μὲν τῷ μεγέθει, ἔπειτα δὲ τῇ ῥώμῃ καὶ τῇ ἀρετῇ καὶ τῇ εὐσχημοσύνῃ. Quod verba τῇ ῥώμῃ delenda cenſet, non vituperamus; quod vero τὴν ἀρετὴν accipit pro *forma bona et venuſta corporis, eine gute Taille,* quamquam animi virtutem hic ſignificari non poſſe ſen-

ſentimus, diſplicet. Hoc enim idem eſſet quod εἶδος; atqui haec diſtinguuntur apud Homerum, Od. 6, 250. ἐμὴν ἀρετὴν, εἶδός τε, δέμας τε, ὤλεσαν ἀθάνατοι. Videtur tamen ſignificari *vis boni* vt eſt in loco Terentii Phorm. I, 2. 55. alia de cauſſa citato, hoc eſt, vigor oculorum et coloris; quam ſignificationem forte declarare voluit, quicunque τῷ ῥώμῃ pro gloſſemate adiecit. Vnde poſſint etiam intelligi membra teretia.

V, 2. 2. βοῦς δὲ πολλούς. E Philelphi verſione, *boues multas*, non ſequitur quidem eum πολλάς legiſſe; nam Latini pariter ac Graeci animalium vocabula in genere feminino vſurpant, vid. quos laudat Cel. Erneſti ad σκαιρούσας ἐλάφους Callimachi in Dian. 100. ſed propter hoc ipſum, tum propter Thomae Mag. auctoritatem, qui hoc magis Atticum eſſe dicit, valde probabile eſt ſic legi. Nec obſtat Exped. VII, 8. 9. locus, ὅσαι ἦσαν βόες καὶ πρόβατα, contra hanc ſententiam citatus

VII, 5. 65. πάντας τοὺς περὶ ἑαυτοῦ σῶμα θεραπευτῆρας ἐποιήσατο εὐνούχους. Fluctuant Interpretes, vtrum hoc ſit *eunuchos fecit*, *caſtrauit*, an *ex eunuchis delegit*. Hoc repudiat Cel. Editor ideo, quod id ſit contra linguae leges. Sed fallitur. Concedere ipſe debuit VIII, 5. 5. ποιεῖσθαι τὰ ἐπιτήδεια dici pro *commeatum parare*, *cibum comparare*, et ſic ſupra IV, 5. 1. occurrere πεποιημένον σῖτον. Heſiodus Ἔργ. 602. Θῆτα ἄοικον ποιεῖσθαι, hominem mercenarium carentem domeſticis *quaerere*, *ſibi comparare* i. q. κτᾶσθαι, vbi vid. omnino Graeuius Lect. Heſiod. c. 13. extr. Et nobis ſententia verborum haec eſſe videtur, *ex eunuchis adſciuit ſibi corporis cuſtodes*. Nam teneros mares caſtratos fuiſſe, conſtat: vid. Briſſonius Reg. Perſ. Lib. 2, c. 163. ſqq. Qui et ipſe ſic exiſtimaſſe ſe his verbis declarat: *huic potiſſimum hominum generi, quaſi multis de cauſſis fidiſſimo, cuſtodiam curamque corporis ſui credendam Cyrum cenſuiſſe*, *Xenophon libr. VII.* παιδ. *memoriae prodidit*. Et haec igitur ratio, legi-

Digitized by Google

gibus linguae nititur: an vero id quod Editor volebat, hac forma denotetur, et exemplis demonſtrari poſſit idoneis, adhuc dubitamus.

VIII, 1. 42. ὡς οὐδὲν θαυμάζοντες. In nota ad hunc locum valde philoſophatur Cel. Editor, et argutatur, et tantum ſpeciem contemtus rerum, non verum contemtum a ſuis exegiſſe Cyrum contendit. Nam Platonem in Theaet. et Ariſtotelem commendare admirationem, tanquam in moribus philoſophorum et philoſophandi initiis poſitam. Vbi iſta reperiantur, nos nunc non quaerimus; ſed alium in promtu habemus locum ex Platone in Theaeteto deſumtum §. 24. vbi de iis, qui philoſophandi ſtudio tenentur, ita: τῷ ὄντι τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτοῦ, καὶ ἐπιδημεῖ· ἡ δὲ διάνοια ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ, καὶ οὐδὲν ἀτιμάσασα, πανταχῇ φέρεται, κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα, οὐρανοῦ τε ὕπερ ἀστρονομοῦσα καὶ πᾶσαν πάντῃ φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλου — — — τῷ γὰρ ὄντι τὸν τοιοῦτον ὁ μὲν πλησίον καὶ ὁ γείτων λέληθεν, οὐ μόνον ὅ, τι πράττοι, ἀλλ᾽ ὀλίγου καὶ εἰ ἄνθρωπός ἐστιν, ἤ τι ἄλλο θρέμμα et quae ſequuntur, quae et ipſa leguntur apud Iamblichum Protrept. 14. Eſt igitur οὐδὲν θαυμάζειν, nihil eorum, quae vulgus magna putat, magnifacere, iis non ſic, vt vulgo fit, affici et moueri; quo pertinet Horatii 1. Epiſt. 6, 1. monitum: *Nil admirari prope res eſt vna — Solaque quae poſſit facere et ſeruare beatum*, vid. ibi omnino Gesnerus.

Sed adhuc dicendam eſt de mutationibus textus, quas interdum ſe feciſſe A fatetur, non tamen niſi vbi probabilem in notis eius rei rationem reddiderit. Primum aliquot locis I, 6. 9. III, 2. 18. etc. adſcriptum vidimus, *Medium pro paſſiuo*. Coepimus dubitare, an his hac ſimplici praeceptione ſatisfactum, et non fortaſſe diligenti librorum editorum et ſcriptorum inſpectione magis conſultum fuerit; nam qui eandem de Futuri Medii pro Fut. paſſiui adhibendi conſuetudinem, cum aliis librorum veterum Interpretibus obſeruat

ad

ad Xenoph. Mem. S. III, 7. 9. Cel. Erneſti, addit etiam, cautioneopus eſſe in talibus, quia ſatis ſciat, et multis locis obſeruauerit, libros inter haec duo futura fluctuare, et paſſiuum in medium a librariis ſaepe mutatum. Iam, multis praetermiſſis, nam ſpecimina tantum damus, ibidem verba ſunt III, 2. 19. in hac editione ſic edita: βούλοιο ἄν σοι τὴν νῦν ἀεργὸν οὖσαν χώραν ἐνεργὸν γενέσθαι, nempe extrito γῆν, quod pro gloſſemate habebat alterius, χώραν, et hoc vocabulo in eius locum recepto. Neque tameo ſic ſtatuere neceſſe eſt, cum poſſit vtrumque vocabulum profectum eſſe ab Xenophonte, qui orationem fortaſſe variare voluerit, nec, quod paullo ante praeceſſerat, ideo hic erat excludendum. Certe ἀργὸν γῆν citat ex huc loco Koenius ad Gregor. de Dialect. p. 25.

Ibid. nimirum III, 2. 11. Non paſſus eſt ſe moueri auctoritate Iungermani ad Polluc. (VII, 118.) et Valkenarii apud Pierſonum ad Moeridem (p. 254.) vt voces λιτοτόμοι vel λιθολόγοι reciperet pro vulgato λιθοδόμοι; quae lectio conſenſu editionum veterum, et teſtimonio Pollucis, qui hoc verbo Xenophontem hoc libro vti ait, confirmetur. At enim vero Polluci vtrum λιθοτόμοι an λιθοδόμοι in Xenophonte reperti ſint incertum eſt: illud certum, ex vno Xenophontis loco receptam in Lexica fuiſſe λιθοδόμος mirae compoſitionis vocem, vt recte iudicat Pierſonus. Contra quem quidem, vt linguae analogiae conuenientem probet, multa molitur Cel. Editor. Quae ſi valerent, probari quoque poſſet, ὑλοδόμοι veteres pro fabro lignario dixiſſe. Debebat autem hic diſtincte notari, quid in Cod. Guelferbytano haberetur.

At facilior fuit in alio loco refingendo III, 3. 44. vt contra Codd. Bodl. et Guelf. editionesque veteres, ex marg. Steph. et Leunclau. ed. a. 1594. ex ſententia Valkenarii ad Theocrit. p. 384. et codice ibidem laudato, pro κέκτησθε redderet πέπασθε: quod quamuis poeticum, tamen Xenophonteum eſſe eruditi iudicant, et alii eius loci demonſtrant.

Eidem

Eidem etiam vindicauit συναλίζεσθαι I, 2. 15. pro συναυλίζεσθαι, cum quo frequenter commutatur in libris ſcriptis et editis, et ita alios Xenophontis locos, et Suidam etiam corrigendum eſſe docuit. In quo demonſtrando vtendum erat *Alberto* Obſeruatt. ad Act. I, 4. et ad Gloſſarium N. T. p. 61. itemque *Pierſono* ad Moerid. p. 271. et *Heringa* Obſeruatt. Crit. p. 153. *Fiſchero* denique ad Theophraſt. Char. c. 7. p. 76.

Ad notas autem, quas recidendas eſſe diximus, ea quoque, quae P. 198. ad verba II, 3. 8. ἐγὼ δέ legitur. Neque enim ad voculam δέ Scriptori vindicandam opus eſſe videbatur Ciceronis locis ad Diu. IV, 6. *Ego vero, Serui vellem, vt ſcribis* etc. et IX, 5. *Mihi vero ad Nonas bene maturum videtur fore*, et ſimilibus, in quibus *vero* non tam Graecorum δέ putamus exprimere, quam καί, et vim habere affirmandi, vt ſit idem quod *ſane*, *vere*.

Et quoniam mentionem fecimus editionis minorum Opuſculorum Xenophontis, et ibi dubitatum eſſe meminimus, quid ſibi vellent in libro de Venatione, ab initio, ea verba, quibus Xenophon poſtulat venatorem eſſe debere Ἕλληνα τὴν φωνήν, de iis aliquid adiiciemus. Nempe ibi eodem iure legi, eodemque fere modo explicari poſſunt, quo apud Libanium in Corinthiorum actione; vbi myſtagogos, ait, diligenter initiandos ante omnia monuiſſe, vt manus puras animumque ſibi ſeruarent purum; καὶ τὴν φωνὴν Ἕλληνας εἶναι, *et vt in voce* ſiue *ſermone Graecos ſe praeſtarent*. Quod, quamquam profecto quidem ridiculum, vt ſcribit Caſaubonus *Exercitat. adu. Baron.* XVI, 43: quaſi faceret ad veram pietatem, Graeca potius quam alia lingua loqui; declarat tamen, quanta inter Graecos ſuae linguae reuerentia et admiratio fuerit.

EVRIPIDIS TRAGOEDIAE ET EPISTOLAE, ex editione IOSVAE BARNESII nunc recuſa. Accedunt fragmenta ex recenſione SAMVELIS MVSGRAVE, M. D. TOMVS II.

Lipſiae, ſumtu E. B. Schwickerti, Alph. 3. pll. 2. quaternis.

Et reliquas ſex vel ſeptem fabulas Euripidis hoc alterum volumen complectitur, et notas Barneſii, Quae repetita editio, cum exhibeat Barneſianum Euripidem integrum, librum valde rarum, aliquo inde tempore, et pretioſum, cum eum exhibeat commoda forma, nitidis litteris, ſplendidis chartis, ſumma diligentia expreſſum, etiamſi nihil aliud ad ſui commendationem afferret, non erat tamen fautoribus et emtoribus caritura. At ecce nouis acceſſionibus eam ornare, et nouam in gratiam adducere placuit. Etenim, dum typis haec exſcribuntur, praeſtans *Musgrauii* V. Cel. Oxonii publicatur editio. Quidquid autem in ea, vel libris ſcriptis, vel ingenio editoris, vel ſcholiis, quibus Barneſiana caret, ad illuſtrandum poetam relatum eſſet, id intellectum eſt ad huius etiam exempli cauſſas et rationem pertinere. Materies ergo ſuppetit tertii adhuc voluminis inſtruendi. Nam etſi Musgrauius egregiam Euripidi operam nauauit, nondum tamen omnia exhauſit, aut omnem Poetam iuuandi conatum irritum fecit; quin multa, quorum alia vel in medio poſita, vel accuratius indaganda eſſent, neglexit ac praetermiſit. Necdum ergo poenitebat conſilii, quaeuis praeſidia ad explicandum Poetam conquirendi. Quae igitur ex antiquis editionibus, et Stobaei libris, auxilia petenda ſint ſuſceptae cauſae profutura, ea nunc quidem intacta relinquentur: quae vero ex virorum docto-

rum

rum in ſingulas fabulas adnotationibus, ex inſtituto ſcriptis; ex interiectis paſſim in alienis et alia de cauſſa vulgatis libris, ad Euripidem pertinentibus obſeruatiunculis, emolumenta redundant, ea indagare, colligere, et in tertio volumine cum indice idoneo congeſta exponere, conſtitutum eſt. Cuius curae non ſuperuacaneae ſpecimen opera fragmentis Euripidis impenſa praebet. Haec igitur non ex Barneſiana, ſed Musgrauiana recenſione edita ſunt; diligenter tamen cum Barneſianis collata, adhibitis quoque doctorum Virorum, inprimis Valkenarii et Heathii animaduerſionibus, quarum Musgrauius mentionem non feciſſet. Nam quae vncis incluſa inter Musgrauianas notas conſpiciuntur, ea Editoris Lipſienſis ſunt, quae fere excerpta exhibent ex Valkenarii Diatribe ad fragmenta Euripidis, quae cum Hippolyto, tragoedia ab ipſo illuſtrata, prodiit, additis frequenter Criticorum quorumdam, qui proximo tempore exſtiterunt, ſententiis, veluti Toupii ad Longinum, Wyttenbachii, et aliorum. Cuius laboris vſum maxime ſentient ii, qui latius et fuſius illic diſputata, in breue contracta, cognoſcere malint; et quidquid diuerſo modo ab eruditis in literas relatum ad poetam ſpectat, vno velut oculo cupiant perluſtrare. Et quamquam nouarum artium et machinarum, ad verba poetae rimanda conſtituendaque adhibitarum, veſtigia non apparent: tamen vel iſtis, qui ingenio confiſi et vſu docti aliquid praeterea tentare velint, mirifice adiuuari poterunt. Nec illae tamen de leuioribus quibusdam, nimirum aut incuriae editorum, aut errore operarum admiſſis, admonitiones, ſpernendae ſunt, quae opportune nonnunquam inſeruntur; maioris autem momenti ſunt citationes veterum auctorum in quibus loca e fragmentis commemorantur, itemque dictorum ab Interpretibus, quae non minorem diligentiae laudem, quam vtilitatis commendationem habent. Quaedam percurrimus, et forte incidimus in illa, quae ex incertis Tragoediis n. LI. p. 483. e Stobaeo afferuntur:

Νεανίας γὰρ ὅστις ὢν Ἀρηστυγεῖ
Κόμη μόνον καὶ σάρκες, ἔργα δ' οὐδαμοῦ,

in mentem veniunt iſta Philonis I. vit. Moſ. p. 611. quibus alloquentem ignauos et petulantes paſtores inducit Moſen: βραχίονας καὶ πήχεις ἀργοὺς τρέφοντες οὐκ ἐρυθριᾶτε; χαῖται βαθεῖαι καὶ σάρκες ὑμεῖς ἐστὲ, οὐκ ἄνδρες. — εἰ δὲ νεανίαι κορικῶς ἤδη τρυφᾶτε, quae manifeſte ſunt ex iſtis expreſſa. Neque vero caret haec editio fragmentis ad incertas fabulas, quin etiam fortaſſe auctores incertos pertinentibus, quae Musgravius prorſus omiſerat; quae quidem partim ex Barneſii partim ex Heathii recenſione, criticis notulis illuſtrata, vt de defectu querendi emtoribus cauſa removeatur, ad finem reliquorum exhibentur. Quinque tandem ſequuntur epiſtolae quae Euripideae putantur, quibus paucae et breues quaedam Heathii explicationes adiectae ſunt. Parat Editor quoque diſſertationem de Rheſo, dramate Euripidi tributo, cum reliquis, quae memorauimus tertio volumini inſerendam. Ex quibus intelligent Graecarum literarum amantes, non ſolum quantis opibus, qui huic poetae prodeſſe velit, inſtructus eſſe debeat, ſed etiam quo fauore, Editoris, ſummo de Euripide bene merendi ſtudio incenſi, conatus et labores excipiendi ſint et proſequendi.

S. IVLII FRONTINI LIBRI QVATVOR STRAtegematicon, cum notis integris FRANCISCI MODII, GODESCALCI STEWECHII, PETRI SCRIVERII, et SAMVELIS TENNVLII. His accedunt, cum P. SCRIVERII, tum aliorum Doctorum ineditae Obſeruationes, curante FRANCISCO OVDENDORPIO, qui

et

Digitized by Google

*et ſuas adnotationes, variasque MStorum lectiones adiecit.
Editio altera, multo auctior et emendatior.*

Lugduni Batauorum apud Sam. et Ioann. Luchtmans, 1779.
Alph. 2. plagg. 1. octonis.

Hanc renouatam editionem debemus, cum immortali Oudendorpio, qui ſuas olim editas in hunc ſcriptorem obſeruationes accurate ſub examen vocauit et expoliuit, tum eius filio, penes quem iſtae repetitae curae prelo ſic paratae, vt non in margine libri adnotatae, ſed ſtudio elaboratae, et in ſeparatis chartulis perſcriptae eſſent, ſeruabantur, qui et Praefationem praemiſit. Iis, quae ab Oudendorpio noua acceſſerunt, ea quae antea ſcripſerat, partim illuſtrantur et confirmantur, partim emendantur, quibusdam etiam locis ſcriptoris nouae prorſus notulae adiectae conſpiciuntur. Additae ſunt ineditae *Iani Parrhaſii*, ex apographo Iſaaci Voſſii deſcriptae. Sed iſtae ſunt pauciſſimae, nec magni momenti. Idem fere dicendum eſt de *Iohannis Buherii*, Senatus Diuionenſis quondam praeſidis, animaduerſionibus, quas ex eius literis, perlecta priore Editione ad Editorem datis, excerptas, ſimul accipimus. De Ioh. Frider. Herelii V. Ill. animaduerſionibus criticis alio a nobis tempore dictum eſt; doctae habentur et ingenioſae, audaciores tamen quam oportebat. Hae inueniuntur ad finem ſeorſim, non integram adhuc plagulam implentes, deſumtae ex editione Schwebelii Lipſiae a. 1772. in lucem emiſſa. Fortaſſe Ruhnkenii V. Cl. auctoritate, quem nonnullas eius coniecturas comprobaſſe, et hanc editionem adornandam conſilio et re iuuiſſe, accepimus, cui et ipſi hac de cauſa plurimas debemus gratias, inſertae ſunt. Sed quisque maxime in aeſtimanda hac editione acceſſiones

Digitized by Google

Oudendorpio adſcribendas reſpiciat, quarum quaedam ſpecimina lectorum cauſſa poſuimus, adſperſis interdum qualibuſcunque noſtris dubitationibus. I, 5. §. 1. *quum flumen traiicere haberet.* Quod *habeo* ponatur cum infinitiuo pro debeo, vel pro gerundio neceſſitatis, indignum eſſe dicitur aeuo Frontini. Atqui nec ab aeuo Ciceronis alienum eſt dicere: *habeo ſcribere, narrare, dicere* etc. Itaque omiſſam eſſe vocem *neceſſe* ſibi perſuaſiſſimum eſſe ſcribit, prolatis locis, altero Quintiliani L. VIII, 5. ed. Obrecht. et Vegetii III. 4. vbi *neceſſe habeant* et *neceſſe habet* exciderit. Sed mirum tamen, quo fato illa vox tam frequenter omiſſa ſit, aut cur eius inſitio apud melioris et remotioris tantum aetatis, non item recentioris et ſequioris aeui ſcriptores ſuſcipienda videatur? I. 12. §. 1. *Et, ludite, inquit* (Scipio), *Africam obpreſſi.* Haec verba longam pepererunt notam, e variorum interpretum collatis dilatatam. Oudend. iam olim *audete* praetulerat. Buherius nihil mutat, ſed *ludite*, facite quod laeti victores ſolent, interpretatur. Sane ſi pueros, non milites alloqueretur. Aliter gaudent pueri, aliter viri. Et quod *audete* ſuſpicionem periculi nondum depulſi, ſed imminentis praebeat, id nihili eſt. Oudendorp. iterum commendat *audete*, ex MStis, in quibus *audite* reperit, confirmatque locis idoneis Lucani X, 397. Sueton. Ner. 23. quae lectio videtur alteri *gaudete*, quam idem proponit ex coniectura, praeferenda. II. 4. §. 12. *conſternati equi — — peditum ſuorum ordines protriuerunt, vincendosque hoſti praebuerunt.* Hic argutatur Oudendorp. quum nimis graue hoc loco verbum *proterere* ideo putat, quod, qui iam a ſuorum equis protriti ſint, non poſſint hoſtibus vincendi praeberi. Quis non videt, non eſſe haec ad viuum reſecanda, ſed nihil aliud dici, quam magnum numerum peditum ab equis conſternatis protritum eſſe, reliquos, ne eadem clade et pernicie ipſi quoque interimerentur, metu, confuſos, ad pugnandum ineptos, et hoſtium violentiae obnoxios redditos fuiſ-

fuiſſe. Nam equorum irruentium impetum omnes aequali conſtantia excepiſſe milites, et, fortiter dicam, an ſtulte, eis ſuccubuiſſe, quis credat? Valeat ergo Codicis Medicei lectio, *proterruerunt*, quod verbum *proterrere* locum habet tum, cum de fuga ſermo eſt, de qua hic nihil, vt in locis Caeſar. B. G. I. 58. Virgil. Aen. XII, 291. II, 5. §. 4. *magnitudine telorum confecti.* De elephantis ſermo eſt, ad quos vulnerandos et conficiendos non tam magnis telis opus eſt, quam acutis et fortaſſe crebris. Itaque inclinabat eo, vt *magna vi telorum* legeretur. Herelius his admonitus ſubito emendat, *multitudine:* nec vero breuior expediendi loci modus reperitur. Sed hinc non ſequitur, eundem etiam certiſſimum et veriſſimum eſſe. Oudend. cogitare iubet, an *magnitudo* hic ſignificare poſſit *magnam multitudinem*, vti ſane adiectiv. *magnus* pro multo apud priſcos ſaepiſſime occurrit. *Magnitudinem copiarum* de multis copiis dixiſſe ſcribit Hirtium B. Alex. 26. addimus *magnitudinem pecuniae* pro multa pec. dixiſſe Tacitum. At iſti loci non ſatis ſimiles: nam ibi ob vocabula *copiae, pecunia,* quae notionem multitudinis includunt, melius *magnitudo* dici quam *multitudo* videtur. Sed quia Frontinus ſcribit, elephantos primum telis petitos eſſe, deinde milites, qui hoc facere iuſſi eſſent, receſſiſſe intra munimenta, tum belluas a rectoribus ad ipſam foſſam ante munimenta ductam actas eſſe, fortaſſe *magnitudo telorum* indicat lapides ex baliſtis et aliis tormentis eiectos, quorum intra munimenta copiam habere poterant, non in acie ipſa. Videant ergo acutiores. II, 7. §. 14. *eaque adſeueratione hoſtem terruit.* coll. 11. §. *hac adſeueratione periculum — — diſcuſſit.* Oudendorpius fruſtra ſcribit, nec hic Antipatrum, nec illic Catonem aliquid *adſeueraſſe;* quaſi vero aſſeueratio et affirmatio nihil differat. Et quamquam in his Actis Eruditorum A. 1731. p. 404. et poſtea per litteras admonitus fuiſſet, hanc vocem ſollicitandam non eſſe, et eam capi pro ſimulata quadam conſtantia ac ſecuri-

curitate rerum ſuarum: tamen fruſtra metuit, vt eo ſenſu occurrentis vocis exemplum proferri poſſit, et ab antiqua opinione, *adſimulatione* legendum eſſe, non diſceſſit. Atqui vocabulum *adſimulatio*, nec priſcorum auctoritate, nec librorum fide, maxime ſcriptorum, defenditur; at *aſſeueratio* ſ. *adſeu.* exquiſitae latinitatis vox, ea, qua dictum eſt notione, occurrit in Taciti libris aliquoties, Ann. II, 31. IV, 19. vbi Ven. Erneſti explicat: magna ſeueritatis et grauitatis ſpecie.. noue dictum. Ibid. c. 42. vbi monet intelligi poſſe conſtantiam. Recte. Nam adſeueratio eius eſt, qui aliquid dicit cum inſigni quadam ſeueritatis, grauitatis, et conſtantiae teſtificatione, qua efficitur, vt verbis, ſiue illis veritas, ſiue mendacium inſit, fides et obſequium praeſtetur: conf. etiam ad Plinii Paneg. c. 67. Schwarzius; ibi verba ſunt: *quae illa grauitas ſententiarum? quam in affectata veritas verborum? quae aſſeueratio in voce?* (i. e. in pronunciatione, ex antec.) *quae affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, geſtu, toto denique corpore, fides? Tenebit ergo ſemper, quod ſuaſorit* etc. II. 9. §. 2. *caput Hasdrubalis in caſtra Hannibalis eiecit.* Haec lectio defenditur contra Medic. cod. lectionem *traiecit*, nouis argumentis: Liu. VI, 8. *emiſſum ſignum in hoſtium aciem*, et ad eum locum laudatur Drakenborch. II. 12, §. 3. *ſimulatis auxiliis tutus ſe eſt.* Ita Cortius noſter ad Sall. Iug. 74. (quem occulte petit et rodit Oudendorpius, in antiqua ad h. l. nota, et aliis plurimis ſuarum in hunc auctorem notarum locis,) legendum putabat, et ipſe quondam Oudendorpius; Keuchenius tamen, *tuitus* vel *tutatus* legendum eſt ſuſpicatus. Nunc autem, quamuis in duobus vetuſtiſſimis MSS. Leidenſibus Plinii Lib. VII. praefat. ſe reperiſſe ait: *Truncos etiam arboresque, cortice, interdum gemino, a frigoribus et calore tuta eſt* et a m. ſec. *tutata*, tamen mutauit ſententiam, eamque lectionem *tuta* pro *tutata* librariis adſcribit, eandem ſyllabam repetere negligentibus. In quo ſequitur Drakenborchium ad Liuium X, 37. 2.

III.

III. 1. §. 2. *quum quatridui iter, biduo eripuerint.* Lectionem *eripuerint* olim recte defenſam, agnoſcit et nunc, etiam Heinſii ad Valer. Flacc. II, 252. auctoritate confirmat. Nec tamen erat, quod delere iuberet exemplum e Virgil. Aen. II, 619. *Eripe, nate, fugam,* quondam prolatum, et quod cum Burmano legendum putaret *Arripe.* Nam Ill. Heynius monuit, huius formae exemplum deſiderari; melius eſſe dicere, compoſitum pro ſimplici poſitum, vt mos Poetis, et quidem in hoc ipſo verbo infra VII, 119. *eripuit* pro rapuit, excepit, vbi iterum Burman. *arripuit* volebat, et ſimilia paſſim alibi, v. c. *eiicere, emittere* pro *iacere, mittere,* vid. Oudend. ſupra ad II, 9. §. 2. Neque enim *fugam eripere* eſt *fuga prohibere, eam adimere,* quod eſt argutari; ſed ſibi rapere ſ. vel etiam fuga ſe eripere, vt *implicare orbes,* pro implicare ſe, vel ſuum iter, curſum, orbibus et amfractibus: Virg. Aen. XII, 743. III, 9. §. 5. *clamoremque tolli iuſſit.* Quod iam pridem placuerat, pro *attolli,* et MSS. conſenſu, conſuetudineque loquendi confirmari demonſtrauerat, nunc in textum recipi iuſſit, poſteaquam etiam Drakenborch. ad Liv. X, 40. §. 14. ſaepius pro eo librarios *attolli* dediſſe docuerat. An ergo nunquam licuit priſcis dicere *clamorem attollere?* III. 10. §. 7. *quum Heracleae duarum partium praeſidio praepoſitus eſſet Lucullus.* Nunc probat ſimpliciter Tennulii coniecturam *cohortium.* IV. 1. §. 18. *donec bina hoſtium ſpolia ſinguli referrent.* Noua nota his verbis adſcripta docetur, ſic quoque Valer. Max. de iisdem captiuis remiſſis dicere: II. 7. §. 15. *ſi quis bina ſpolia ex hoſtibus retuliſſet.* Hinc clariſſime patere, emendandum eſſe Eutropium II. 13. de iisdem, *quam ſi bina notorum hoſtium occiſorum ſpolia retuliſſent,* pro vulg. *ſibi notorum,* pro quo Mercerus e Mſ. Leid. *ſi binorum hoſt.* IV. 1. §. 24. *Senatus, cum turpiter fugati eius milites eſſent, decreuit, ne auxilia eis ſubmitterentur* etc. Locus valde corruptus, e quo, vt Stewech. ait, vix ipſe Frontinus ſe expedierit, tan-

tum vndique errorum, tantum repugnantiae cum aliis hiſtoricis et ſecum ipſo. Oudend. etiamnunc ampliandum de eo cenſet, nec cum Waſſio ad Salluſt. B. Iug. c. 110. e Cod. Petrenſi pluribus reſectis ſic audet eum refingere: *et hiemem ſub tentoriis exigere, et ne auxilia eis ſubmitterentur legionibus, quae Punico bello militiam detrectauerant.* Quamuis ſic annalium fidei conueniret Frontinus, malit nunc nouum rurſus exemplum incipere, vt in Vett. Edd. eſt a voce *Senatus* et pro *eius* tentare *Cannis.* — IV. I. §. 31. *quum agger incenſus.* Affirmauerat in priſtina nota *aggerem terreum* vbique, non *terrenum* dici: iſtis nunc opponi iubet diſputata ad Sueton. Calig. c. 19. *Superiecto aggere terreno.* IV. 1. §. 33. *quidam a terra voce.* Vulg. *alta v.* In nota antiqua *altam vocem* pro *clara* a latinis dici negauerat; nunc, ſi MSS. iuuarent, τὸ *alta* non mutaturum ait, nam etiam ſe in Silio Italico inueniſſe XVI, 398. *percuſſus vocibus altis:* ſed cum aliud dent Codd. vnice verum eſſe *a terra*, et dici ſic, vt Virg. Ecl. VIII, 40. *a terra contingere ramos*, et Xenoph. Epheſ. p. 13. βοὴ ἀπὸ τῆς γῆς πολλή. IV. 1. §. 35. *ſecuri percuſſit.* Quae quondam non diſplicuerat lectio Ioh. Sarisberienſi, qui citat: *addixit ſecuri*, eam nunc poeticam, et ab ſimplici ſtilo ſcriptoris alienam, merito et eleganter, putat. Nam Horat. Ep. XVII, 11. *addictum feris, alitibus atque canibus Hectorem*, dixit, quamquam et Apuleius, poetam proſaicum agens, Metam. II, p. 40. *addictus noxio poculo*, quem geminum locum ipſe agnoſcit Oudend. niſi forte aliud quid latere, MSS. doceant. IV. 7. §. 17. *quibus ferax eſt Numidia.* Nunc demonſtrat, *ferax* et *fecundus* habere datiuum eius perſonae vel rei, in cuius vſum eſt fertilitas; ſed genitiuum vel ablatiuum eius rei, quam profert. Solennius quidem genitiuum, adeoque et hic e Cod. Petrenſi leg. *quorum.* Sed ſatis eſt exemplorum.

IO.

Digitized by Google

IOANNIS PAVLI MAHNERI, CVRIAE BRVNS-uicenſis Secretarii, Commentatio de Marco Aurelio Antonino, Conſtitutionis de ciuitate vniuerſo orbi Romano data auctore. Cum praefatione IO. FRIDERICI EISENHARTI, Iureconſulti et Anteceſſoris in Academia Iulia Carolina.

Halae et Helmſtadii, impenſis Hemmerdi, 1772.
114. pagg. in 8vo.

Hoc libro ſententia refutatur, quae inde a Spanhemii temporibus fere obtinuit, (de orbe Rom. Exercit. II. cap. 1—4.) autorem Conſtitutionis de ciuitate Rom. quam L. 17. D. de ſtatu Rom. legimus, non alium eſſe, quam Caracallam; atque ea Conſtitutio ſimul Marco Antonino vindicatur. Vt, quod verum eſt, dicamus, Mahnerus, dum miro modo in omnes partes ſe vertit, et argumenta Spanhemii leniora grauioribus eluſit, opinioni ſuae veri aliquam ſpeciem conciliauit: at fundamentum rei, teſtimonium illud, quod Dio Caſſius diſertis verbis perhibet, immotum manet: quo ſaluo, tota Viri diſputatio ſpecioſa ſane et arguta concidit. Locum illum Dionis, quum in hac re dominetur, eiusque autoritas quouis modo eleuanda fuerit Mahnero, propius contemplemur. Narrat ille in excerptis Valeſianis p. 745. Caracallam eſſe, a quo omnes orbis Romani incolae ciuitatem acceperint, eiusque rei varias cauſſas addit: at Dioni, qui ea tempeſtate vixit, ſummosque honores geſſit, in re tanti momenti errare vix licuit. Quid autor? dicit p. 16. quicquid ſit de teſtimonio, illud omne ſuſpectum eſſe, quod noſtro tempore alieno loco legatur, quippe cuius memoria nulla ſuperſit niſi in excerptis Valeſianis, quae ſint Saeculi decimi

compilatio: potuiſſe horum collectorem aut affingere Dioni, quae ipſe ſtatueret, aut aliqua Antoninorum permutatione, Conſtitutionem illam ad Caracallam referre; potuiſſe et librarii calamum aberrare. Etſi non negamus, nonnulla veterum loca hanc ob cauſam ſuſpecta eſſe, tamen, vt credamus illam ſuſpicionem et in hunc locum cadere, illud a nobis impetrare non poſſumus. Nam ſi paullo accuratius attendimus, apparet, non obiter hic Caracallae mentionem iniectam eſſe, ſic enim poſſet fieri Antoninorum permutatio, ſed data opera res eius excerptas eſſe ex L. LXXVII. Dionis, quod ex tota illa narratione patet; quae res tollit ſuſpicionem de vitio loci omnem. Reſtat igitur, vt aut eam plane abiiciamus, aut dicamus, quicquid hic ex Dionis L. LXXVII. legatur excerpti, illud omne ſuppoſitum eſſe: id quod nec Mahnerus audeat contendere, nec vlli credo perſuaſerit. Reliqua tela, quibus integritatem huius loci oppugnat, aut aberrant omnino, aut leuiter ſtringunt: ait enim, totam illam orationem ſic fere compoſitam eſſe, vt videantur Peregrini partim iam vectigalia pependiſſe, ob quae facta ſit illa Conſtitutio, id enim effici ex verbis: „Peregrinos pleraque horum vectigalium non pependiſſe:" at hoc nihil falſius dici poſſe: conſtare enim ex hiſtoria, viceſimas tantum ad ciues pertinuiſſe, nec Dionem, virum doctum, tantae negligentiae accuſandum eſſe, vt proferat quae a rei tum publicae temporibus toto coelo diſcrepent: actum igitur eſſe de fide huius loci. Sed nobis ſatis ſalua videtur. Fingamus verba διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν (ſc. τέλων) μὴ συντελεῖν, eſſe contr'a illorum temporum rationem: tamen nihil aliud ſequetur, quam verbis τὰ πολλὰ ineſſe vitium, ſiue illud a compilatore, ſiue a librario ſubortum ſit; ſed hanc ſolam ob cauſam totam narrationem de Conſtitutione Caracallae diſertam et copioſam reiicere, extremae audaciae foret, quam in Grammatico maxime improbamus. Nec adeo illa medicina opus eſt, aut quidquam eliminandum: poſſunt ea vecti-

galia

Digitized by Google

galia, quae peregrinis aeque ac ciuibus pendenda erant, diuerſa eſſe a viceſimis, ea nimirum, quae, praeter viceſimas in decimas mutatas, Caracalla primus inuexit. Nam vtrumque genus vectigalium, tum quod Caracalla inuenit, tum quod immutauit, cum et antea eſſet, decimae e viceſimis, hic arcte coniunctum eſt: inde verba, „Peregrinos pleraque (haec viceſimae ſunt,) horum vectigalium non pependiſſe," ergo quaedam pendebant, noua nimirum, quorum Caracalla autor fuit. Miror igitur, Mahuerum ſcripſiſſe p. 12. Dionis inſuper propoſitum fuiſſe, quod non praetereundum, auaritiam Caracallae deteſtabilem eiusque flagitia depingere, in aprico eſt. Nonne igitur maximo vitio ſcriptori vertendum eſſet, cum inter onera a Caracalla primum reperta, quaedam ad peregrinos non pertinentia, cuius rei cauſa ius ciuitatis impetraſſent, fuiſſent, ſi Dio haec palam facere neglexiſſet, et veram tyrannici Caracallae ingenii et auaritiae in augendo fiſco menſuram lectoribus celaſſet? Vix fieri poteſt vt totum locum Dionis perlegerit Mahuerus; is enim noua Caracallae vectigalia diſerte memorat, quamquam non nominet, quo nec opus erat in auaritia Imperatoris leuiter adumbranda: nec obliuiſcendum eſt, excerpta haec eſſe, hoc eſt non plenam Dionis ipſius orationem. Alterum argumentum contra fidem huius loci ſumtum eſt ex ſilentio Herodiani, Xiphilini, Zonarae. At, bone Deus, quotus quisque non lapſus eſt in huiusmodi quaeſtionibus ex alterius ſilentio ſoluendis. Herodianum res Imperatorum fuſius deſcribere noluiſſe, ſatis certum eſt: conſtat hoc etiam ex reliquorum vitis, Nam vt vnum Pertinacem nominem, in hoc omiſſa ſunt quae a Capitolino et aliis narrantur. Xiphilinus et Zonaras Dionis hiſtoriam excerpſerunt, et ob id ipſum non pauca omiſerunt. Quo iure igitur rem in dubium voces, quod illi de ea ſileant? Quis ignorat, eiusmodi argumentum facere quodammodo ad probabilitatem rei, ſi nulla apparet, magis eleuandam, non vero ad rem de qua

 ſa-

Digitized by Google

ſatis conſtat, omnino tollendam. Nihil igitur Mahnerus egit, quam quod omnia, et vel alieniſſima, in rem ſuam trahendo, ingenium non illepidum probarit legentibus.

Haec ſufficiant de argumentis, quibus Dio fruſtra in ſuſpicionem adductus eſt: felicius profligata ſunt Spanhemii argumenta leuiora, quorum et exiguam autoritatem eſſe non diffitemur. Iam legentibus rationes debemus Mahneri, quibus ſuam, vel potius priſcorum ante Spanhemium ſententiam ſtabiliuit: ſed totus in deſtruenda recentiori opinione, ſuae, priſcae, parum conſuluit, aut ſi qua ad illam confirmandam adduxit, ea iam a Spanhemio paſſim refutata ſunt.

Sammlung antiquariſcher Aufſätze,

i. e.

COLLECTIO COMMENTATIONVM ANTIquarii argumenti, auctore CHR. H. HEYNIO. PARS PRIMA, plagg. 15½. PARS SECVNDA, plagg. 17½. octonis.

Lipſiae, apud Weidmanni heredes et Reichium, 1778. et 79.

In tanto numero librorum antiquarii argumenti, quantum ſuperiori tempore prodiiſſe conſtat, multum adhuc deeſſe ſtudio antiquitatis intelligitur ab ea perfectione, quam aliae doctrinae cum remotiores ab illo, tum illi propiores et coniunctiores, hiſtoria, critica, diplomatica, recentiori aetate acceperunt. Caremus adhuc aliquo libro, cuius ope omnem ambitum huius doctrinae vno obtutu permetiri, et quid primum,

Digitized by Google

mum, quid ſecundum cenſere et iudicare liceat. Quantum numerum antiquorum operum ex quocunque genere ad noſtra tempora, quantaque integritate peruenisſe exiſtimandum ſit, nondum aliqua cum fiducia et certa perſuaſione conſtitui poteſt. De praecipuis quibusdam et primariis operibus parum accuratam notitiam habemus, culpa eorum, qui in his deſcribendis nimium breues, in aliis minoris momenti ſimulacris admodum verboſi reperiuntur. In ipſis his operibus intuendis, omiſſo, quod res et ratio iubet, ea quae in vulgaribus libellis L. Boſii et Nieuportii traduntur ad ea cognoſcenda conferri ſolent. Quod in iis ſpectandum potiſſimum eſt et attendendum, id fere ab iis principiis repetitur, quae animum ſtudiumque ab ipſo opere propoſito deflectant, et ad alieniſſima quaeque conuertant. Nempe, vitandus eſt eorum error, qui antiqua opera ea ſolum de cauſſa cognoſci volunt, vt hoc tanquam ſonte rerum priſcarum memoriam repetendam eſſe cenſeant, qui ea non niſi pro monumentis habent, quibus rerum actarum notitia conſeruetur, quos neceſſe eſt, vt res cum hoc ſtudio minime coniunctas conſociare laborent; nec aſſentiendum his, qui eatenus antiquorum operum ſtudium probant et commendant, quatenus inde quaedam adiumenta ad intelligendos interpretandosque Veteres ſcriptores parantur; nam hi admodum anguſtis finibus hoc ſtudium coercent, quo fit *Vt extra Iliacos muros peccetur et intra*, h. e. vt ad terminum, quem ſibi hoc ſtudium propoſitum habet, vel extrauagando, vel citius quam oportebat ſubſiſtendo, non perueniatur. Quare opus eſt, antiquariam doctrinam non ob alias cauſſas, ſed propter ſe ipſam tractare. Quod quomodo faciendum ſit, primus monſtrauit Winkelmannus, qui in Germania collectas humanioris litteraturae opes in Italiam transtulit, poſt longam et crebram multarum rerum cogitationem et obſeruationem, ſcriptis etiam quibusdam prodendis, quorum ſemper alterum alterius argumentum ſuppedi-

Digitized by Google

ditabat, quaſi per gradus ad hiſtoriam artis antiquae, (Geſchichte der Kunſt des Alterthums,) condendam delatus, ſtudium operum antiquorum in artis formam adduxit. Sed quia nimio ſaepe feruore et admiratione iſtarum rerum abripiebatur, ſolebat et multa praeterire, et multa fingere, ſecus quam oportebat. Caylus, Comes, nihil quod certis principiis et regulis niteretur, ſcripſit, illo noſtro populari, quoad eruditam antiquitatis notitiam, inferior, ſed in ipſa artis cognitione, ſiue in ſcientia operum antiquorum tractandorum et ſpectandorum, procul dubio maior cenſendus. Winkelmannus crebro laborat, argutatur, et torquetur, dum cupit explicare quid opus antiquum exprimat, et ſuae opinionis adminicula quaerit; hic autem ipſa in ſtructura operis rimanda et perſpicienda, multa recondita et abſtruſa, de quibus primo adſpectu nemo facile cogitat, aperire conſueuit. Poſtea Eques Dancaruillius, Volumine tertio et quarto vaſorum Hamiltonenſium, nouum aedificium, quod hiſtoriam artis ſiſteret, contexuit, ſatis ſpecioſum, ſed tam infirmis ac paene nullis fundamentis ſuperſtructum, vt vel digiti tactu collabatur. Adeo neceſſarium eſt criticam admouere rebus, hiſtoriae, et locis veterum auctorum, quos in partes vocamus, vſurpandis. Iſti autem Winkelmanniano libro, plerique, qui aliud huius generis ſcribunt, ita addicti ſunt, vt nihil fere aliud agant, quam vt eadem, ſine diligentia examinandi, repetant. Quae conſuetudo, quantum noceat ipſius ſtudii incrementis, facile intelligitur. At quae Heynius, Vir illuſtris et longe doctiſſimus, cuius ingenio omnem vim elegantioris doctrinae comprehenſam teneri, ſine aſſentatione dicere licet, in his, quas ſcripſit, commentationibus, exponit, ea ad illam quam commemorauimus Critices adhibendae normam, ad otioſam omnique cupiditate liberam cenſuram eorum, quae de arte operibusque et operum priscorum hiſtoria ſcripta ſunt, ad tot incertarum, et vel pro parte, vel prorſus falſarum aſſertionum correctionem, denique

que ad nonnullas, ſed exquiſitas, et in ſuo genere eximias ſponte natas admonitiones et obſeruationes, omnia referuntur. Debentur autem lectionibus, quas ſelectis quibusdam auditoribus, qui ſtudium antiquitatis appeterent, quotannis menſibus aeſtiuis ex aliquo tempore, tanta diligentia ſe habuiſſe ſcribit, vt in rebus, quas ſingulis vicibus traderet, inquirendis, meditandis, digerendis, denique refingendis et retractandis, et ad finem, et conſilium eiusmodi introductioni aptum accommodandis, nulli labori et operae parceret. In iis quae expediri poſſunt ſine itinere in eas terras atque vrbes, in quibus antiqua opera ipſis oculis adſpici poſſunt, operam ſuam profeſſus eſt. Et quotus quisque non ſcripſit et expoſuit neceſſario, ſiquidem nemini omnia, vel in ipſis locis qui eà de cauſſa adeuntur, videre contingit, de quibus ab aliis relatum accepiſſet. Igitur prima pars tres commentationes continet:

I. De throno Amyclei, antiquo opere Amyclae, in agro Laconico, ſecundum Pauſaniam.

Pauſaniae locus eſt Lib. III. c. 18. 19. p. 255. Is hic, ſicut alias multa contra ordinem narrandi omittit, quaſi ſcribens iis, quibus iam pleraque nota eſſent, aut quos qualemcunque iam rei notitiam habere putaret. Quod vitium narrationum Pauſaniae iam caſtigauit Cl. Morus in Diſſertatione *Defenſio narrationum N. T.* etc. §. 12. Hic attingit verba, ὡς δὲ δηλῶσαι συμβαλόντι, et explicat, vt συμβάλλειν ſit *coniecturis ad rerum vim percipiendam venire*; quod melius eſt quam aliorum explicatio, *breuiter dicere*, quam ſignificationem ab iſto verbo alienam eſſe peritos non latet. Expoſita autem narratione hiſtorici, et explanatius traditis eius contentis, digreditur Auctor ad alia memorabilia iſtius loci perſequenda. Mentio hic fit itineris ab Abbate Fourmontio illuc ſuſcepti, et rerum numero, et raritate admirandarum, quas ab illo repertas accepimus. In his inprimis eminet Inſcriptio βυστροφηδόν exarata, multo antiquior illa Sigaea, quam Chishullus edidit. Continet catalogum ſacerdotum, quod concedi poteſt; ſed vtrum Apollinis, an alius numinis, nondum

 ſatis

ſatis apparet. Legitur in *Nouveau Traité* de Diplomatique T. I. p. 615. pl. 5. Tum de Hyacintho, eius interitu, deque feriis in eius honorem per tres dies actis, lugubribus primo quidem die, ſecundo autem et tertio laetis, chorisque ſaltantium celebratis exponitur. Nec tantum in his feſtis Gymnopaediam, ſed in aliis quoque crebro adhibitam videri, vt ex locis a Meurſio in *Orcheſtra*, et Ruhnkenio ad Timaei *Gloſſ. Platon.* p. 54. allatis, intelligatur, opportune obſeruatur. Tandem de Bathycle, artifice tam ſtupendi operis agitur, de cuius aetate nihil Pauſanias, quamquam eius, vt videtur non ignarus, refert; ſed coniectura ductus exiſtimat, eum Solonis et Croeſi tempore, atque etiam iam ante illud, vixiſſe.

II. De conſueto more artificum, Veneris imagines ſiſtendi.

Duo diſſertationes de eodem argumento paucis abhinc annis prodierunt, altera Larcheri, altera Abbatis de la Chau; neutra tamen multum confert ad hiſtoriam fabularem antiquam, in intelligendis antiquis monumentis, et in vſu artificum magis illuſtrandam et conſtituendam. Nec quae *de Venere Cnidia* exſtat in Commentar. Acad. Petrop. T. IV. p. 259. Theod. Sigf. Bayeri diſſertatio multum artis et antiquariae notitiae continet. Iſte defectus hic ſuppletur. Nam ſatis apparet, Ill. Auctorem eius, varios modos Veneris ſiſtendae et cognitos et deliberatos habuiſſe, et idoneis quaeque argumentis ſuperſtruxiſſe. Primum de variis cognominibus Veneris v. c. *Mediceae*, *Cnidiae*, *Anadyomenes*, *Victricis*, *Genetricis* et ſ. p. deque eorum origine et attributis traditur; poſthaec obſeruatur, a recentioribus artificibus et antiquariis Veneris fingendae formas conflatas fuiſſe, et ita nonnunquam confuſas, vt vni cuidam peculiaria attributa etiam cum aliis communicarentur. Ad formam Mediceae Veneris multos figurarum muliebrium truncos eſſe refectos, et hoc nomine inſignitos, etiamſi ab illa quodammodo differant. Cauendum ergo eſſe, ne ex his reparatis truncis, et pro arbitrio

datis

Digitized by Google

datis nominibus, conſuetudinem antiquitatis et fabulas priſcas repetere et illuſtrare audeamus. In his etiam refectionibus alias aliis praeſtantiores eſſe admonetur; et quibus in locis vel deteriores, vel meliores reperiantur, indicatur. Hac occaſione etiam Winkelmanni temeritas in citandis et explicandis veterum ſcriptorum locis notatur.

III. De artificum epochis apud Plinium. Habet duas partes: prima parte quaerit A. de fundamentis earum; altera de fontibus, e quibus ductae ſint. Plinius ox ordine Olympiadum artifices commemorat, quod quam vim habeat non perſpectum eſt a Winkelmanno et aliis, qui putarunt, eum has ipſas conſtruxiſſe, et totidem quieſcentis et pacatae Graeciae interualla inde repetenda eſſe arbitrati ſunt. Cogitandum eſt, Plinium collectoris partes agere, relata referre; iſtas Olympiades ex aliis auctoribus receptas non eſſe peculiares artificibus epochas, ſed ſeries et ſectiones omnino hiſtoriae, cui inſerta haec artificum nomina repererat. Nec recte intellectum eſt verbum *floruit*, quo in iis commemorandis fere Plinius vtitur. Falſo putant, eo indicari illud tempus, quo opere quodam eximio perfecto quisquam ad celebritatem famae peruenerit; nam nihil aliud ſignificat, quam *innoteſcere, aetatem degere:* nec aliter Graecorum ἤκμασε, et ἤνθησε, quam ἐγνωρίζετο accipiendum eſt. Conf. Reiskius ad *Dionyſ. Halicarn* T. I. p. 632. Multorum hiſtoricorum veterum libri ſecundum ordinem Olympiadum compoſiti, quorum aliquot commemorantur, quos probabile eſt a Plinio conſultos, et in concinnandis artificum veterum aetatibus vſurpatos fuiſſe. Iam porro recenſentur aetates artificum ſecundum genera eorum, qui ex aere, tum pictorum, et qui e marmore opera faciebant. Primam epocham artis operum ex aere conflandorum ponit Plinius Olympiade LXXXIII. qui annus vindicatur contra Harduinum, qui ſequentem LXXXIV. ex MS. Pariſ. recepit, multisque totam rem obſcuritatibus inuoluit. Cauſa vero, cur ſic Plinio placuerit, non latet in pacato et tranquillo eorum temporum ſtatu Graeciae,

Digitized by Google

vt Winkelmannus putat, quam opinionem vt confirmaret, multa quae eſſent alieniſſima protulit, ſed in poteſtate Periclis, quam tum liberrimam habebat, et in eius ſtudio magnificis aedibus et ornamentis vrbis Athenienſis amplificandae et illuſtrandae. Hinc perficiendis Phidias adhibebatur; cuius praeclariſſimum opus, Minerua, ad eius inuidiam, criminationes et interitum pertinuit; de quibus rebus per digreſſionem diſſeritur. Sic etiam reliquae epochae Olympiadum pertractantur, quibus, ſicut in hac, mortem Cimonis, et poteſtatem ad Periclem delatam, deinceps belli Peloponneſiaci eruptionem, tum reſtitutam per Thraſybulum Graeciae pacem, ſic ſemper aliquod memorabile factum incidiſſe demonſtratur, quod ad hiſtoriam omnino et temporum mutationem, non vero ad artifices momentum habuerit; quod alicui Chronographo dignum viſum fuerit, cui memoriam hominum illuſtrium, qui iſtis temporibus vixiſſent, adeoque et artificum adderet. Multae in tota diſſertatione exquiſitae obſeruationes, contra Winkelmannum et aliorſum pertinentes, reperiuntur.

In ſecunda parte harum Commentationum ſex omnino diſſertatiunculae inſunt.

I. Exploratio quarumdam narrationum et aſſertionum de Laocoonte.

De hoc, quamquam multa ſcripta ſint, *inter* quae Winkelmanni et Leſſingii opuſcula eminent, tamen adhuc accurata eius operis deſcriptio deſideratur. Etiam delineatione, quae magnificam et grauem eius ideam aſſequatur, caremus. Haec diſputatio ſatis ampla eſt; tractatur autem de refectione (nam refectum eſſe concedunt omnes, quamquam non eodem modo,) operis, deinde quomodo repertum ſit, poſtea de idea operis, ſiue quid et quantum eo praefiguretur, denique de Plinii loco et Virgilii verbis, quoad cum illo vel conueniunt, vel ab eo recedunt. Omnia vero magnum ingenium et ſingularem, eruditionem Ill. Auctoris declarant.

II. De falſo et vero diſcrimine inter figuras Silenorum, Satvrorum Faunorum, et Panum. Haec

Haec oppoſita eſt contra opinionem vulgarem, quae in antiquariis ſcriptis cum aliorum, tum Winkelmanni, proponitur, et contra ſuam quondam ſententiam, cuius rationem, ſi reddenda erat, non reperiebat, qua aſſeritur Faunos eſſe, qui acutas aures habeant, et caudas breues; Satyros, qui capripedes ſint; Silenos autem eſſe Faunos ſenes. Ill. H. rem ita concipit, vt figuram Satyri et Sileni, ab antiquiſſimo inde tempore, nihil ab ea, quam nunc Faunorum et Silenorum formas dicimus, diſcriminis habuiſſe fateatur, eam nempe ab humana tantum acutis auribus et cauda breui diſtingui; at pedes caprinos, et magis pecuina, attributa Panum fuiſſe. Cum in Bachicis choris, et Satyricis fabulis ab initio adhibitae ſint, comicas eas formas videri; poetarum et artificum ingenio multas mutationes ſubiiſſe. Haec apud Graecos: Faunos ignorabant. At Romani Faunos ſuos Pani accomparabant, eisque pro arbitrio modo plus, modo minus, de pecuinis proprietatibus addiderunt.

III. De ſcriptoribus, quos Plinius in hiſtoria artificum ſequitur.

Hic primum ea proponuntur, quae ad accuratiorem notitiam ſcriptorum, quos adhibuit, adducunt; deinde quos potiſſimum auctores in hiſtoria artium, et in definiendis epochis artium, ad manus habuerit, demonſtratur. Sunt autem 1) domeſtici, tum 2) externi; de vtrisque ſecundum ordinem, quo ab ipſo Plinio ad librum trigeſimum tertium et trigeſimum quartum afferuntur, agitur. In quo Harduini indicem Auctorum, ſed mancum, et parum accuratum; cum Voſſio *de Hiſtoricis Gr. et Lat.* et indice Auctorum a Plinio laudatorum apud Fabricium *Bibl. Lat.* itidem imperfecto, adhibuit. Tum vero quos tam e Latinis ſiue domeſticis, quam e Graecis h. e. externis, quolibet loco vſurpaſſe videatur, et quae ex quibusque recepiſſe appareat, indicatur. Ita tractatur etiam index auctorum de pictura, libro trigeſimo quinto praemiſſus. Index libro trigeſimo ſexto praefixus continet nomina auctorum, qui de ſcalptura, ſiue de arte e

 mar-

marmore fingendi ſcripſerunt, in quibus eſt etiam C. Ictius, nomen prorſus inauditum. Harduinus ex MSS. affert *Ciccius*, et putat Cincius legendum eſſe, nondum tamen rem ad liquidum adducit. Ill. H. hic agnoſcit Cincium Alimentum, qui fuit ex antiquiſſimis Annalium ſcriptoribus, e temporibus belli Punici ſecundi. Vſus fuerat lingua graeca. Sed quinam Dionyſius intelligendus ſit, non reperire ſe ait. Affirmat autem, Plinium videri pleraque ex Latinis ſcriptoribus excerpſiſſe, Graecos, quatenus ab his eſſent citati, commemoraſſe. Tandem recenſio auctorum libro trigeſimo ſeptimo praemiſſorum finem huius diſputationis facit, cum hac admonitione: narrationes eius de artificiis non eſſe abſolutas, nec proprias indagationes exhibere: Plinium, qui quot et quomodo reperiſſet narrationes tantum collegerit et retulerit, non poſſe accuſari repugnantiae: omnem autem hiſtoriam artificii antiqui partim magna ope critices adhuc indigere, partim ſemper infirmam, raram, labaſcentem, hiantem, et leuiſſimis fundamentis nixam ſtructuram eius permanſuram eſſe.

IV. De Toreutica, potiſſimum apud Plinium.

Demonſtratur τορεύειν reſpondere latino verbo *caelare*, eo indicari opus elatum, ſiue quo vaſa aurea, argentea, aerea, exſtantibus figuris elaborentur, ſemper de eminentibus figuris, numquam de latentibus; ſed tales intelligi debere, quae formando et fundendo, non vero ſcalpendo reddantur. *Caelatura*, auctore Quintiliano, *eſt in auro, argento, aere:* quaerit etiam mox de notione verborum τορεύειν et τορνοῦν, vbi praeter vſitatam et notam ſignificationem, mentionem facit etiam rariorum, quod *tornus* videatur pro *caelo* (*Meiſſel, Schnitzmeſſer*) vſurpatus a Virgil. Ecl. 3, 38. Plin. 36. 18. 29. *lapides tornis duriores*. Hinc partim retractantur, partim confirmantur quae ad Virgil. *l. d.* p. 27. T. I et in Addend. T. IV. p. 213. ſq. ſcripſerat. Poetice magis, quam proprie locutus eſt Horat. A. P. 441. qui *tornatos verſus incudi reddendos* monet. Ita quoque Propert. 2, 34. 43. *anguſto verſus includere torno*, i. e. breuiore ſpatio, orbe, includere. Gell. 9, 8.

Digitized by Google

8. *ſententia detornata incluſaque verbis pauciſſimis.* In plurimis locis, vbi fit, a doctis, non opus eſt intelligere opus incruſtatum, ſiue emblematicum, quamquam priſcis Romanis non ignotum. Cur, ait, apud Ciceronem *caelatores*, *argentum caelatum* ad incruſtatas figuras trahuntur? *Extantem ſignis cratera* ap. Ouid. *Metam.* 12, 235. et Iuuenal 1, 76. *argentum vetus et ſtantem extra pocula caprum*, Salmaſius illuc refert; ſine neceſſitate: eſt illud exſtantibus ſignis conflatum opus, (*erhobne Gußarbeit*). Sic adeo in locis Plinii ſemper accipiendum eſt verbum, male relatum a multis ad opus illud quo figurae intra vaſa latentes, (grauure et ciſelure,) ope caeli vel ſcalpri fiunt.

V. Quaedam dilucidationes de eburneis operibus.

In hac diſputatiuncula agitur a) de modo eboris ſculpendi et elaborandi; b) de quibusdam ad antiquitatem et hiſtoriam pertinentibus. Multa inſunt, ad artificum notitiam inſtruendam profutura, et etiam communicata cum Ill. Auctore ab artifice quodam ſcientiſſimo tornatore aulae Danicae, Spenglero.

VI. Errores in explicandis antiquis operibus, ex inepta refectione prouenientes.

Quidquid de quouis antiquo opere dicitur, nugis adnumerandum eſt, niſi ante omnia confectum ſit et idoneis argumentis probatum, opus, ſicut eſt, antiquum eſſe. Si repletum et refectum eſt a manu artificis recentioris, ideo quia repertum erat mutilum, dici quidem poteſt quid eo exprimi putarit is qui illud refecerit, ſed non quid animo conceperit priſcus ille artifex. Ad hoc indagandum, antiquus truncus, ita vt eum reficiens opifex acceperat, reſtituendus eſſet. Sed plerumque, qua forma fuerit opus cum reperiebatur, neſcimus; et quantum recentioris ſit laboris. Atqui in quocunque opere, quod antiquario offertur, primum omnium quaeri debet, quibus et quot partibus et numeris ſuis priſcum ſit? Winkelmanno etiam in hoc genere multum debemus, a quo demonſtratum eſt, ineptas, et ab antiqua conſuetu-

tu-

Digitized by Google

tudine remotas figuras, ex reparatione recentiorum opificum eſſe. Sed in multis tamen magis primum adſpectum, quam diligentem conſiderationem ſecutus eſt, more Italorum, qui quodcunque opus antiquum, ideo quia ſic nominatur, vere priſcum et genuinum iactant. Ita largam materiam reliquit de idea artificis, fabula, conſuetudine, et more iudicandi, ei quoque, cui ipſa opera inſpicere non liceat. Nam oculorum iudicium quod de pulchritudine, apta partium compoſitione et artificio eſſe ſolet, ab illo, quod ope ingenii variaeque doctrinae, inprimis hiſtoricae et litterariae fit, diuerſum eſt. Hic autem primum quaeritur *de Tauro Farneſiano;* id monſtrum refectionis, ſiue monſtroſe refectum et reſarcinatum nominat: quamquam enim contra Plinii verba pugnet iſta renouatio, per quam multa ab eius deſcriptione abhorrentia, cum aliis vitiis recepit, tamen pro vetere totum et integrum habitum fuit, donec Winkelmannus et Caylus alias modo veteres, alias nouas habere partes indicarent. Et tamen multa ſuperſunt ad quae nemo animum aduerterat. Haec curioſus talium rerum hic prolata reperit. Nam ex antiqua fabula et narratione veterum quaeritur, an quoque res et ratio ſuadeat et permittat, vt figurae in iſto opere iunctae, pro legitime iunctis, et non potius pro temerarie cumulatis et otioſis, agnoſcantur.

Secundo loco agitur de ſic vulgo nominatis *gladiatoribus.* Ill. Auctor nullum, qui hoc genere comprehenduntur, vere gladiatorem fuiſſe, ſed aut athletas, aut milites. Nam Pauſanias et Plinius artifices commemorant, a quibus horum figurae elaboratae fuerint, gladiatorum autem mentionem faciunt nullam. Sed in horum repertis truncis reparandis, valde contra morem priſcae aetatis peccatum eſt. Idem factum eſſe in his, qui *milites* feruntur, quique *athletae* putantur, nunc demum lectis his, quae non tantum ingenioſe, ſed etiam operoſe laborioſeque reperta et demonſtrata ſunt, non eſt quod dubitemus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXXVI.

CONTINVATIO SCHEDIASMATIS, CVI TITVlus: Problemata quaedam ad methodum maximorum et minimorum ſpectantia, Auctore Archidiacono IOHANNE FRANCISCO DE TVSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patricio Romano et Senogallienſi.

In prima huius Schediasmatis parte egimus de quibusdam problematibus, quae aeque per calculum differentialem expediuntur, ſed geometrice pertractata facilem ſolutionem admittunt. Ex aduerſo in hac ſecunda parte dabimus Theoremata ad eandem methodum ſpectantia, quae adhibito calculo differentiali, quaſi nullo negotio inueniuntur, ſed geometrice pertractata multum laboris inuoluunt; ideoque conati ſumus, ſine vlla parue infinitorum ſuppoſitione,

Digitized by Google

ſola vſi ſimplici Geometria, ita demonſtrare, vt nihil Demonſtrationibus deſit aut rigoris, aut perſpicuitatis.

Theorema I. Fig. I.

Ex Angulis Trianguli B A D ducantur ad latera oppoſita rectae A C, B M, D N, ſe interſecantes in V. Dico quod ſequens ſubſiſtet aequatio

$$BC \times MD \times AN = CD \times MA \times NB.$$

Demonſtratio.

Ex punctis B, et D ducantur rectae B Z, D A, parallelae ad A C, quae rectis D N, B M protractis occurrant in punctis Z, et X. Per conſtructionem erit

$\frac{BC}{CD} = \frac{BV}{VX} = \frac{BZ}{XD}$; ideoque $BC = CD \times \frac{BZ}{XD}$; ſimiliter etiam $\frac{MD}{MA} = \frac{DX}{AV}$, et $MD = MA \times \frac{DX}{AV}$; conſequenter $BC \times MD = CD \times \frac{BZ}{XD} \times MA \times \frac{DX}{AV}$; id eſt $BC \times MD = \times CDMA \times \frac{BZ}{AV}$. Pariter $\frac{AN}{NB} = \frac{AV}{BZ}$; ideoque $AN = NB \times \frac{AV}{BZ}$; et ducendo hanc aequationem in praecedentem

$$(1)\ BC \times MD \times AN = CD \times MA \times NB.$$

Q. E. D.

Co-

Digitized by Google

Corollarium I.

Patet quod $\frac{\text{Triang. } BAC}{\text{Triang. } ACD} = \frac{BC}{CD}$; $\frac{\text{Triang. } BMD}{\text{Triang. } BAM} = \frac{MD}{AM}$; $\frac{\text{Triang. } NDA}{\text{Triang. } NDB} = \frac{NA}{NB}$, ergo

$$\frac{\text{Triang. } BAC}{\text{Triang. } BAD} \times \frac{\text{Triang. } BMD}{\text{Triang. } BAM} \times \frac{\text{Triang. } NAD}{\text{Triang. } NDB} =$$

$\frac{BC \times MD \times AN}{CD \times MA \times NB}$ et per Theorema

$$\frac{\text{Triang. } AC \times \text{Triang. } BMD \times \text{Triang. } NAD}{\text{Triang. } BAD \times \text{Triang. } BAM \times \text{Triang. } NDB} =$$

Corollarium II.

Denotet tam q, quam p, quemuis numerum poſitiuum, vel negatiuum, ſi ſequentes binae locum habeant proportionalitates

$$DA^q . BA^q :: AM^p . MD^p$$

$$DB^q . DA^q :: AN^p . NB^p$$

ſequens quoque ſubſiſtet

$$BA^q . DA^q :: CD^p . BC^p .$$

Nam per primam et ſecudam erit

$$MD^p = AM^p \times \frac{BA^q}{DB^q}$$

$$AN^p = NB^p \times \frac{DB^q}{DA^q}, \text{ ideoque}$$

Digitized by Google

$$MD^p \times AN_p = AM^p \times NB^p \times \frac{BA_q}{DA_q}$$

ſed eleuando aequationem (1) ad poteſtatem p

$$BC^p \times MD^p \times AN^p = CD_p \times MA^p \times BN^p.$$

Factis igitur debitis ſubſtitutionibus in priori parte aequationis praecedentis, eadem euadet

$BC^p \times AM^p \times NB_p \times \frac{BA_q}{DA^q} = CD^p \times MA^p \times BN^p$, et diuidendo vtrinque per $MA^p \times BN^p$, erit $BC_p \times \frac{BA^q}{DA^q} = CD^p$; ideoque $BA^q.DA^q :: CD^p . BC_p$.

Theorema II. Fig. II.

Si in Triangulo B A D demiſſa ex Angulo A ad Latus B D recta A C, fuerit B C ad C D, vt BA^2 ad AD^2.

Dico, Producta $BA^2 \times CD^2$; $DA^2 \times BC^2$ ſimul ſumpta, id eſt $BA^2 \times CD^2 + DA^2 \times BC^2$ Minimum dare.

Demonſtratio.

Sumatur in Latere B D quoduis aliud punctum T. patet, quod

$BA^2 \times TC + 2DA \times TC > DA^2 \times TC$; ergo

$BA^2 \times TC > DA^2 \times TC$. Per hypoteſin

$2BA^2 \times CD = 2DA^2 \times BC$; ideoque vtrinque addendo

BA²

ad Nov. Act. Erud. A. 1776. Menſ. Oct. pag. 430. Sequ.




Fig. V.




Fig. VI.



Fig. XI.



Fig. XII.

Digitized by Google

Digitized by Google

$BA^2 \times (2CD + TC) > DA^2 \times (2BC - TC)$
et multiplicando per TC
$BA^2 \times (2CD \times TC + TC^2) > DA^2 \times (2BC \times TC - TC^2)$ ſed cum ſit tam $BA^2 \times (DC^2 - DC^2)$, quam $DA^2 \times (BC^2 - BC^2)$ aequalis nihilo erit vtrinque addendo $BA^2 \times ((DC^2 + 2TC \times CD + TC^2) - DC^2) > DA \times (BC^2 - (BC^2 - 2BC \times CT + TC^2))$; id eſt $BA^2 \times (DT^2 - DC^2) > DA^2 \times (BC^2 - BT^2)$, et transponendo $BA^2 \times DT^2 + DA^2 \times BT^2 > BA^2 \times DC^2 + DA^2 \times BC^2$. Q. E. D.

Theorema III. Fig. III.

Salua ſuppoſitione Theorematis praecedentis, ſi ex Angulo B ducatur ad Latus AD recta BM, quae ſecet AC in puncto V, et fuerit, DM ad MA, vt BD^2 ad BA^2, ducta ex Angulo D ad Latus BA recta DN, quae tranſeat per punctum interſectionis V. Dico, quod quantitas $BD^2 \times (AM^2 + AN^2) + DA^2 \times (BC^2 + BN^2) + BA^2 \times (DC^2 + DM^2)$ exhibet Minimum.

Demonſtratio.

Per Theorema praecedens

(A) $BA^2 \times CD^2 + AD^2 \times CB^2$ dat Minimum non ſecus ac

(B) $BD^2 \times AM^2 + AB^2 \times DM^2$

Sed per Corollarium II. Theorematis I. cum ſit in noſtro caſu $q = 2$; $p = -1$, habetur $BD^2 . AD^2 :: BN . AN$; ideoque per praecedens Theorema etiam

(D) $BD^2 \times AN^2 + AD^2 \times BN^2$ dabit Minimum. Iunctis ergo Minimis (A), (B), (C), riteque diſpoſitis, quantitas $BD^2 \times (AM^2 + AN^2) + DA^2 \times (BC^2 + BN^2) + BA^2 \times (DC^2 + DM^2)$ dabit Minimum. Q. E. D.

Theorema IV. Fig. IV.

Firma hypotheſi, quod demiſſa ex vertice A Triang. B A D ad baſin B D recta A C, ſit BA^2 ad DA^2, vt C B ad C D, ſi ex puncto C ducantur ad latera oppoſita B A, D A normales c s, c q. Dico, quod ſumma Quadratorum normalium c s, c q; id eſt $CS^2 + CQ^2$ exhibet Minimum.

Demonſtratio.

Demittatur ex vertice A ad baſin B D normalis A L. Per conſtructionem cum ſint ſimilia Triangula rectangula B L A, B C S, erit B A. A L: : B C. C S; ideoque

$CS = AL \times \frac{BC}{BA}$, et $CS^2 = AL^2 \times \frac{BC^2}{BA^2}$. Pariter per

ſimilitudinem Triangulorum A L D, D C Q, erit

$$CQ^2 = AL^2 \times \frac{DC^2}{DA^2}$$

$$CS^2 + CQ^2 = AL^2 \times \left(\frac{BC^2}{BA^2} + \frac{DC^2}{DA^2}\right) = \frac{AL^2}{BA^2 \times DA^2}$$

$\times (DA^2 \times BC^2 + BA^2 \times DC^2)$ ſed quantitas

$\frac{AL^2}{BA^2 \times DA^2}$ eſt quantitas conſtans, et per Theorema II.

quan-

Digitized by Google

quantitas ($DA^2 \times BC^2 + BA^2 \times DC^2$) eſt Minima, ergo etiam minima erit quantitas $CS^2 + CQ^2$. Q. E. D.

Corollarium I. Fig. V.

Si in Triang. B A D, angulus B A D fuerit rectus, ducta ex vertice A ad baſin B D normali A C. notum eſt, quod $BA^2 . AD^2 :: BC . CD$; ducta ergo ex puncto C ad latus A B, recta C S parallela lateri A D, et C Q ad Latus A D parallela lateri A B; erunt per hypotheſin rectae C S, C Q; ad latera B A, D A normales; conſequenter per Theorema $CS^2 + CQ^2$ dabit Minimum, iunctisque punctis S, et Q, cum ſit Angulus S C Q rectus, quadratum SQ^2 erit quoque Minimum, proindeque etiam minima recta S Q.

Corollarium II.

Conſequenter quantitas ($SA^2 + AQ^2 + CS^2 + CQ^2$) dabit Minimum.

Corollarium III.

$CS^2 + CQ^2 = BS \times SA + DQ \times QA$, ergo etiam quantitas $BS \times SA + DQ \times QA$ dabit Minimum.

Corollarium IV. Fig. VI.

Si ergo fuerit Triangulum rectangulum B A D Iſoſcele, cum ſit in hac hypotheſi $BS = SA$; $DQ = QA$, et Ang. S C B = Ang. Q C D, Triang. inſcriptum S C Q habebit Aream maximam, Summam Laterum minimam, et minimam quoque Summam eorundem Quadratorum.

Theo-

Digitized by Google

Theorema V. Fig. VII. et VIII.

Ducta ex vertice A Trianguli B A D ad baſin B D recta A C, ſi fuerit $\frac{DA}{BA}=\frac{CB}{CD}$. Dico quod baſis B D minimam intercipiet Laterum Summam; ideſt B A + A D erit Minimum.

Demonſtratio I.

Ducatur per punctum C quaeuis recta Q C R, quae occurrat lateribus A B, A D in punctis R, et Q, et ex puncto B recta B L lateri A B parallela, erit $\frac{QB}{QA}=\frac{BL}{AR}$; ſed cum ſit $\frac{BL}{CB}=\frac{DR}{CD}$, erit $BL=\frac{DR \times CB}{CD}$; conſequenter ſubſtituendo $\frac{QB}{QA}=\frac{DR \times CB}{AR \times CD}$; et $\frac{QB}{DR}=\frac{QA \times CB}{AR \times CD}$; ſed per hypotheſin $\frac{DA}{BA}=\frac{CB}{CD}$; ergo rurſus ſubſtituendo $\frac{QB}{DR}=\frac{QA \times DA}{AR \times BA}$; ſed productum A R × B A eſt manifeſte minus producto Q A × D A; ergo etiam D R minor erit Q B, et addendo vtrinque B A + A R, erit D R + B A + A R minor Q B + B A + A R; ideſt erit B A + A D minor Q A + A R. Q. E. D.

De-

Digitized by Google

Demonſtratio II.

Ducatur recta R S lateri A B parallela, eritque $\frac{BQ}{BC}=\frac{RS}{CS}$; ſimiliter per Conſtructionem $\frac{DA}{DR}=\frac{AB}{RS}$, ergo $\frac{BQ \times DA}{BC \times DR}=\frac{RS \times AB}{RS \times CS}=\frac{AB}{CS}$, et $\frac{BQ}{DR}=\frac{AB \times BC}{DA \times CS}$; ſed per hypotheſin $\frac{AB}{DA}=\frac{CD}{BC}$; conſequenter ſubſtituendo $\frac{BQ}{DR}=\frac{CD}{CS}$; ſed C S minor eſt C D, ergo etiam D R minor erit Q B, et vtrinque addendo B A + A R, erit D R + B A + A R minor Q B + B A + A R; id eſt B A + A D minor erit A Q + A R. Q. E. D.

Corollarium I. Fig. VIII.

Ex puncto C ducatur recta C M lateri A D parallela, et recta C O lateri A B parallela, eritque $\frac{BD}{BA}=\frac{CB}{BM}$; ideoque $BM=\frac{CB \times BA}{BD}$; ſimiliter $\frac{BD}{DA}=\frac{CD}{DO}$, et $DO=\frac{CD \times DA}{BD}$, proindeque B M. D O : : C B × B A. C D × D A; ſed per Theorematis hypotheſin, ſecundum antecedens aequale eſt ſuo conſequenti; ergo etiam B M = D O.

Corollarium II.

Per Triangula ſimilia B M O, C O D, $\frac{MC}{BM}=\frac{DO}{DC}$; ergo $MC \times CO = BM \times DO$, et per praecedens Corollarium, B M, ſiue D O erit media proportionalis inter C M, et C O.

Theorema VI. Fig. IX. et X.

Poſitis quae in Theoremate praecedenti: Si fuerit $\frac{BA^2}{DA^2}=\frac{CD}{BC}$, Dico, quod Summa Quadratorum BA^2+DA^2 erit Minima.

Demonſtratio

I.

Ex puncto C ducatur ad latus A D recta C O parallela lateri A B, et recta C S ad latus A B parallela lateri A D. Per ea, quae demonſtrauimus in prima Demonſtratione Theorematis praecedentis, $\frac{BC}{CD}=\frac{RA}{QA}\times\frac{QB}{RD}$; ſed per conſtructionem, $\frac{BC}{CD}=\frac{CS}{OD}$; $\frac{RA}{QA}=\frac{CS}{SQ}$, factis igitur debitis ſubſtitutionibus, $\frac{CS}{OD}=\frac{CS}{SQ}\times\frac{QB}{RD}$; et multiplicando per $\frac{SQ}{CS}$, $\frac{SQ}{OD}=\frac{QB}{RD}$, et inuertendo $\frac{OD}{SQ}=\frac{RD}{QB}$; erit igitur

OD

$$\frac{OD}{BS} \text{ maior } \frac{RD}{QB}.$$

II.

Per Triangula ſimilia BCS, COD; $\frac{CS}{OD} = \frac{BC}{CD}$; ergo per hypotheſin $\frac{CS}{OD} = \frac{DA^2}{BA^2} = \frac{CS^2}{BS^2}$, et multiplicando per $\frac{BS}{CS}$; $\frac{BS}{OD} = \frac{CS}{BS}$, et inuertendo $\frac{OD}{BS} = \frac{BS}{CS}$.

III.

Ducatur modo recta QZ parallela ad baſin BD, quae occurrat lateri AD protracto in Z, eritque $\frac{2AB}{BQ} = \frac{2AD}{DZ}$, et componendo $\frac{2AB+BQ}{BQ} = \frac{2AD+DZ}{DZ}$, et permutando $\frac{2AB+BQ}{2AD+DZ} = \frac{BQ}{DZ}$, ſed per Conſtructionem $\frac{BQ}{DZ} = \frac{BA}{DA} = \frac{BS}{CS}$, erit igitur $\frac{2AB+BQ}{2AD+DZ} = \frac{BS}{CS}$, et per Articulum praecedentem $\frac{2AB+BQ}{2AD+DZ} = \frac{OD}{BS}$; ideoque per Articulum I. Proportio quam habet $2AB+BQ$ ad $2AD+DZ$ maior erit proportione quam habet RD ad QB, ideoque per 16. VI. Productum ($2AD \times RD + DZ \times RD$), id eſt Productum ($2(AR+RD) \times RD + DZ \times RD$) minus erit Producto ($2AB \times BQ + BQ^2$), et

et auferendo a priori producto $DZ \times RD$; multo magis Productum $2\,(AR + RD) \times RD$ id eſt Productum $(2\,AR \times RD + RD^2)$ minus erit producto $(2\,AB \times BQ + BQ^2)$, ergo vtrinque addendo $BA^2 + AR^2$ erit quantitas $(BA^2 + (AR^2 + 2\,AR \times RD + RD^2)$ minor erit $(AR^2 (BA + ^2 + 2\,AB \,|\times BQ + BQ^2)$, id eſt Quadrata BA^2; AD^2; AD^2 minora erunt Quadratis AR^2; AQ^2. Conſequenter $BA^2 + AD^2$ dabit Minimum. Q. E. D.

Corollarium I.

Patet et Conſtructione, quod $\frac{BC}{CD}=\frac{BS}{CO}$; ideoque per hypotheſin $\frac{BS}{CO}=\frac{DA^2}{BA^2}=\frac{SC^2}{BS^2}$, et $BS^3=SC^2 \times CO$, atque extrahendo $BS = SC^{\frac{2}{3}} \times CO^{\frac{1}{3}}$.

Corollarium II.

Per Conſtructionem $\frac{BS}{SC}=\frac{CO}{OD}$, ideoque $OD = \frac{SC \times CO}{BS} = SC^{\frac{1}{3}} \times CO^{\frac{2}{3}}$ per praecedens. Coroll.

Corollarium III.

Si inter C S, et C O prima quaeratur duarum continue proportionalium, haec erit B S; nam ſuppoſito, quod haec fuerit X, ſequens habebitur proportionalitas

CX.

Digitized by Google

$CX . X :: \frac{X^2}{CS} . \frac{X^3}{CS^2}$; ideque per hypotheſin $CO = \frac{X^3}{CS^2}$, et $CS^2 \times CO = X^3$, atque extrahendo $CS^{\frac{2}{3}} \times CO^{\frac{1}{3}} = X$.

Ideoque per Corollarium I. $X = BS$. Conſimili ratiocinio demonſtrabitur, D O primam eſſe duarum continue proportionalium inter C O, et C S.

Theorema VII. Fig. XI. et XII.

Si ex vertice A Trianguli B A D demiſſa ad Baſin B D normali A P, ſumatur ſegmentum B C aequale alteri D P, et per punctum C ducatur quaeuis recta, quae occurrat lateribus A B, A D in punctis S, et T, Dico, baſin B D eſſe Minimam.

Demonſtratio.

Per Triangula ſimilia APB, BFT; $\frac{AP}{PB} = \frac{TF}{BF}$; ideoque $BF = \frac{PB \times TF}{AP}$, per Triangula ſimilia A P D, D G Q, $\frac{AP}{PD} = \frac{DG}{GQ}$, et $GQ = \frac{PD \times DG}{AP}$; conſequenter $\frac{BF}{GQ} = \frac{PB \times TF}{PD \times DG}$; ſed $\frac{TF}{DG} = \frac{CF}{CD} = \frac{CF}{PB}$ per hypotheſin; ergo ſurrogando $\frac{BF}{GQ} = \frac{PB \times CF}{PD \times PB} = \frac{CF}{PD} = \frac{CF}{CB}$ per hypotheſin; ſed C F eſt manifeſte minor C B, ergo etiam B F mi-

Digitized by Google

minor erit G Q, ideoque etiam minor G S; ſed quoque D F minor eſt G T; ergo B F + F D minor erit GS+GT, hoc eſt, baſis B D minor erit recta T S. Q. E. D.

Corollarium I. Fig. XIII.

Si Angulus B A D fuerit rectus, cum per hypotheſin B C = P D, erit etiam B P = C D; ideoque cum ſit $\frac{BA^2}{AD^2} = \frac{BP}{PD}$, erit $\frac{BA^2}{AD^2} = \frac{CD}{BC}$; conſequenter per Theorema praecedens $BA^2 + AD^2$ dabit Minimum.

Corollarium II.

Ergo per Theorema $BA^2 + AD^2 + BD^2$ exhibet Minimum.

Corollarium III.

Ductis ergo ex puncto C ad latera oppoſita normalibus C S, C D, per Corollar. III. Theorematis praecedentis, erit B S prima duarum mediarum continue proportionalium inter C S, et C O, et D O prima duarum mediarum continue proportionalium inter C O, et C S.

Theorema VIII. Fig. XIV.

Si ex vertice A Triang. B A D demiſſa ad baſin B D recta A C fuerit $\frac{BA}{AD} = \frac{\text{ſin. } CAD}{\text{ſin. } CAB}$, recta A C baſin bifariam diuidet in C.

De-

Demonſtratio.

Ex puncto C ducatur ad latus AB recta CS lateri AD parallela, eritque per conſtructionem Ang. SCA = Ang. CAD, et per Elementa trigonometrica $\frac{\text{ſin. SCA (CAD)}}{\text{ſin. SAC } (B\overline{AC})}$ $= \frac{SA}{SC}$, ergo per hypotheſin $\frac{BA}{AD} = \frac{SA}{SC}$; ſed per Conſtructionem $\frac{BA}{AD} = \frac{BS}{SC}$; ergo $\frac{SA}{SC} = \frac{BS}{SC}$; conſequenter SA = BS, et per Conſtructionem CD = BC. Q. E. D.

Corollarium I. Fig. XIV. et XV.

Ducta per punctum C quauis recta QCT, quae occurrat lateribus BA, AD in punctis Q, et T, Triangulum BAD erit Minimum.

Nam ducta recta DS lateri AB parallela, Triangula QCB, DCS erunt ſimilia, et per Theorema etiam aequalia, ideoque Triang. DAB = quadrilat. DSQA, proindeque Triang. BAD minus erit Triang. TAQ.

Corollarium II. Fig. XV.

Sit recta QAQ normalis ad AC, et ſuper baſin BD erectum quoduis Triangulum BQD, cuius vertex ſit in ex recta QAQ, Summa Quadratorum Laterum BA, AD, erit Minima.

Nam ducta recta QC

$BA^2 + AD^2 = 2(CA^2 + BC^2)$

$BQ^2 + QD^2 = 2(QC^2 + BC^2)$

Sed

Sed $CA^2 + BC^2$ minor eſt $QC^2 + BC^2$, ergo etiam $BA^2 + DA^2$ minor erit $BQ^2 + QD^2$.

Theorema IX. Fig. XVI. et XVII.

Baſis B D Triang. B A D ſit aequaliter diuiſa in C, ſi ex eodem puncto C ad latera B A, D A, demiſſae fuerint normales C S, C T, Dico, quod illarum productum, *id* eſt C S X C T erit Maximum.

Demonſtratio.

Ex vertice A ad baſin B D demittatur normalis A P, quae illi, ſi opus fuerit, productae occurrat in P.
Per Triang. rectangula ſimilia B A P, B S C

$$\frac{AB}{AP} = \frac{BC}{CS}, \text{ et } CS = \frac{AP}{AB} \times BC.$$

Pariter per Triang. rectangula ſimilia A D P, C D T

$$\frac{AD}{AP} = \frac{CD}{CT}, \quad \text{et } CT = \frac{AP}{AD} \times CD; \text{ ergo } CS \times$$

$$CT = \frac{AP^2}{BA \times AD} \times BC \times CD, \text{ ſed } \frac{AP^2}{BA \times AD}$$

eſt quantitas conſtans, et productum B C X C D per XXVII. ſexti eſt maximum, ergo etiam productum C S X C T erit Maximum.

Corollarium.

Ducta ergo A C, poſitaque pro radio ſin. C A B X ſin. C A D dabit Maximum.

Theo-

Digitized by Google

Theorema X. Fig. XVIII. et XIX.

Ex vertice A Triang. B A D demiſſa recta A C, quae ſit diuidat baſim B D in C, vt ſit $BC = \frac{BD}{\sqrt{2}}$, deinde ſumpto in eadem baſi ad partes Anguli D A B ſegmento $DL = \frac{CD^2}{BC}$, ſi iungantur puncta A et L. Dico, Summam Triang. B A C, L A D dare Minimum.

Demonſtratio.

In ſigno ambiguo, ſuperius locum habet in Fig. XVIII. inferius in Fig. XIX.

I.

Sumatur in baſi B D quoduis aliud punctum F, et ſit ſegmentum $GD = \frac{FD^2}{BF}$.

Cum ſit per hypotheſin $BC = \frac{BD}{\sqrt{2}}$, erit $CD =$

$$BD \times \frac{(\sqrt{2}-1)}{\sqrt{2}} \quad LD = \frac{CD^2}{BC} = BD \times \frac{(3-2\sqrt{2})}{\sqrt{2}};$$

ideoque

$$(1) \quad BC + LD = BD \times \frac{(4-2\sqrt{2})}{\sqrt{2}}.$$

II.

$FD = CD \pm FC = \frac{(BD \times (\sqrt{2}-1) \pm FC\sqrt{2})}{\sqrt{2}}$, et quadrando

(2) $FD^2 = (BD^2 \frac{(\sqrt{2}-1)^2 \pm 2BD \times FC \times (2-\sqrt{2})}{2} + 2FC^2)$;

(3) $BF = BC \mp CF = \frac{(BD \mp CF\sqrt{2})}{\sqrt{2}}$, ergo diuidendo aequationem (2) per aequationem (3); $\frac{FD^2}{BF}$; id eſt per hypotheſin $GD =$

$$(BD^2 \times \frac{(\sqrt{2}-1)^2 \pm 2BD \times FC \times (2-\sqrt{2}) + 2FC^2)}{\sqrt{2} \times (BD \mp CF\sqrt{2})},$$

ergo addendo poſtremae aequationi aequationem (3), recteque diſpoſita aequatione $BF + GD =$

$$\frac{(4BD^2 - 2\sqrt{2} \times BD^2 + 4BD \times FC \pm 4\sqrt{2} \times BD \times FC + 4FC^2)}{\sqrt{2} \times (BD \mp CF\sqrt{2})};$$

ergo diuidendo per praecedentem aequationem (1), ſequens orietur proportionalitas $\frac{BC + LD}{BF + GD} =$

$$\frac{BD \times (4 - 2\sqrt{2}) \times (BD \mp CF\sqrt{2})}{(4BD^2 - 2\sqrt{2} \times BD^2 + 4BD \times FC \pm 4\sqrt{2} \times BD \times FC + 4FC^2)}$$

hoc

Digitized by Google

hoc eſt $\frac{BC+LD}{BF+GD}=$

$$\frac{(4BD^2-2r2\times BD^2+4BD\times FC+4r2\times BD\times FC)}{(4BD^2-2r2\times BD^2+4BD\times FC+4r2\times BD\times FC+4FC^2)}$$

ſed ſecundum antecedens minus eſt ſuo conſequenti, ergo etiam quantitas B C + L D minor erit quantitate B F + G D.

III.

$\frac{\text{Triang. } BAC}{\text{Triang. } BAD}=\frac{BC}{BD}$; $\frac{\text{Triang. } LAD}{\text{Triang. } BAD}=\frac{LD}{BD}$; ideoque $\frac{\text{Triang. } BAC+\text{Triang. } LAD}{\text{Triang. } BAD}=\frac{BC+LD}{BD}$. Pari modo demonſtrabitur $\frac{\text{Triang. } BAF+\text{Triang. } GAD}{\text{Triang. } BAD}=\frac{BF+GD}{BD}$; ergo $\frac{\text{Triang. } BAC+\text{Triang. } LAD}{\text{Triang. } BAF+\text{Triang. } GAD}=\frac{BC+LD}{BF+GD}$, et per Articulum praecedentem Summa (Triang. B A C + Triang. L A D) minor erit Summa (Triang. B A F + Triang. G A D). Q. E. D.

Corollarium I. Fig. XX.

Si in Angulo rectilineo D B A Latus B D ſic fuerit in C diuiſum, vt $BC=\frac{BD}{r2}$, et in latere B A ſumatur BX=DC,

deinde iunctis punctis C, et X, ex puncto D ducatur ad Latus B A recta D P parallela ad C X. Patet per Conſtructionem, quòd $X P = \frac{C D^2}{B C}$, conſequenter per ea, quae in Theoremate demonſtrauimus, ſegmentum B C lateris B D iunctum ſegmento X P lateris B A dabit Minimum.

Corollarium II. Fig. XXI.

Diuiſo latere D A Triang. B A D in C, ita vt ſit $C D = \frac{D A}{\sqrt{2}}$ ductaque recta A S parallela baſi B D, ſi ſuper eadem baſi B D, et inter easdem Parallelas erigatur Triang. B S D, cuius Latus B S tranſeat per punctum C; Triang. B C D, A C S, ſimul iuncta, dabunt Minimum.

Nam $\frac{\text{Triang. } B C D}{\text{Triang. } B C A} = \frac{D C}{C A}$; et $\frac{\text{Triang. } A C S}{\text{Triang. } B C A} = \frac{C A}{C D}$, ergo $\frac{\text{Triang. } B C D + \text{Triang. } A C S}{\text{Triang. } B C A} = \frac{D C}{C A} + \frac{C A}{C D} = \frac{D C^2 + C A^2}{C A \times C D}$; vlerius $\frac{\text{Triang. } B C A}{\text{Triang. } B A D} = \frac{C A}{D A}$, ergo per rationem ordinatam $\frac{\text{Triang. } B C D + \text{Triang. } A C S}{\text{Triang. } B A D} = \frac{1}{D A} \frac{(D C^2 + C A^2)}{D C}$; conſequenter Triang. B C D + Triang. A C S = Triang. $\frac{B A D}{D A} \times \frac{(D C + C A^2)}{C D}$. Sed

Triang.

Triang. $\frac{BAD}{AD}$, eſt quantitas conſtans, et per praecedens

Corollarium $(DC + \frac{CA^2)}{DC}$ eſt quantitas Minima, ergo etiam Triang. B C D + Triang. A C S dabit Minimum.

Theorema X. Fig. XXII.

Ex vertice A Triang. B A D demiſſa ad baſin B D normali A P, ſi eadem baſis diuiſa fuerit in C, vt ſit

$\frac{BC}{DC} = \frac{PD \times AB^2}{PB \times AD^2}$, ſumpto in baſi quouis alio puncto:

Dico, quod quautitas A minor eſt quantitate B.

$$A = (BP \times AD^2 \times BC^2 + DP \times AB^2 \times DC^2)$$
$$B = (BP \times AD^2 \times BT^2 + DP \times AB^2 \times DT^2)$$

Demonſtratio.

I.

In quantitate B loco B T ſumatur B C $\mp$ CT, et DC $\pm$ C T loco T D, atque eadem euadet

$$B = \begin{cases} (BP \times AD^2 \times BC^2 + DP \times AB^2 \times DC^2 \\ + BP \times AD^2 \times (TC^2 \mp 2 BC \times TC \\ + DP \times AB^2 \times (TC^2 \pm 2 DC \times TC \end{cases}$$

id eſt, erit

 B =

$$B = A + \begin{cases} (BP \times AD^2 + DP \times AB^2) TC^2 \\ \mp 2BP \times AD^2 \times BC \times TC \pm 2DP \times AB^2 \times \\ DC \times TC \end{cases}$$

et loco D C in vim hypotheſis ſubſtituendo

$\frac{BP \times AD^2 \times BC}{DP \times AB^2}$, erit $B = A. + (BP \times AD^2 + DP \times AB^2) TC^2$. Conſequenter quantitas A minor erit quantitate B. Q. E. D.

Corollarium I.

Salua Theorematis ſuppoſitione, ex puncto C ad latera A B, A D ducantur normales C N, C M, et per Triangula ſimilia B P A, B N C.

$\frac{AB}{AP} = \frac{BC}{CN}$; ideoque $CN = \frac{AP}{AB} \times BC$; $\frac{AB}{BP} = \frac{BC}{BN}$, et

$BN = \frac{BP \times BC}{AB}$; ideoque Triang. $BNC = \frac{AP}{2AB^2} \times BP \times BB^2$. Simili ratiocinio demonſtrabitur Triang. $DMC = \frac{AP}{2AD^2} \times DP \times DC^2$; Triang. BNC + Triang. $DMC = \frac{AP}{2AB^2 \times AD^2} \times (BP \times AD^2 \times BC^2 + DP \times AB^2 \times DC^2)$; ſed quantitas $\frac{AP}{2AB^2 \times AD^2}$ eſt Conſtans, ergo per Theorema Triangula B N C, D M C, ſimul iuncta, dabunt Minimum.

Co-

Corollarium.

Ideo quadrilaterum N C M A erit Maximum.

Theorema XI. Fig. XXIII.

In Circulo B E D F, cuius centrum A, Diameter recta E A F; ſumpto quouis Angulo B A F, qui minor ſit recto, demiſſaque ad Diametrum E F normali B C, dico quod ſequens ſubſiſtet aequatio $3\,BC^2 + CE^2 = EF^2 + 2\,AC \times CF$.

Demonſtratio.

Producatur recta B C donec Circulo occurrat in puncto D; conſtat quod $3\,BC^2 + CE^2 = 3\,EC \times CF + (EF^2 - 2\,EF \times FC + CF^2)$ et ſubſtituendo in producto $- 2\,EF \times FC$, $EC + CF$ loco EF, quod $3\,BC^2 + CE^2 = EF^2 + EC \times CF - CF^2$, nunc loco EC ſubſtituatur $2\,FA - FC$, eritque $3\,BC^2 + CE^2 = EF^2 + (FA - FC \times FC$ id eſt $3\,BC^2 + CE^2 = EF^2 + 2\,CA \times CF$ Q. E. D.

Corollarium I.

Si Angulus B A C fuerit grad. 60, notum eſt, quod recta B C aequaliter diuidit ſemidiametrum A F, ideoque Quadratum EF^2 cum ſit conſtans, et per 27. VI. productum $AC \times CF$ ſit Maximum, etiam quantitas $3\,BC^2 + CE^2$ dabit Maximum.

Co-

Corollarium II.

In hypotheſi Corollarii praecedentis patet, quod ſi iungantur puncta A, et D, Ang. B A D erit grad. 120, ideoque ductis rectis B E, E D, Triang. B E D erit aequilaterum, ſi ergo in quantitate $3\,BC^2 + CE^2$ loco CE^2 ſurrogetur $BE^2 - BC^2$, per praecedens Corollarium quantitas $BE^2 + 2\,BC^2$ dabit Maximum.

Corollarium. III.

Conſequenter eiusdem duplum etiam dabit Maximum, nempe $2\,BE^2 + 4\,BC^2$, ideoque Quadrata Laterum Trianguli aequilateri B E D circulo inſcripti ſimul iuncta dabunt Maximum.

Theorema XII. Fig. XXIV. et XXV.

In Circulo B A D F, cuius Centrum C, inſcribatur Triang. aequilaterum B A D. Dico, omnium Triangulorum, quae in eodem circulo inſcribi poſſunt Triang. B A D eſſe Maximum.

Demonſtratio in Caſu Fig. XXIV.

Supponimus notum, Triangulorum, quae ſuper eadem baſi in Circulo inſcribuntur, Iſocele eſſe Maximum. Hoc poſito ſuper baſin b d, lateri B D parallela inſcribatur Triang. Iſocele b A d, ducaturque Corda B d.

Cum Triang. B L D, A L d ſint ſimilia, $\frac{\text{Triang.}BLD}{\text{Triang.}ALd}$ $= \frac{BD^2}{Ad^2}$, ſed per hypotheſin $BD = AD$, ergo BD^2

ma-

maius eſt $A\,d^2$, ideoque Triang. B L D maius erit Triang. A L d, id eſt

$$\text{Triang. } BLD > \text{Triang. } AMd + \text{Triang. } LMd.$$

Simili ratiocinio demonſtrabitur, quod Triang. B N d maius eſt Triang. A N b, hoc eſt

$$\text{Trabet. } BMNL + \text{Triang. } LMd > \text{Triang. } ANb;$$
conſequenter

$$\text{Triang.}BLD + \left\{\begin{array}{l}\text{Trap. } BMNL\\ \text{Triang.} LMd\end{array}\right. > \text{Tr.}AMd + \left\{\begin{array}{l}\text{Triang. } LMd\\ \text{Triang. } ANb\end{array}\right.$$

et ſublato vtrinque Triang. L M d, additoque Triang. N A M

$$\text{Triang.}BLD + \left\{\begin{array}{l}\text{Trap.}BMNL\\ \text{Triang.}NAM\end{array}\right. > \text{Tr.}AMD + \left\{\begin{array}{l}\text{Triang. } ANB\\ \text{Triang. } NAM\end{array}\right.$$

Id eſt, Triang. B A D maius erit Triang. b A d. Q. E. D.

Demonſtratio in Caſu Fig. XV.

Ducatur Corda D b per Triang. ſimilia A L D, b L D

$$\frac{\text{Triang. } ALD}{\text{Triang. } bLd} = \frac{AD^2}{bd^2};$$ ſed per hypotheſin $AD = BD$,

ergo AD^2 maius eſt bd^2, proindeque Triang. A L D maius eſt Triang. b L d, id eſt, Triang. A M D + Triang. M L D maius eſt Triang. b L d. Non ſecus demonſtrabitur, quod Triang. B N A maius eſt Triang. b N D, ſiue

Digitized by Google

Triang. B N A maius eſt Trapet. b N M L + Triang. L M D, ideoque

Tr. AMD + Triang. MLD + Triang. B N A > Triang. b L d + Trap. et BNML. + Tr. M L D

conſequenter, dempto vtrimque Triang. M L D, additoque Triang. N A M

Tr. AMD + Tr. NAM + Triang. B N A > Triang. b L d + Triang. N A M + Trapet. B N M L.

id eſt, Triang. B A D maius eſt Triang. b A d. Q. E. D.

Corollarium I.

Demittatur ex vertice A ad baſin B D normalis A Q, haec baſin diuidet bifariam in Q; ideoque, cum ſit Triang. B A D = A Q X B Q, productum A Q X B Q per Theorema dabit Maximum.

Corollarium III.

Producatur A Q donec circulo occurrat in F, in comperto eſt, quod recta A Q tranſibit per Centrum C, et cum ſit Triang. B A D aequilaterum, quod ſegmentum c q aequale eſt ſegmento Q F, cum ſit igitur per Corollarium praecedens Productum A Q X B Q Maximum, Maximum erit quoque eius Quadratum $AQ^2 \times BQ^2$, ſiue $AQ^3 \times QF$, et ſequens habebitur Theorema:

Si

Si quaedam recta A F diuiſa fuerit aequaliter in C, et, ſimiliter bifariam diuidatur eius dimidium C F in Q.

Cubus ſegmenti Maioris ductus in Minus dabit Maximum.

Lemma I. Fig. XXVI.

Sit recta A B aequaliter in C diuiſa, et inaequaliter in E. Productum Partium aequalium maius eſt Producto inaequalium.

Demonſtratio.

Per 5. II. Productum $AC \times CB = AE \times EB + CE^2$. Ergo etc.

Lemma II. Fig. XXVII. et XXVIII.

Denotet n quemuis numerum integrum poſitiuum. Si recta A D ſic fuerit in C diuiſa, vt $\frac{AC}{CD} = \frac{1}{n}$. Productum $AC \times CD^n$ dabit Maximum.

Demonſtratio.

Sit ſegmentum C D in tot partes aequales diuiſum, quantae per numerum n deſignantur, C F, F G, G D, patet, quamlibet dictarum partium aequalem eſſe A C; nam cum ſit per conſtructionem $CD = n\,FC$, et per hypotheſin $CD = n\,AC$, ſequitur, quod $FC = AC$. Ideoque non ſecus patet, quod

$$AC \times CD^n = n^n\,AC \times EF \times FG \times GD \ldots$$

 Sit

Sit modo Fig. XXVIII. A D diuiſa in c, ſed taliter, vt A C non ſit ad c D, vt vnitas ad n, e contra ſit c D = n ſC; conſequenter

$$Ac \times cD_n = n^n Ac \times cf \times fg \times gD \ldots$$

Supereſt ergo demonſtrandum, quod productum A C X C F X F G X G D. . . . maius ſit producto A c X c f X f g X g D. . . . Vt hoc aſſequamur, conſiderandum, cum non ſit c D multiplex A c, ſegmentum A c haud eſſe aequale ſegmento c f. Hoc praemiſſo, ſi productum A C X C F X F G X G D non fuerit Maximum, tale ſit productum A c X c f X f g X g D. . . ſed per hypotheſin cum non ſit ſegmentum A c aequale ſegmento c f, biſariam diuidatur in h ſegmentum A f, ideoque, cum per Lemma praecedens Productum A h X h f maius ſit producto A c X c f, maius erit quoque productum A h X h f X f g X g D producto A c X c f X f g X g D, quod euertit hypotheſin; ideoque, vt productum A c X c f X f g X g D poſſit eſſe Maximum, neceſſe eſt, vt ſegmentum A c ſit aequale ſegmento c f; eodem ratiocinio demonſtrabitur, quod Maximum expoſcit, vt ſit c f = f g; f g = g D. Hoc eſt, vt recta A D in tot partes aequales diuidatur, quantae a numero n deſignantur, id eſt vt ſit $\frac{AC}{CD} = \frac{1}{n}$. Q. E. D.

Corollarium I. Fig. XXIX.

Denotet quoque m numerum integrum poſitiuum. Poſitis proportionalitatibus $\frac{AC}{CD} = \frac{1}{n}$; $\frac{CD}{DE} = \frac{n}{m}$. Produductum $AC \times CD^n \times DE^m$ erit etiam Maximum.

Nam

Nam ex aequo ordinata $\frac{AC}{DE} = \frac{1}{m}$; ideoque $DE \times mAC$, et per diuiſionem rectae D E, in tot partes aequales, quantae ab m deſignantur nempe in D H, H I, I E..., quarum vnaquaeque ſit C A aequalis erit $DE^m = m^m DH \times HI \times IE$, et $AC \times CD_n \times DE^m = n^n AC \times CF \times FG \times GD \times m^m DH \times HI \times IE$ conſequenter, per Lemma, Productum $AC \times CD^n \times DE^m$ dabit Maximum. Nam admiſſa quauis alia Hypotheſi, ſi non fuerit $DE = mAC$, nec D H aequalis eſſet rectae C A, ideoque nec ſegmento G D, et per Lemma I. Productum $GD \times DH$ non eſſet Maximum, vt requirit hypotheſis.

Corollarium II.

Denotent n, et m, vt ſuperius, nunc vi integri, et poſitiui, et ſit $\frac{AD}{DE} = \frac{n}{m}$ Productum $AD^n \times DE^m$ erit Maximum: nam diuiſa recta A D in tot partes aequales, quantae a numero n deſignantur $\frac{nAC}{DE} = \frac{n}{m}$; ideoque $mAC = DE$. Inde ſecetur recta D E in tot partes aequales, quantae a numero m exprimuntur, nempe D H, H I, I E...., erit $DE^m = m^m \times DH \times HI \times IE$, et $CD^n \times DE^m = n^n \times m^m \times AC \times CF \times FG \times GD \times DH \times HI \times IE$; conſequenter Productum $CD^n \times DE^m$ erit Maximum; nam quauis alia hypotheſi admiſſa, ſi non foret $DE = mAC$, D H non eſſet aequalis A C, ideoque nec aequalis G D, proindeque per Lemma I. Productum $GD \times DH$ non eſſet Maximum, vt requirit hypotheſis.

Digitized by Google

Theorema XIII. Fig. XXX. et XXXI.

Habeant Triang. rectangula B D A, b d A hypothenuſas aequales, et denotet n quemuis numerum integrum, et poſitiuum. Si in Triang. B D A fuerit baſis B D ad altitudinem D A, vt $\sqrt{n}$ ad vnitatem, dico Productum $BD^n \times DA$ maius eſſe Producto $bd^n \times dA$.

Demonſtratio.

Ex Angulis D, et d, demittantur ad hypothenuſas B A, b A normales D S, d s; et $AB \times BS = BD^2$; ideoque $AB^n \times BS^n = BD^{2n}$; ſimiliter erit $AB \times AS = AD^2$; conſequenter $AB^{n+1} \times BS^n \times AS = BD^{2n} \times AD^2$. Simili ratiocinio demonſtrabitur $Ab^{n+1} \times bs^n \times As = bd^{2n} \times Ad^2$, et per hanc aequationem diuidendo praecedentem, cum ſit $BA = bA$, prouenit

$$\frac{BS^n \times AS}{bs^n \times As} = \frac{BD^{2n}}{bd^{2n}} \frac{\times AD^2}{\times Ad^2}$$ ſed per hypotheſin, cum ſit

$$\frac{BD^2}{AD^2} = \frac{BS}{AS},$$ erit $$\frac{BS}{AS} = \frac{n}{1},$$ conſequenter in praecedenti

proportionalitate, cum ſit per Lemma II. primum antecedens maius ſuo conſequenti, erit etiam $BD^{2n} \times AD^2$ maius $bd^{2n} \times Ad^2$, proindeque Productum $BD^n \times AD$ maius erit Producto $bd^n \times Ad$. Q. E. D.

Corollarium I. Fig. XXXII.

Vertex A Triang. b A d cadat ſuper Verticem A Triang. B A D, radioque A B deſcribatur Circulus G B C S, producaturque A D, donec Circulum ſecet in punctis G et C: per hypotheſin patet, quod Circulus G B C S tranſibit per pun-

punctum b, eritque B D ſin. Ang, B A D, et D A eius Coſ.

Hinc per hypotheſin, cum ſit $\frac{B D^2}{n} = A D^2$, erit $A B^2 = \frac{(n + 1)}{n} B D^2$, ideoque Radius A B ad Sin. Ang. B A D, vt $\sqrt{n + 1}$ ad $\sqrt{n}$.

Corollarium. II.

Ideoque ſi n = 2, erit $\frac{A B}{B D} = \frac{\sqrt{3}}{\sqrt{2}}$. Sed in hoc caſu ex Tabulis Trigonometricis conſtat, Ang. B A D eſſe grad. 54: 44, ergo per Theorema Quadratum ſin. Ang. grad. 54: 4 ductum in ſuum Coſinum dabit Maximum.

Corollarium III.

Quoniam $B D^n \times A D$ exhibet Maximum, et $G D \times D C = B D^2$, erit $G D^{\frac{n}{2}} \times D C^{\frac{n}{1}} \times A D$ etiam Maximum.

Corollarium IV.

Hinc ſi n = 2, $G D \times D C \times A D$, id eſt $A D \times D C \times (C A + A D)$ dabit Maximum, et ſequens locum habebit:

Theo-

Theorema.

Data recta A C taliter ſecetur in D, vt ſit $\frac{AC}{AD} = \frac{\sqrt{3}}{1}$

Si Productum ſegmentorum multiplicetur per datam lineam cum maiori ſegmento coniunctam, quod proueniet dabit Maximum.

Corollarium V.

Ex puncto C ducatur Tangens, quae occurrat radiis A B, A b productis in X, et x, et per Triang. rectangula ſimilia B A D, X A C erit $BD = \frac{AC \times XC}{XA}$; ideoque $BD^n = \frac{AC^n \times XC^n}{XA^n}$; ſed per eadem Triang. ſimilia $AD = \frac{AC^2}{XA}$, ergo $BD^n \times AD = \frac{AC^{n+2} \times XC^n}{XA^{n+1}}$; conſequenter per Theorema $\frac{AC^{n+1} \times XC^n}{XA^{n+1}}$ erit Maximum.

Corollarium VI. Fig. XXXIII.

Punctum b aptetur puncto B, radioque B A deſcribatur Circulus A C M N, qui per hypotheſin tranſibit per omnia puncta A. In Corollario I. demonſtrauimus $AB^2 = \frac{(n+1) \times}{n} BD^2$; ideoque $\frac{n\,AB^2}{n+1} = BD^2$, et $BA^2 -$

BD^2

$BD^2 = AD^2 = \frac{BA^2}{n+1}$, conſequenter $\frac{\sqrt{n+1}}{1} = \frac{BA}{DA}$.

Si ergo in Triang. B A D fuerit radius ad ſin. Ang. A B D, vt $\sqrt{n+1}$ ad vnitatem, erit per Theorema $AD \times BD^2$ Maximum.

Corollarium II.

Ideoque, ſi fuerit $n = 2$, cum ſit in hoc caſu Ang. A B D Grad. 35 : 16. Si ſin. Ang. A B D ducatur in quadratum ſui Coſinus Productum dabit Maximum.

Corollarium VIII. Fig. XXXII.

Ducatur ad radium A B normalis C M, deinde ducto radio A L normali C M parallelo, ex puncto C cadat ſuper radium A L perpendicularis C N;

Patet, ex Conſtructione, Primoo, quod Angulus B A L ſit rectus: Secundo, quod $CM = BD$. Tertio, quod $CN = AM = AD$. His poſitis protrahatur Tangens X C, donec occurrat radio A L in T.

Per Triangula rectangula ſimilia X M C, C N T;

$\frac{XC}{CT} = \frac{CM}{NT}$; ſed per Triangula rectangula ſimilia C N T, C N A; $NT = \frac{CN^2}{AN} = \frac{CN^2}{CM}$; ergo ſurrogando $\frac{XC}{CT} =$

$\frac{CM^2}{CN^2} = \frac{BD^2}{AD^2}$, ſed per hypotheſin Theorematis

Digitized by Google

$\frac{BD^2}{AD^2} = \frac{n}{1}$; ergo $\frac{XC}{CT} = \frac{n}{1}$, et per Lemma II. X C X C T dabit Maximum.

Corollarium IX.

E, contra ſi Angulus B A D eiusmodi fuerit amplitudinis, vt eius Tangens ſit ad Tangentem ſui Complementi ad Angulum rectum, vt n ad vnitatem, Productum BD^n X A D dabit Maximum.

Nam, vt vidimus in praecedenti Corollario, cum ſit $\frac{XC}{CT} = \frac{BD^2}{AD^2}$, et per hypotheſin $\frac{XC}{CT} = \frac{n}{1}$, erit $\frac{BD^2}{AD^2} = \frac{n}{1}$; ideoque $\frac{BD}{AD} = \frac{\sqrt{n}}{1}$, et per Theorema Productum BD^n X A D dabit Maximum.

Scholion.

Ex hoc Theoremate nonnullorum Problematum mechanicorum pendet ſolutio.

I. Fig. XXXIII.

Si fuerit n = 2, et in Circulo C F H I M rectangulum A F I M inſcribatur, cuius altitudo ſit ad baſin vt $\sqrt{2}$ ad vnitatem, idemque rectangulum fuerit baſis Parallelipedi, Circulo C F H I M infixi, hoc Parallelipedum quouis alio difficilius frangetur.

Nam

Nam cum reſiſtentia aequipolleat quadrato altitudinis per baſin multiplicato, erit reſiſtentia G D ² X A M, ſiue 8 B D ² X A D, ideoque, cum ſit Coefficiens quantitas conſtans, et per Corollarium VI. Productum B D X ² A D Maximum, maxima quoque erit reſiſtentia.

Hoc Problema eſt D. Parent, vt videre eſt in Actis regiae Academiae Scientiarum Pariſienſis ad Annum 1708.

II.

Notum eſt aliunde, quod per Ang. B A D grad. 54; 44. poſitio Gubernaculi determinatur, vt in nauis euolutione maximum conſequatur effectum; ſimiliter aptior carbaſi poſitio, vt nauis motus acceleretur. Idem Angulus B A D determinat quoque directionem, qua ventus in alas molendini impingere debeat, vt eas maxima celeritate propellat.]

III.

Per Corollarium VIII. facile deducitur ſolutio cuiusdam Problematis phyſici, quam dedit D. Saverien pag. 88. ſui Dictionarii Mathemathici Artic. Lumière, Paragrapho II.

ARISTOTELIS DE POETICA LIBER, GRAECE et Latine, ex recenſione et cum animaduerſionibus THEOPH. CHRISTOPH. HARLES. Accedunt Notae Frider. Sylburgii.

Digitized by Google

Lipſiae, impenſis Siegfried Lebrecht Cruſii, 1780.
Plagg. 21. in 8.

Maximopere laetamur, editionem libri huius Ariſtotelici, hoc tempore, quo multa de re poetica a multis ita ingenio et arte, vt natione et lingua diuerſis, ſcribuntur, curatam eſſe a Viro antiqua pariter ac recentiore doctrina exculto et inſtructo, qualem editorem hic liber potiſſimum poſtulat. Is enim effecit, vt non ſolum exemplarium penuria tolleretur, quae multos a cognitione praeſtantiſſimi libelli retinere poterat; ſed etiam vt eius lectionis auidius expetendae et hauriendae facultas ſuppeditaretur, adiunctis ei nunc demum, cum neceſſariis adiumentis aperiendae et expediendae cuiuscunque loci ſententiae, tum ambitioſis etiam ornamentis et delenimentis, quibus recentioris et vernaculae litteraturae admiratores capiuntur. Quamquam ipſe ſibi V. ill. non ſatisfacit; qui quam imaginem idonei ad hoc agendum hominis mente conceperit, his quae praefationis p. 14. leguntur verbis declarat: — „idoneus perfectusque „ariſtotelici libri interpres erit, qui a lectione veterum non „minus, quam recentiorum poetarum, praecipue tragico„rum, et ſenſu poetico *inſtructus*, acrique iudicio, atque „ingenii ſplendore *ornatus*, ad expoſitionem tam criticam, „quam grammaticam et poeticam, cum fructu accedat.“ Huic oneri ferendo prae caeteris parem ait eſſe Leſſingium V. Cl. Etenim eius Dramaturgia Hamburgenſi, Germanice ſcripta, in quo libro multa obſcura huius libelli illuſtrarit, multa perperam intellecta ad legitimam interpretationem reuocarit, multa ad integritatem ſententiae reduxerit, et reiecta vindicarit, ita captum ſe profitetur, vt hunc *vnum* omnia ingenii et eruditionis praeſidia, quae ad bonum et intelligentem poeticae Ariſtotelicae interpretem requiruntur, habere cumulatim affirmet. In quo iudicio, non leuis ſuſpicio eſt, amori plus, vt inter amicos fieri ſolet, quam ſeueri-

ueritati tributum eſſe. Saltem fallax et incertum fere de futuris humanum iudicium. Ex euentu certius iudicamus, Harleſium rem bene egiſſe; in qua laude petenda et conſequenda, quibus ſit artibus vſus, quoque modo verſatus, ſtrictius commemorandum eſt.

Textum Graecum, vt vocant, ſiue potius texta Ariſtotelicae orationis Graecae, recenſuit partim e libris vetuſtis cum ſcriptis tum editis; partim ex obſeruationibus doctorum; ex ingenio quantum meminimus nunquam, niſi forte tum, cum res erat aperta et leui mutatione interpunctionis tranſigenda. Quamquam autem ſcriptis codicibus caruit, et contentus eſſe debuit iis, quos inſpexiſſent ſuperiores editores, et Pariſinorum codium collationem tantum ex Batteſii editione hauſit; quemadmodum ex Curtii commentario vberiore MS. Guelpherbytani lectiones decerpſit: tamen editionum primarum ceterarumque diligentem inſtituit comparationem, h. e. Aldinae inter Rhetores Graecos Venetiis 1508. fol. nam priorem, annis circiter duodecim hac antiquiorem propter raritatem nanciſci non potuit; Baſileenſis ac prioris Baſ. 1531. ſ. quae prorſus ſequitur Aldinam, tum Baſileenſis ſecundae a. 1550. f. quae multo reperitur caſtigatior et emendatior. Sed adhibuit etiam Sylburgianam, Caſaubonianam, quas ex illa Baſileenſi altera ductas eſſe conſtat. Neque neglexit eas editiones, quibus ſeparatim aliquoties hic libellus prodiit. Quorum in numero ſunt duae editiones Heinſianae, in quibus memorabilis eſt illa tranſpoſitio, qua Heinſius a capite ſeptimo ordinem mutauit vulgarem; quae nec aliis eruditis placuit, quia eſt contra conſenſum codicum, nec Ill. editori probatur, quia cum iis conſentit, quos ordo vulgaris non offendit, eumque ceteris omnibus conuenientiſſimum putant. Porro Goulſtoni editio, Cantabrigiae 1696. 8. cum verſione latina, quae, quia paraphraſis potius eſt, commentarii loco eſſe poteſt. Tum Glasguenſis 1745. quae mera repettiio eſt Cantabrigienſis

ſis modo nominatae. Habuit etiam ad manus Batteſii (*Batteux*) editionem, non quidem critices adminiculis fultam, ſed tamen accuratam, nec ſpernendam, et Cl. Schützii Prof. Rhet. ac Poeſeos in Vniuerſitate Ienenſi celeberrimi, Chreſtomathiam Graecam, in cuius prima parte hic quoque Ariſtotelicus libellus, additis quibusdam variis lectionibus, editus eſt.

His igitur in concinnanda hac editione vſus eſt opibus, quarum ſubſidio lectiones, quae meliores verioresque ipſi quidem viſae eſſent, reuocauit, varietate earum ſeparatim et media inter textum atque animaduerſiones poſita, et quae ad faciliorem auctoris intelligentiam conducerent, a ſilua variarum lectionum ſeiuncta deinceps protulit. In quibus frequenter laudauit viros doctos, a quibus lectores et interpretes ſatis auxilii repeterent; v. c. Caſauboni de Poeſi Satyrica librum, a Th. Crenio et Rambachio denuo editum, et notulis auctum; Dacierii, Curtii, cuius verſionem Germanicam libri habemus, Hanouerae ante triginta fere annos editam, Batteſii expoſitiones fere copioſiores ad ſenſum rerum et praeceptorum ſpectantes; tum porro Leſſingii Dramaturgiam Hamburgenſem, quam, quoties ſibi profuit, ſed ſaepius profuiſſe fatetur, laudauit. Suis admiſcuit Sylburgii notas integras, tum quia ipſa editio rara eſt, tum quia multa continent ex Victorii, Camotii, aliorumque editionibus, quarum exempla V. Ill. nanciſci non licebat, ducta, ad lectiones et emendationes pertinentia. Sed Latina verſio e regione locata eſt Goulſtoni, quae iam etiam Glasguenſi editioni illata fuit.

Hic quaedam dicenda erant de textus Sylburgiani, ſiue Caſauboniani, nam hic in plerisque ſeruatus eſt, mutationibus, earumque fontibus, libris ſcilicet antiquis, auctoritatibus doctorum et ingenio Editoris. Et diceremus etiam, ſi vel Illuſtr. Editor is eſſet qui ex hoc opere potius, quam ex aliis ab ipſo iam proditis, innoteſcere deberet, vel liber

non

Digitized by Google

non eiusmodi, vt facile in quorumcunque, qui deſiderent, nam parabilem eſſe voluit Editor, non ſolum notitiam, ſed etiam vſum peruenire poſſit. Hoc autem affirmamus, eas nec admodum crebras, et idoneis rationibus fultas eſſe, ab omni vero temeritate et pruritu nouandi quidquam ita remotas, vt potius vetuſtatem reuocare, et Heinſii aliorumque conatus parum probandos retundere voluiſſe, videatur.

In coniecturis, et critico iudicio, quaedam ſunt animaduerſione digna: v. c. c. 7. — ὥσπερ ποτὲ καὶ ἄλλοτε φασίν. vbi omittit verbum φασίν, certe omittendum eſſe cenſet, et vncis incluſum exprimi iuſſit. Cap. 21. οἷον τὰ πολλὰ τῶν Μεγαλιωτῶν Ἑρμοκαϊκόξανθος. Suſpicatur legendum μεγαλαλούντων idque explicat, *eorum qui carmina dithyrambica pangunt*, quod idem eſſet ac Dacierii coniectura μεγαριζόντων, quod Heſychio interprete valet idem ac μεγάλα λαλούντων. v. Alberti T. II. p. 554. Aut potius ad Arcadicum quoddam carmen, tunc temporis recens, apud Megalopolitanos frequens et decantatum, in quo illud mirae compoſitionis vocabulum occurreret, reſpici, adeoque reſcribendum eſſe Μεγαλοπολιτῶν. Sed quoniam in omnibus libris μεγαλιωτῶν legebatur, hinc, alioque quodam ex argumento, lacuna nempe, quam in Cap. eodem animaduerterunt nonnulli, diſerte notatur antiqua manu in Cod. Pariſino, ſuſpicionem ducit, omnes huius libelli codices recentiores, ab vnico fonte, codice antiquiore, fluxiſſe.

In notis autem paſſim, tum grammaticum, tum antiquarium, tum hiſtoricum et poeticum interpretem ſe praeſtitit. Placet notitia optimorum Criticorum, et operum ab iis conditorum, Herodoti Weſſelingiani, Phalaridis Lennepiani, Commentarii Doruilliani in Charitonem, Xenophontis Erneſtiani, aliorumque, quorum ad auctoritatem in explicando docendoque ſubinde prouocari cognouimus. Placent exquiſitae obſeruationes, v. c. de permutatione modo-

rum

Digitized by Google

μέλλει et μέλλοι p. 2. de ſignificatione verbi αὐτοσχεδιάζειν, p. 25. et vocis φάρμακα p. 52. de Atticiſmo in voce μάλιστα vſurpanda p. 73. de διαλαμβάνειν, *diſtinguere*, *intercipere* p. 178. Placent etiam elaboratiores quaedam notae, de μίμοις et λόγοις p. 8. et 9. de auctore et nomine tragoediae p. 20. de ἀρετῇ et quomodo a δικαιοσύνῃ differat, p. 91. de comoedia nominatim *commonente*, de qua diſputationem etiam Gellertus ſcripſit, p. 34. de Ariſtotelica definitione tragoediae p. 40. de didaſcaliis, et duplici nominis ſignificatione, partim pro actione ipſa fabulae et editione, partim pro ſcripto, quo explicatur vbi, quando, quomodo, et quo euentu fabula aliqua fuerit acta, p. 140. ſq. Gratae ſunt etiam admonitiones de vernaculorum poetarum tragicorum, praecepta Ariſtotelis migrantium, vitiis, p. 88. Ariſtoteles Cap. 9. de munere et differentia Poetices et Hiſtoriae tradens, ait, διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. Vulgaris interpretatio vocis σπουδαιότερον, ex Batteſii, Curtii, et Leſſingii ſententia, eſt: poeſin eſſe vtiliorem, magis ad docendas et inſtruendas hominum mentes aptam. At veremur, cum Ill. editore, vt ea vera ſit. Ipſe quidem monet, proprie eſſe *diligentius*, *grauius;* ſed et hoc adhuc obſcurum videtur. Nec aſſequutum fuiſſe ſenſum putamus Ioh. Georg. Mullerum, *de natura media poeſeos inter philoſophiam et hiſtoriam etc.* Ienae 1707. 8. (cuius ſcripti mentionem facit in Praefatione,) qui ſenſum eſſe dicit, poeſim eſſe *operoſiorem* hiſtoria. Sed arbitramur hoc velle philoſophum, poeſin eſſe *praeſtantiorem*, *magis ſuſpiciendam*, *pluris aeſtimandam et faciendam*, quam hiſtoriam. Cap. 13. codices ſequutus edidit ὥστε οὔτε ἐλεεινὸν, οὔτε φοβερὸν ἧτται — pro φαίνεται. Sed agnoſcit, φαίνεσθαι, ἀναφαίνεσθαι, (non ἀναφαίνειν,) νομίζεσθαι, δοκεῖν, frequenter exquiſiteque poni pro εἶναι, nec ſemper ambigui quidquam aut dubii denotare, ſed quod re vera eſt. Quare ſe fere poenitere fatetur obſequii. De *moribus* diſputans Ariſtoteles cap. 15. requi-

quirit inter alia vt ſint *boni.* Cuius loci interpretatio cum viros doctos ita torſiſſet, vt in partes diuerſas diſcederent, in duabus proluſionibus V. ill. cum ipſi eſſent ſolemnitates Academicae, per muneris rationem, indicendae, in ſenſum verborum diligentius et vberius inquirere inſtituit; quas Commentationes, tanquam Excurſus, inter Appendices libro addidit. Docet autem, neceſſe eſſe vt perſonae tragicae, metum et commiſerationem excitaturae, habeant ἤθη χρηστά, ac per ea intelligit *bonitatem moralem*, non vero, vt multi alii, *bonitatem poeticam*, h. e. eos mores, qui naturae rei ſiue perſonae reſpondeant. Et ipſi nobis perſuademus, hanc eſſe veram loci ſententiam, nec aliam eſſe admittendam, vel ſi quis, omiſſis aliis, ad vſum tantum linguae et verborum poteſtatem attendat. Ad quam confirmandam prae ceteris nobis videbatur pertinere quoque ille Menandri in Thaid. p. 78. (Cler.) a Paullo quoque 1 Cor. 15, 33. adhibitus verſiculus: φθείρουσιν ἤθη χρησθ᾽ ὁμιλίαι κακαί. Quis vero de moribus conuenientibus vocem vſurpet χρηστός; quod fieri nullo modo poteſt, aliis tum vocibus opus eſt. Sed nomen *electio* pro voce προαίρεσις, qua eodem loco Ariſtoteles vtitur, id vero eſt ex minuto Lexico; illa autem Graeca vox *ſtudium*, *voluntatem*, *conſilium* denotat. Ad c. 18. quoque eſt quod moneamus. Chorum ait Ariſtoteles ita debere eſſe cum reliqua fabula coniunctum, vt pars totius haberi debeat, non vero talem, vt quae is dicat aliena ſint, et alii cunque fabulae inſeri poſſint. Hoc eſſe ἐμβόλιμα ᾄδειν. Neque vero differre ἢ ἐμβόλιμα ᾄδειν, ἢ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου ἄλλο εἰς ἁρμόττειν, ἢ ἐπεισόδιον ὅλον. In nota ſcribitur ἁρμόττειν fortaſſe idem eſſe ac προσῳδὸν εἶναι apud Eurip. Phoen. 1504. dare ceteris plangentibus modum, ordinare planctus, de qua re videndum eſſe Cuperum Obſ. I. p. 2. At nihil ſe definire. Nobis haec certe nimis longe petita videbantur. Nihil aliud in his praecipi videmus, quam chori dicta, vel cantilenas, non debere eſſe communes, et facile in quauis alia fabula inter-

ponendas; alioqui nihil aliud quam tralaticia poni; quemadmodum rhetores iubent exordia non debere eſſe communia. Neque enim ἁρμόττειν quid alibi ſignificet, hic quaeritur; nec tam quid praeſtet chorus, quam quomodo praeſtet, exponitur. Quare ἁρμόζειν nihil plus eſt hoc loco quam *iungere*, *addere*. Accedit quod iſta Cuperiana obſeruatio non ſit omnino probanda. Quod intelligitur e Valkenarii V. Cl. de ea iudicio, eiusque nota ad Euripid in Phoen. Scholia p. 776. vbi ſatis acute ſic ſcribit: „Ἀνακαλέσω (Cod. „Aug. ἀναβοήσω aberant ſequentia, e quibus, praeter *Cuperum* „Obſeru. I, c. 1. nemo diſcere potuit, ἁρμόζειν πάθει „*idem plane eſſe quod dixit Feſtus*, dare caeteris, *nempe* „*plangentibus modum*.“ Et cf. c. 24, 4.

Haec quidem hactenus. Sed praefatio continet indicem omnium editionum huius libelli quae ipſi vel ex catalogis locupletiorum bibliothecarum, aliarumque, vt Menkenianae, Bunauianae, Aſkeuwianae, vel aliunde innotuerunt; nec tamen in promtu fuerunt, vt in opera huius editionis ornandae et inſtruendae earum ratio haberi potuiſſet. Quare futuro eas editori tanto ſtudioſius commendat. Caeterum in eadem praefatione aliquot etiam alia attinguntur. Prima de difficultatibus huius libri recte interpretandi. Etenim quod Cicero de Orat. II. c. 13. de Thucydide *iudicat*, ita crebrum eſſe rerum frequentia, vt verborum prope numerum ſententiarum pondere conſequatur: ita verbis aptum et preſſum, vt neſcias, vtrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur: id de Ariſtotele potiſſimum valere ſcribit. Quare docta auctoris obſcuritate, nimisque conciſo et ſubtili ſcribendi genere, multos fuiſſe deterritos videri, ait, ab hoc libello nouis curis emendando, explicando, atque poliendo. Altera quaeſtio eſt de iis, qui vel laudauerint, vel vituperarint hunc libellum. Multos nactus eſt admiratores, ſed nec paucos obtrectatores. Hi tamen fere ſunt, qui magis ex ſua opinione, quam ex natura poeſeos ipſiusque humani animi,

Digitized by Google

animi, et ex vſu linguae menteque auctores, de vi et ſenſu verborum et praeceptorum Ariſtotelis iudicent. Quaeritur etiam, quot libris conſtiterit hoc opuſculum. Alii enim duo, alii tres libros de Poetica memorant, vnde ſequitur mancum videri, et vno vel altero libro truncatum. Ad eam rem perſpiciendam commendatur Curtius in praefatione ad verſionem libelli germanicam, Fabricius in Bibl. Gr. L. III. c. 6. inprimis vero Gerh. Ioh. Voſſius, de artis Poeticae natura et conſtitutione, cap. V. §. 5. p. 28. ſqq. qui ipſe liber, cum tam omnis poeſeos antiquitatem et rationem, quam inprimis Ariſtotelis Poeticam ſcite explicet, inſtar perpetui commentarii habendus eſſe dicitur. Ipſe quidem V. ill. cum rem in medio relinquat, nec litem dirimat, medius et neutrarum partium eſſe videtur; et iam quia hunc *opinionis errorem* vocat, reddere potius eum iudicamus opuſculo integritatem ſuam, quam de mutilatione ſollicitum eſſe.

VARIETAS LECTIONIS IN EVRIPIDIS HEcubam, ex codice Academiae Vitebergenſis, edente IOANNE CAROLO ZEVNIO Litt. Graec. Prof. Ordin.

Haud ingratum Euripidis ſtudioſis nos facturos eſſe duximus, ſi, ex quo codice nuper lectionem variam in Aeſchyli tragoedias edidimus, ex eodem nunc lectionem diſcrepantem in Euripidis Hecubam depromeremus. Continetur vero ibi prima tantum tragoediae particula, vsque ad verſum 274. caeteri verſus a librario codicis non ſunt deſcripti: nam ſcripturae finis factus eſt in media pagina. Quapropter a vero non abhorrere mihi videtur, hanc parti-

Digitized by Google

culam ex fragmento codicis alicuius vetuſti et laceri eſſe deſcriptam, praeſertim cum hic nonnullae contineantur lectiones exquiſitiſſimae, quae vulgato textui ſint praeferendae. Contulimus autem hoc fragmentum cum editione Euripidearum fabularum Barneſiana, quae quidem nuper Lipſiae, non ſine nouitatis cuiusdam gratia, eſt repetita. Sed neque Musgrauianam, neque Brunkianam recenſionem, cum nondum eas comparandi mihi copia fuiſſet, inſpicere potui. Quod monitum eſſe volui, ne quis forte, qui lectionem aliquam a me hic tanquam nouam prolatam ac commendatam, iam ſiue a Musgrauio, ſiue a Brunkio, Viro ingenioſiſſimo et graece doctiſſimo, occupatam et receptam eſſe cognouerit, calumnietur, et me vanitatis cuiusdam inſimulet. Sed ad rem ipſam accedamus.

Verſu quinto pro δορὶ in codice legitur δουρὶ, quod a verſus legibus condemnatur. Contra facile, opinor, ferri poteſt verſu 7 Θρηϊκὶν, quod ipſum a Barneſio in aliis libris nonnullis eſt repertum. Vſ. 13. eſt ᾧ pro ὃ: ſed accuſatiuus, intellecta praepoſitione διὰ, eſt exquiſitior et ἀττικώτερος. De hac re dixi nuper ad Xenoph. Cyrop. IV, 3, 17: nam etiam ibi pro ὅ, h. e. *quapropter*, in quibusdam libris exſtat ᾧ, ortum ex ſcholio. Illa ἐρίσματα, quae verſu 16 occurrunt, a vulgato Scholiaſte explicantur οἱ πύργοι, perinepte; recte Scholiaſtes codicis noſtri τὰ τείχη. Verſu 18 eſt in cod. ἀδελφὸς ἡμὸς ἐντύχῃ δορὶ, quod mihi haud placet. Vſ. 20. πτόρθος Scholiaſtes Ms. explicat per κλάδος. Vſ. 21. pro ἀπώλετο reperitur ἀπόλλυται, quod vulgato propterea eſt praeferendum, quia praeſens a ſimilitudine ſequentium membrorum ſatis comprobatur. Vſ. 23. in libris editis omnibus, quotquot vidi, eſt vitium αὐτὸς δὲ, ſed in cod. eſt αὐτός τε, quod vnice debet probari: nam caetera προτάσεως membra, inde ab ἐπεὶ δὲ Τροίας vsque ad κτείνει, a quo incipit ἀπόδοσις, copulantur eadem particula τε, adeo vt a diligente editore vel ſine libri alicuius auctoritate, ob linguae legum neceſſitatem

tem corrigi deberet. Vſ. 30. eſt ordo verborum inuerſus *ἄταφος ἄκλαυστος.* Verſu 69. verbum *αἴρομαι* plene ſine apoſtropho, qui vulgo ponitur, exhibetur: et verſ. 73 pro *ἂν* reperitur *ἦν.* Vſ. 76. excidit *εἶδον*, a ſequente facile abſorptum. Vſ. 88. pro *ἡ Κασάνδρας* eſt *καὶ Κασάνδρας*, ſed vulgatum ob ſenſum et ſonum mihi videtur et elegantius. Vſ. ſequente eſt *κρίνασ' ὀνείρους*, eſſe verſu 95. *Ἀχιλλέως* pro *Ἀχιλλῆος.* Vſ. 101. eſt *προλιποῦσ'*, quod requiritur a metro, et alii ſic reponendum eſſe dudum coniecerunt. Vſ. 103. eſt *δύλα — ἀπελαυνομένη.* Prius conuenit quidem dialecto loquentis, ſed non item poſterius: atque forma *δύλα* quoque verſu 481. reperitur in editis omnibus. Verſu 109. eſt *δοριθήρατα,* quod an ſit ad errores librarii referendum dubito. Nam ſi accentus repoſitus fuerit in penultima, adeo vt fiat genitiuus Doricus, qui referatur ad nomen antecedens *πόλεως*, ſenſus non ineptus effici mihi videtur: conf. de eadem re verſ. 494. Sed vſ. 107. eſt *ἀραμένη*, repugnante dialecto loquentis. Vſ. 116. legitur *τῇ δὴ Δαναοὶ τὸν ἀμὸν τύμβον,* ſed vulgatum, ni fallor, eſt melius. Pro *πολλῆς* vſ. 118. ſcriptum eſt *πολύς*, quod verſus ratio repudiat.

Verſu 144. pro *μαζῶν* vulgato, codex dat *μαστῶν,* quod vnice hic foret probandum, ſi canon veterum Grammaticorum, Ammonii, Thomae Magiſtri, et Suidae, eſſet verus, *μαζὸν* proprie eſſe virorum, et *μαστὸν* mulierum. Verum niſi audeas ſtatuere, locos, quos laudant interpretes ad Thomam, omnes eſſe corruptos, ſane concedendum eſt, vtrumque nomen promiſcue de vtroque ſexu dici. Vſ. 152. perperam exhibetur, vt antea, dialectus Attica, *φοινισσομένην.* Vſ. 181. pro *αἴ μοι* ſcribitur *οἴ μοι,* haud male. Sic infra vſ. 192. occurrit *οἴ μοι μᾶτερ.*

Vſ. 194. vulgo dant *μάνυσόν μοι, μάνυσόν μοι, μᾶτερ.* Sed *μοι* poſterius onerat verſum, et reddit ſenſum valde frigidum. Recte igitur codex noſter omittit iſtud, ex antecedentibus temere repetitum. Nam in eiusmodi exclamatio-

nibus non ſolent eadem plane verba repeti, ſed in altero membro, ob feſtinationem et animi impetum, oratio pathetica poſtulat, vt aliquid omittatur. Sic ante, verſu 178. eſt *ἰὼ μᾶτερ, μᾶτερ, τί βοᾷς*; non *ἰὼ μᾶτερ, ἰὼ μᾶτερ*, etc. Apud Theocritum Idyll. XI, 72. eodem modo dicitur *ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι*; et Theocriti imitator Virgilius Ecl. II, 69: *Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!*

Verſu 197. pro *ψήφῳ* reperitur in cod. *ψήφοις*.. Sed Singularis adhibetur in eadem re infra verſu 219. et Euripid. Oreſt. 755. vbi Oreſtes loquens inducitur, *ψῆφον ἀμφ' ἡμῶν πολίτας ἐπὶ φόνῳ θέσθαι χρεών*. Vſ. 211. pro *σὲ μὲν* eſt Doricum *σὲ μάν*, quod ob dialectum loquentis haud ſpernendum eſſe cenſeo. Solet vero Dorice *μὰν* poni pro *μὴν*, et addi pronominibus: vt Theocrit. Id. I, 71. *Τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι* etc. Vſ. 215. in verbo *ἐκύρησεν* praetermittit codex *ν* finale.

Verſu 219. pro *κραθεῖσαν* exſtat in cod. *κρανθεῖσαν*, quod idem reperitur in editionibus antiquis, a *κραίνειν*, *efficere*, idque ſolum, mea quidem ſententia, debet probari. Nam Barneſianum *κραθεῖσάν*, a *κεράννυμι*, *miſceo*, mihi videtur abſurdum: quia *ψῆφος κραθεῖσα*, *calculus mixtus*, ſeu *temperatus*, recte dici nequit; at vero *ψῆφος κρανθεῖσα*, *calculus effectus*, hoc eſt *ſententia ſuffragiis effecta et ſtabilita*, *ſententia victrix*, non male. Igitur *κραίνειν ψῆφον* idem hic valet, quod infra 259. *ψῆφον ὁρίζειν*. Euripidis Scholia edita h. l. ſunt corrupta et interpolata. Primum enim Scholion *κυρωθεῖσαν καὶ τελειωθεῖσαν* manifeſte ſpectat lectionem eam, quam nos probandam eſſe diximus. Sed mox Scholiaſtes *κραθεῖσαν* deriuari ait a *κιρνῶ*, additque, vt *κρᾶσιν* dici *ἐπὶ τῶν ὑγρῶν*, ita *μίξιν ἐπὶ τῶν ξηρῶν*. Hoc quidem diſcrimen non ſpernimus, ſed ex hoc ipſo efficitur, *κιρνᾶν* ſeu *κεράν* de calculo, qui ad res humidas non referri poteſt, adhiberi nullo modo poſſe. Ergo poſterius iſtud Scholion, ex intempeſtiua

ho-

Digitized by Google

hominis inepti, omnia alia quam ſenſum auctoris rerumque nexum ſpectantis, opera ortum, referendum puto ad nugas iſtas, quibus ſcholia Graeca et Latina mirum in modum ſunt deprauata et interpolata.

Verſu 225. vulgo editur οἶσϑ' ἂν ὃ δράσεις; ſed δρᾶσον eſſe reſtituendum, etiam alii ante me viderunt. Etenim ſic legerunt Scholiaſtes Euripidis, et Gregorius de Dial. Attic. §. 2. Gregorius laudat quidem Euripid. in *Polydoro*: ſed fabula, quae vulgo dicitur Hecuba, eadem a perſona, quae primo loquens inducitur, et principem totius argumenti partem continet, recte appellari poteſt Polydorus. Non placet igitur Fabricii ſententia, qui tragoediam nomine Polydori inſcriptam ab Hecuba diſtinguendam putat. Illis autem duumuiris conſentit codex noſter, qui dat δρᾶσσον. Otioſum iſtud σ vel caſu eſt ortum, vel ab inſcitia librarii fictum, qui ignorauit, verborum in αω purum deſinentium, vel in ραω purum impurumue, penultimam in futuris et aoriſtis produci. Vid. Clark. ad Homer. Iliad. ά, 67. Imperatiuum vero pro futuris ſolent ponere, non quidem omnino Attici ſcriptores, quae eſt nonnullorum Grammaticorum opinio vana, ſed comici tragicique Poetae, et omnino ii, qui ſermonem Atticorum popularem in vita quotidiana imitantur. Cuiuscemodi exempla plurima congeſſit Koenii induſtria ad Gregor. l. l. Iam vero, ſi verus eſt Criticorum canon, vti rariſſime fallit, ex duabus lectionibus, per ſe non vitioſis, nec a linguae vſu abhorrentibus, praeferendam eſſe exquiſitiorem, inſolentiorem, et intellectu difficiliorem, et huius interpretamentum eſſe alteram faciliorem vſitatioremque: ſane δρᾶσον noſtro loco reuocandum eſſe, dubitare non licet; quemadmodum ipſe Barneſius vidit, quamquam recipere non ſuſtinuit.

Verſu 232. pro ὤλεσεν recte eſt in cod. ὤλεσε. Nam vltima, cum ſit in caeſura, poteſt produci. De qua re diligenter expoſuit Clarkius ad Hom. Il. ά, 51. Vſ. ſequente eſt

eſt τλήμων ἐγὼ, ſed vulgatum τάλαιν' ἐγὼ Euripidi eſt vſitatius. Vſſ. 247—250. in codice duo poſteriores verſus ſtatim ſequuntur poſt verſum 246, et, ſi quid video, recte. Nam antequam effectus narraretur ἔσωσε δ' ἤτα σ' ἐξέπεμψά τε χθονὸς etc. exponendae erant cauſae: quarum altera continetur verſibus 245 et 246, geſtu ſupplicantis; altera verſu 249 et 250, precibus ſupplicantis. Contra, ſecundum ordinem vulgatum, omnia ſunt turbata; quemadmodum ſuus quemque ſenſus, ſi quis locum ipſum diligentius inſpexerit, facile docebit.

Verſu 251. pro τοῖσδε τοῖς βυλεύμασιν codex legit τοῖσδε τοῖς β. et idem legiſſe videtur Scholiaſtes vulgatus, qui explicat κατὰ τάδε τὰ βυλεύματα. Vſ. 260. pro ἐπήγαγ' ἀνθρωποκτονεῖν eſt in cod. ἐπήγ' ἀνθρωποσφαγεῖν, quod, ni fallor, eſt interpretamentum vulgati. Vſ. 263. pro τίνει eſt in codice τίνει. Etſi vero idem coniecit Canterus Nou. Lect. V, 25. qui ait eſſe multo concinnius et magis Atticum; recte tamen Barneſius Canteri rationem refutat, quia τίνειν φόνον non ſit *poenas caedis repoſcere*, ſeu *caedem vlciſci*, ſed *luere*. Vſ. 264. pro ἀλλ' ἤδειν αὐτὸν etc. eſt in cod. ἀλλ' ἤδειν γ' αὐτὸν etc. Sed iſtud γε, extraquam quod non poſcitur a ſententia, ingulat quoque iambum, qui in regione altera a verſus ratione requiritur. Vſ. ſequente pro αἰτεῖν χρὴ reperitur αἰτεῖ χρῆν, atque pro προσφάγματα legitur ſing. πρόσφαγμα. Sed vt prius a linguae legibus repudiatur, ſic poſterius a verſus menſura.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLXXVI.

Kaiſer Carl der Vierte, König in Böhmen etc.

H. E.

IMPERATOR CAROLVS IV. REX BOHEMIAE. PARS PRIMA, annos 1316—1355. et Codicem diplomaticum 257. diplomatum et litterarum, nunc primum editarum, complexa. Scripſit atque edidit FRANCISCVS MARTINVS PELZEL.

Pragae, 1780. litteris Scholae regiae normalis, pagg. 450. quod ad hiſtoriam, et pagg. 224. quod ad Cod. diplomat. Octonis, cum tabulis figurarum ex aere expreſſarum.

Etſi Carolus IV. ſatis ad perennem nominis celebritatem, inter Germanos, edita *Aurea Bulla*, egerit, qua lon-

Digitized by Google

gas et difficiles ſuper iure eligendi Regis Germanici, eiusdemque Imperatoris Romanorum, controuerſias feliciter ſopiuit; tamen maiora ei debet patria terra Bohemia: vt adeo non dubitet *Pelzelius* V. Cl. eum *Bohemorum omnium maximum et patriae vtiliſſimum* adpellare. Sed idem Princeps a ſcriptoribus Germanorum longe plurimis non leuis in regnando ſocordiae, neglectaeque prae Bohemia dignitatis et vtilitatis Imperii Germanici, accuſatur. Quo magis laudandum eſt Auctoris noſtri conſilium, qui luculentius et accuratius, quam adhuc factum eſt, de animo, ingenio, et rebus geſtis Caroli dicere inſtituit.

Ac ipſe quidem *Carolus* rerum ſuarum ſcriptorem egit, inde a natalibus ſuis, vsque ad eam aetatem, qua Regis Romanorum auctoritate ornatus fuit; Bohemice ne ſcripſerit, an Latine, non ſatis conſtat. Sed cum exempla libelli Bohemice exarata, orationis genus prae ſe ferant, et facilitate et perſpicuitate latinis praeferendum: credibile eſt, eum patria dialecto vſum eſſe. Proximum a *Carolo* inter biographos eius, locum obtinet *Benes Krabioze de Weitmühl*, nobili genere Bohemico ortus, Canonicus arcis Pragenſis, in aula Regis educatus, eiusdemque itinerum comes, et rerum ab eo actarum teſtis adeo eximius, *vt veſtigia Caroli numerare voluiſſe videatur*, iudice *Balbino* in Hiſt. de Ducib. ac Regg. Bohem. Sed opus ab eo conditum nunquam in lucem prodiit. Accidit tamen feliciter, vt duplex eiusdem epitome, diuerſo tempore concinnata, aetatem tulerit, quarum alteram *Gelaſius Dobnerus*, repurgatae Hiſtoriae Bohemicae parens, *Monumentis ſuis Hiſt. Bohem.* Tomo IV. inſeruit; alteram, quam *Bohuſl. Balbinus* excerpſit, manu eius ſcriptam, *Pelzelio* fortuna, vel potius *Pubitſchkae*, viri docti inter ciues, eius liberalitas conceſſit. *Balbini* ipſius inſtitutum, de vita *Caroli* copioſius tradendi, interuertit ſimile conſilium *Io. Gamanſii*, ex eadem cum illo Societate Ieſu; cuius tamen apparatum locupletiſſimum Schaffnabur-

gi

gi nox oppreſſit, ac forte blattis tineisque corrodendum mandauit. Quae noſtro ſeculo *Ioſephus Bichlerus*, Ieſuita in *Auguſta quinque Carolorum hiſtoria* (Vindob. 1735. fol.) et Canonicus quidam Regularis S. Auguſtini, in opere germanico ibidem a. 1747. excuſo, de *Carolo* IV. ſcripſere, non ſunt eius pretii, vt deterrere *Pelzelium* a ſuſcipienda hac opera potuerint. Verum ille praeter hos ſcriptores, qui ex profeſſo vitam *Caroli* litteris conſignarunt, maxime fontibus rerum eiusdem puriſſimis hauſit, hoc eſt, e chronicis et hiſtoricis coaeuis, quos *Vrſtiſius*, *Freherus*, aliique, in Collectionibus ſuis maioribus, deuidere; deinde e diplomatibus longe plurimis hauſit, quae ad rem pertinerent. Etſi autem haec diplomata non omnia ſint ex archetipis profecta; tamen de fide eorum tanto minus dubitari poteſt, quod vetuſta illa, quibus pars magna eorum continetur, *Copiaria*, accuratius deſcripſit Noſter in Praefatione; Diplomatum autem ipſorum ſiluam egregiam hiſtoriae ſuae ſubiunxit.

Ita inſtructus et paratus *Pelzelius*, non potuit non rem bene agere. Noſtra certe ſententia praeclari hiſtorici munia rite exſecutus eſt, ordine probo, perſpicuitate et ſuauitate orationis, a qua ornamenta oratorum recte aliena iudicauit, ſed maxime fide et ἀκριβείᾳ narrationis, merito commendandus. Quamquam autem nonnullis videri poſſit, nimium fauere *Carolo* ſuo; tamen fatendnm eſt, eum in iudicio ferendo hiſtoriae leges reuerenter habuiſſe, atque ita verſatum eſſe in ſcribendo, vt lectoribus quoque liberam iudicandi poteſtatem reliquerit.

De vita autem *Caroli* ita tradidit, vt primam eius aetatem, qua *Principis Bohemiae* nomine celebrabatur, h. e. ad annum vsque 1333. primum omnium enarraret. Natus eſt *Carolus* Pragae a. 1316. tributumque ei in baptismate nomen *Wenceslai*, quod Slauico idiomate (*Wence ſlawa*) *gloriam coronae* deſignat. Duris autem initiis iactatus eſt.

Digitized by Google

Nam inteſtinis Bohemiae diſſidiis, quae ipſum patrem, Regem *Iohannem*, a matre *Caroli*, *Eliſabetha*, alienarunt, factum eſt, vt velut exul in arce Burglicenſi, procul a parentibus, educaretur. Anno demum 1323. Pariſios miſſus eſt, vt in aula *Caroli Pulchri* Regis, qui ſororem *Iohannis* in matrimonio habebat, litteris moribusque elegantioribus imbueretur.. Ibi non modo doctrinae melioris amorem et ſcientiam haud contemnendam arripuit; ſed inprimis etiam ingentem Cleri et Rom Pontificis venerationem, curante magiſtro ſuo, *Iohanne de Cara*, aulae Capellano, concepit, quam poſtea omni vita ſeruauit. Ibidem vero, ex voluntate Patris, arctiori vinculo ſociatus eſt familiae regiae, deſponſata ei octenni *Margaretha*, quam etiam *Blancam* vocabant, *Caroli*, Comitis *Valeſii*, filii Regis *Philippi Audacis*, atque adeo herois clariſſius, filia, quae ſeptimum annum vix ſuperauerat. Cum autem graue eſſet Francogallorum auribus et linguis Slauicum illud *Wenceslai* nomen, curauit Rex *Carolus*, vt nepoti ſuo in Confirmationis, quod appellant, Sacramento, adminiſtrato ei a Pontifice Rom. in Fano Dionyſii, imponeretur *Caroli* nomen, quod poſthac ſemper geſſit, etſi nonnulli ſcriptores Bohemici vtrumque nomen *Carolus Wenceslaus* coniungant. Tandem imminutis nonnihil *Iohannis* Regis aduerſus filium *ſuſpicionibus*, (nam et Bohemicum, prae Patre, Regem optauerant, et pars Luſatorum ad eum Pariſiis degentem legatos miſerant, prorſus ſe in fidem eius daturi,) Pariſios reliquit cum ſponſa a. 1330. in patrium Comitatum Luceburgenſem diſceſſurus. Pater interea, copiis in Italiam ductis, multas Lombardiae vrbes occupauit; ſed conſiliorum leuitate, et artibus Rom. Pontificis impeditus eſt, quo minus diu his ſucceſſibus frui poſſet. Vocato tamen a. 1331. ad ſe filio, *Vicarium Lombardiae* eum conſtituit, addito ei in gubernandis his terris adiutore, *Ludouico* Comite Sabaundiae. *Carolus*, qui vix Italiam ingreſſus, veneno Ticini propinato mortis

pe-

periculum adierat, abſente Patre, rebellione plurimarum ciuitatum Lombardicarum petitus, a Comite autem Sabaudiae deſertus, tamen in fidelitate nonnullarum vrbium, ſuaque ex militum ſuorum virtute, praeſidia non modo ſecuritatis inuenit, ſed etiam illuſtrem ab hoſtibus victoriam reportauit, natus annos ſedecim, ipſo equo, in quo reſidebat, interfecto, a. 1332. Neque hic finis belli fuit, varia fortura gerendi, donec Pater aduolaret a. 1333. qui tamen, quas turbinis modo ante paucos annos proſtrauerat vrbes, eadem prope celeritate omnes amiſit: hunc vnicum fructum expeditionis Italicae filio relinquens, vt hic artis militaris rudimenta egregie diſceret. Reducem a. 1333. ex Italia *Marchionem Morauiae* conſtituit *Iohannes*, ſimulque *Gubernatorem vicarium Bohemiae*, ſe abſente: ipſe enim Lucenburgenſes terras ita adamauerat, vt eas Bohemico regno longe praeferret.

Iam noua dicendorum ſeries oritur ab eo tempore, quo *Carolus* regendae Bohemiae Morauiaeque praefectus eſt, vsque ad acceptum *Regnum Romanum* et *Bohemicum*, p. 42—165. In patriam vrbem rurſus delatus, etiam Bohemicam linguam dedidicerat, quam tamen cito familiarem ſibi reddidit; praeter hanc autem germanicam quoque, latinam, gallicam, et italicam callebat, quod eo tempore miraculo propius videbatur. Ceterum Bohemia, quae eius curae demandata erat, vel attentiſſimam deſiderabat, cum ad hoc tempus fere neglecta a Rege ſuo iacuiſſet. Ne arx quidem regia Pragae habitari poterat: itaque nouam exſtruxit *Carolus*, ſimilem arci Regis Francogallorum, eiusque ſplendoris, qualem Bohemia nondum viderat. Ipſa vrbs Pragenſis viliſſimis aedificiis ſordida, etiam Curia carebat, quam poſt quinquennum demum accepit; licentia autem vitiorum graſſante maximopere infeſtabatur. In reliqua Bohemia non maior tranquillitas, aut ordinum omnium ad publicam ſalutem procurandam conſenſus. Videbantur hae terrae per

longum tempus Rege et legibus caruiſſe. Nam *Iohannes* Rex, longinquis bellis occupatus, quae plurimum pecuniae deſiderabant, huius coaceruandae cauſſa, regias vrbes omnes, arces et terras, vel vendiderat Baronibus Bohemicis, vel oppignorauerat. Ita horum opes et potentia mirifice creuerant, Regique ipſi exaequati, eum contemnere coeperant, cum totidem quaſi regulos agerent, qui regnum inter ſe partiti eſſent. Certe foederibus inuicem conditis, bella perpetua gerebant, hoſtiumque ſuorum ditionem ferro et flamma vaſtabant, ſaepius ex arcibus ſuis erumpentes, agros circumiacentes omni iniuriae genere afficiebant, verbo, omnia libidini et audaciae ſuae, nihil communi quieti et ſecuritati tribuebant. Saepius ab his praedatoribus Rex *Iohannes* pacem argento redemerat. Exilis aut nulla legum et tribunalium auctoritas; Cleri mores diſſoluti; corrupta populi vniuerſi vita, in quo pleraque per vim et ferociam agebantur.

His omnibus medela exſpectabatur a *Carolo*, iuuene ſeptemdecim annorum, qui nec pecuniam, neque exercitum praeſto habebat. Sed prudentia in eo aetatem ſuperabat; amore autem apud Bohemos ſuos tanto valebat, vt, cum neceſſarium tributum eis imperaſſet, vltro illud ab omnibus ſolueretur. Hac pecunia ſubleuatus, vrbes et arces regias a poſſeſſoribus minus legitimis partim aere redemit, partim vi ad ſe redire iuſſit. Regnum vniuerſum peragrauit, comitate et humanitate omnium animos, etiam eorum, quorum potentiam minuebat, deliniens; iudicia etiam ipſe agitauit, et in vniuerſum totus hoc egit, vt ciues ſentirent Regis optimi praeſentiam. Cum pater in Bohemiam rediiſſet a. 1335. erant quidem qui filium apud eum deferrent, quaſi nimiae poteſtatis ambitioſum vindicem, idque hoc euentu, vt Carolus praefectura regni priuatus, eandem illam arcem, quam infans ex filii locum habuerat, intrare cogeretur; ſed eodem anno diſſipatis patrii animi motibus, ad priſti-

Digitized by Google

ſtinam dignitatem reuocatus eſt; quo etiam anno, vna cum Patre, nobilem illam transactionem firmauit, qua *Sileſia a Polonis conceſſa eſt Bohemiae.* Poſtea variis bellis implicitus, et itineribus occupatus, in Germania, Italia, Francia, a Patris fere arbitrio per plures annos pependit, qui etiam nouis exactionibus Bohemiam et Morauiam exhaurire non deſtitit. Tandem hic denuo *Carolum* Vicarium ſuum in Bohemia gubernanda conſtituit a. 1342. qua auctoritate et in hoc regno, et in Morauia atque Sileſia, ſaluberrime vſus eſt. Paullo poſt a. 1344. a *Clemente* VI. pontifice Romano, olim magiſtro ſuo, nunc amico, impetrauit, vt *Epiſcopatus Pragenſis in Archiepiſcopatum mutaretur*, atque ita exineretur a ditione Archiepiſcopi Moguntini.

Sequitur annus vitae *Carolinae* inprimis memorabilis 1346. qui eum *Regem Romanorum* vidit. Multum in eo laborat *Cl. Pelzelius*, vt doceat, nihil in eius electione actum eſſe, quod vel Imperio Romano-Germanico, vel *Caroli* perſona indignum videri poſſit. In quo ei hactenus aſſentimur, dignum fuiſſe *Carolum*, qui Germanis imperaret; ſed iidem optabile iudicamus, vt is ad hoc ſolium melioribus auſpiciis euectus fuiſſet. Etſi enim Electorum pars maior eum Regem appellauerit, tamen ea res omnis ſumma iniquitate Pontificum Romanorum in *Ludouicum Bauarum*, et feralibus in eumdem odiis, imo et violentis conſiliis eorundem, perfecta eſt. Ipſi Electores, qui *Carolo* fauebant, reuera nihil aliud egerunt, quam vt Pontificis voluntatem exſequerentur, paſſi adeo, vt ille principem ex ipſis, Electorem ſeu Archiepiſcopum Moguntinum, munere ſuo exueret, hac vna de cauſſa, quod *Ludouico* fidelitatem intemeratam ſeruaret. Denique inter leges, quas ſubiit *Carolus* iubente Pontifice, vt Imperium Romano-Germanicum impetrare poſſet, eiusmodi ſunt, quae prorſus abhorrere videntur a dignitate Imperatoris Romani: v. c. cum promiſit Pontifici, ſe non ante diem coronationis Romanae obtinendae in

in vrbem venturum, et eadem die, qua coronam acceperit, cum omnibus copiis ſuis ex vrbe migraturum eſſe. Fatetur etiam Noſter, iudex minime hebes, p. 146. eſſe in his conditionibus, quae vix excuſari poſſint, ſi ex ſtatu rerum publicarum, qualis noſtro aeuo cernitur, aeſtimentur. Verum ſi ex temporis, quo *Carolus* vixerit, ſenſu iudicentur, exiſtimat haec longe tolerabiliora eſſe. Quantum hac diſtinctione profecerit Auctor, iam non diſquiremus. Iſtud apud omnes in confeſſo eſt, aequitatis, honeſti, et verae dignitatis eamdem eſſe per omnia ſecula rationem, quam ſi quis ſeculo XIV. per ignorantiam transgreſſus eſt, non tam excuſandus videtur, quam ſorti eius condolendum.

Vix autem Imperium Germanicum adeptus erat *Carolus*, cum ſocium ſe iungit *Iohanni* Patri, profecturo ad bellum, quod tum flagrabat inter Francogallos et Anglobritannos. Ibi pater et filius, cum plurimis equitibus Bohemicis, in nobili proelio Creſſiacenſi a. 1346. eximia fortitudinis documenta edidere; et *Iohannes* quidem, etſi vtroque oculo orbatus, tamen pugnans inter medios hoſtes, inſigni morte occubuit; *Carolus* vix ſaucius ereptus eſt a ſuis eidem fato. Quo loco narrationis emendandum eſt, quod ſcribit *Pelzelius* noſter p. 158. in proelio commemorato tormenta bellica maiora vſurpata fuiſſe ab Anglis. Fuit haec quondam traditio vulgaris; nunc, examinatis ſcriptoribus, qui eam commemorant, ad incerta, imo incredibilia ſepoſita eſt.

Sed ſuperſtite *Ludouico Bauaro*, *Caroli* in Germanico Imperio auctoritas anguſtis ſatis finibus circumſcripta erat; illo autem a. 1347. mortuo, ſenſim amplificata eſt, vt adeo ab a. 1349. prorſus ſine aemulis regnare poſſet. Fuerunt qui exiſtimarent, *Carolum* in ea opinione fuiſſe, non licere ſibi, ante ſuſceptam coronam Imperialem, *Aureas Bullas* edere: quos tamen Auctor, nouem exemplis diplomatum *Caroli*, quae ſigillis aureis munita ſunt ante coronationem Romanam, facile confutauit, p. 175. ſq. Iuſſit etiam artifi-

cem

Digitized by Google

cem, figuram vnius ex his diplomatibus aeri inſcriptam exprimere. Dicit porro copioſe de priuilegiis et inſtitutis variis, ſub initia regni a *Carolo* conditis; de *noua vrbe*, quam veteri Pragenſi addidit, de *Vniuerſitate litterarum*, quam ibidem fundauit a. 1348. ad normam Pariſinae; de arce *Caroloſaxenſi*, ſeu *Carlſtenenſi*, quam non procul Praga, non modo in memoriam ſui, ſed inprimis hoc conſilio aedificauit, vt illic pretioſiſſima quaeque tuto adſeruaret, et nonnumquam; velut in ſolitudine quadam, iucunde viuere poſſet; de vinearum et agrorum per Bohemiam cultura, quam ille mirifice adiuuit, deque aliis quae in patriam contulit beneficiis. Inter haec a. 1348. *Carolus*, vt inimicae Bauaricae genti, quae tum Electoratum Brandeburgicum obtinebat, aegre faceret, impoſtori cuidam, qui ſe *Waldemarum*, olim Electorem Brandeb. e gente Aſcania, eſſe mentiebatur, ita adfuit, vt eum Electoratus huius et terrarum adiunctarum poſſeſſorem praeſtare adniteretur. Quae deinde aduerſus *Güntherum*, Comitem Suarceburgenſem, aemulum Imperii non ſpernendum, egerit, ad a. vsque 1349. diligenter quidem, et emendatis quibusdam ſcriptorum hallucinationibus, tradit Auctor; nimis tamen abiecte de *Günthero* ſentire videtur. Quod permulti exiſtimant, *Carolum*, eo mortuo coronam Imperii Germanici denuo ſibi imponi iuſſiſſe Aquisgrani, id Noſter, tamquam ex incertis rumoribus ortam narrationem, repudiat.

Conuerſa hoc tempore ad *Caroli* exſpectationem Italia, interprete quaſi *Petrarcha*, ſignificauit ei a. 1350. quanto ipſius conſpiciendi deſiderio teneretur. Sed illum, quo minus huic deſiderio ſatisfaceret, grauiora quaedam negotia impediuere, inprimis, quae eum prae aliis omnibus occupabat, *Bohemiae* cura. Ibi anno, quem diximus, *nouum Codicem legum* propoſuit, quem *Carolinum* dici volebat, cuius adeo argumentum, et orationem qua illum Ordinibus Regni commendauit, a. p. 310—323. Auctor adiecit. Sed tantum

 ab-

abſuit, vt Codex ille Ordinibus placeret, vt potius promittendum eſſet *Carolo*, numquam ſe has leges Bohemis imperaturum eſſe. Felicior in eo fuit, quod, quam ſucceſſionem in Regno Bohemico votis deſtinabat *Wenceslao* filio, eam vrbes Regni vniuerſi probarent: quo ipſo effecit, vt Regnum iſtud, quod per aliquod tempus electionis iure tributum eſſet, iam hereditario iure ad poſteros eius tranſiret. Nouis deinde Italicarum quarumdam vrbium, et *Petrarchae* precibus, excitatus *Carolus* a. 1352. de itinere Italico ſerio cogitare coepit, aut cogitare viſus eſt: nam ſpem profecto, quam Italorum plurimi de reſtauranda per eum Imperii Germanici per Italiam auctoritate conceperant, ipſe vehementer reſponſo imminuit. Poſt multa tandem in Germania acta, ſed maxime in commoda Bohemiae, et ad fines eius augendos, perfecta a *Carolo*, vocatus ad opem ferendam a Venetis, et qui cum his aduerſus *Iohannem Vicecomitem* (*Viſconti*) foedus inierant, multarum vrbium Lombardicarum dominis, a. 1354. Italiam ingreſſus eſt; neque tamen exercitu ſtipatus, ſed ſplendido tantum comitatu Principum, et tercentis equitibus. Hanc rationem, quam teniut *Carolus*, prudentiam interpretatur Noſter, quod fiduciae potius et beneuolentiae ſummae erga Italos ſignificatione, quam armis et militibus vellet inter eos ſtabilire imperium ſuum; praeſertim cum fortiſſimus auus eius, *Henricus* VII. Imperator, etſi dux decem mille militum, et Gibellinorum opibus ſuſtentatus tamen ne hoc quidem aſſequi potuerit, vt in aede Romana d. Petri coronaretur. Alii autem timida vocant haec conſilia *Caroli*, profectaque ex animo plane alieno a rebus Italicis moderandis, et Pontificum potentia turbanda. Nobis certe, praeter coronationis Romanae ſolemnia, nihil admodum ſpectaſſe *Carolum* in Italia, quam maxime probabile videtur. Factum eſt tamen comitate eius et pacifico ingreſſu, vt non modo ſummis honoribus exciperetur, ſed cum aliis etiam vrbibus, ipſa Florentia ſe ei ſubmitteret, largum-

Digitized by Google

gumque ſubſidium pecuniarum tribueret. Reportauit etiam ex Italia cimelium longe clariſſimum, partem nimirum Euangeliarii, Aquileiae adſeruati, quod d. *Marcus* Euangeliſta, ex credulitate ſuperiorum ſeculorum ſua manu ſcripſiſſe dicebatur. Huius particulam poſtquam a Patriarcha Aquileienſi impetrauerat *Carolus*, Pragam miſit, vbi hodieque adſeruatur. Eam hoc ipſo tempore (a. 1778.) a *Ioſepho Dobrowskio*, Clerico eius vrbis, typis vulgatam, doctisque obſeruationibus illuſtratam eſſe, vix eſt quod addamus. Ceterum, quae manu ſua huic cimelio, (antiquo certe ſatis, quamuis longe poſt *Marci* aetatem ſubſiſtenti,) adiecit *Carolus*, vt fidem rei apud poſteros faceret, figura ex aere expreſſa ad p. 416. delineari curauit *Pelzelius*.

Atque haec fere de libro eius dicenda habuimus. Inſunt praeterea memoranda plurima, ſed quae noſtra breuibus non capit. Erudient ea, et oblectabunt lectores plurimos, inprimis theſaurus ille diplomatum narrationi ſubiunctus, in quibus et ſermonis vtriusque, latini atque theoticis, proprietas, et hiſtoriae, geographiae, iurium diuerſorum, morum denique eius aetatis lumina permulta apparent, digna doctis et ingenioſis ſpectatoribus. Nec minimam voluptatem e ſigillis *Caroli* aere expreſſis, et imagine eius, delineata ad archetypum arcis Caroloſaxenſis, capient. Nos bene precati laboribus Viri Cl. quos, non hoc demum libro edito, hiſtoriae patriae dicauit, optamus maximopere, vt Pars eius ſecunda, grauiſſima hiſtoriae Germanic ecapita complexura, prodeat quantocius.

Digitized by Google

VARIETAS LECTIONIS IN TRES AESCHYLI Tragoedias priores, ex Codice Academiae Vitebergenſis, edente IO. CAROLO ZEVNIO, graecar. litterar. Prof. Ordin.

Eſt Codex chartaceus, ſeculo circiter tertio et decimo ſcriptus, qui, praeter Lycophronem cum Tzetzis commentario, Heſiodum cum commentario, Cleomedem de Circulis, priorem partem Euripidis Hecubae, continet tres Aeſchyli tragoedias priores, ſed foliis aliquot mutilatas, *Prometheum vinctum*, *Septem contra Thebas et Perſas*, cum ſcholiis et breuioribus inter verſus, et longioribus penſo cuique adiectis. Haec ſcholia quidem fere cum vulgatis conueniunt, ſed interdum diſcrepant exhibentque luculentiorem verborum rerumque explicationem. Etſi autem textus ipſe haud raro, fateor, vitiis librarii craſſioribus laborat, continet tamen interdum lectione bonas, et vulgatis haud dubie praeferendas. Contuli igitur illas tragoedias cum editione Aeſchyli Stanleiana, quae anno proximi ſeculi ſexageſimo tertio Londini prodiit, et diſcrepantiam lectionis bonam malamue iam lectoribus, ſeu potius editoribus Aeſchyli, exhibeo.

AD AESCHYLI PROMETHEA VINCTVM

Folia circiter octo in codice perierunt vsque ad verſum, qui ſtatim notatur.

Verſ. 268 *οὐ μὴν τι*) In codice eſt *τοι* pro *τι*. Sed ratio verſus Iambici breuem hic requirit ſyllabam.

274 *πείθεσθε συμπ*) Poſt alterum hoc *πείθεσθε* librarius metri non curioſus ex antecedentibus repetiit *μοι*.

293 *γνώσῃ δὲ τάδ'*) Omittitur *δὲ*, et pro *οὐδ'* eſt *οὐ*, et ante

ante χαριτογλ. interpolatur σε, contra ſenſum: et neglecta particula δὲ ſoluit vincula orationis.

309 μεθάρμοσαι) MSti μεθάρμοσον videtur praeferendum vulgato, quod ex ſimilitudine antecedentis παραινέσαι fictum eſſe arbitror. Caeterum Scholiaſtes MS. recte quidem νέους explicat per ἑτέρους, ſed perperam opinatur intelligi εἰς.

313 κλύοι) MS. κλύει; ſed ἂν repudiat indicatiuum.

ibid. ὥστε σοι τὸν νῦν χόλον παρόντα μόχθων παιδιὰν εἶναι δοκεῖν) Simile eſt illud Terentianum Eun. II, 3, 8: *Hic vero eſt, qui ſi occeperit ludum iocumque dices fuiſſe illum alterum, praeut huius rabies quae dabit.* Cf. Pet. Victor. Var. Lect. VI, 13. Caeterum accuſatiuus MS. μόχθον minus probatur.

320 κακοῖς) MS. κακῶν, quod vt exquiſitius praeferendum puto datiuo ex interpretatione orto. Nam εἴκειν interdum genitiuo iungi conſtat.

323 πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτείνειν) H. e. interprete Scholiaſte, βλάπτειν ἑαυτόν. Cf. Actor. Ap. IX, 5.

333 εὐπιθής) MS. εὐπειθής, verſu repugnante.

340 οὐδαμῆ) MS. οὐδὲ μή.

343 θέλεις) MS. θέλοις, haud male, cum ob ſenſum, tum ob vim particulae εἰ.

345 MS. reponit ἐγὼ γὰρ εἰ δυστυχῶ, τοῦδ' εἵνεκ' οὐ, perperam: et mox πλείστους pro πλείστοισι, vitioſe.

348 ἐσπέρους) MS. ἑσπερίους minus ferri poteſt, quam verſu 355 γαμφηλῆσι

363 παρήορον) MS. παράωρον, verſu inuito.

368 ἀγρίαις) MS. ἀγρίοις, ſed γνάθοις poſcit vulgatum.

376 χόλου) MS. χόλον, ſed rectius τῷ λωφᾷν iungitur genitiuus, vt infra verſ. 655. et Odyſſ. ι, 460: καδδή ἐμὸν ἦτορ λωφήσειε κακῶν.

381 προθυμεῖσθαι δε) Pro δε eſt με.

384 τηνδε τὴν νόσον νοσεῖν). Hoc eſt ἀττικώτερον quam MS. τῇδε τῇ νόσῳ νοσεῖν. Cf. Gregor. de Dial. Attic. §. 1.

385 δοκεῖν φρενεῖν) MS. φρονεῖν δοκεῖν.

386 δοκήσει) MS. δοκεῖ σοι.

387 ϛέλλει πάλιν) *Remittit.* MS. ϛέλλει πάλαι, vitioſe. Sed ſcholion interlineare recte ὀπίσω, quae eſt interpretatio τȣ̃ πάλιν.

389 κρατȣ̃ντι) MS. θακȣ̃ντι, ſed vulgatum inter lineas eſt notatum.

394 ψαίρει) Inter lineas MS. eſt veterum editionum lectio ψαύει. Sed ψαίρειν πτεροῖς οἶμον αἰθέρος, *accelerare alis viam aëris*, h. e. *aduolare*, magis conuenit generi dicendi audaciori Aeſchyli.

404 τοῖς πάρος θεοῖς δεικνυεῖν αἰχμάν) MS. θεοῖς τοῖς πάρος δεικνύει αἰχμήν. Sed vulgatum et verſui, et dialecto Doricae, qua Chorus vtens inducitur, eſt conuenientius.

418 πόρον) Huius poetici verbi ſcholion puto lectionem MS. τόπον. Caeterum idem τόπον quoque laudat ſcholiaſtes MS.

420 ἔθνος) MS. ἄνθος, vitioſe.

422 νέμονται) MS. νέμȣσι, ſed ſcholiaſtes legit vulgatum.

425 ἄλλον ἐν π.) MS. ἄλλων ἐν π. haud inepte. Idem legit Sholiaſtes MS., qui verſum explicat ſic: Μόνον δὴ πρόσθεν· μόνον φησὶ πρὸ σȣ̃, ἢ τῶν ἄλλων θεῶν τὸν Τιτᾶνα Ἄτλαντα εἶδον δαμασθέντα ἐν πόνοις, ἐν βλάβαις.

428 Ἄτλανθ᾽ ὃς αἰὲν) Scholiaſtes MS. ad hunc locum hos laudat verſus:

Μῦθος παλαιὸς ὡς Ἄτλας νώτοις φέρει
Τὸν ȣ̓ρανὸν ἄνωθεν ἐκ γῆς ἀνέχων.
Σὺ γȣ̃ν ἀκȣ́ων γνῶθι τȣ̃τ᾽, ἀλληγόρως·
Ὄρος γὰρ Ἄτλας Λιβύοις ἐν ἐσχάτοις.
Οὗ τὴν κορυφὴν, ἐκ νεφῶν κεκρυμμένην,
Εἶναι δοκȣ̃σιν ȣ̓ρανῷ συνηγμένην.
Ἐντεῦθεν ȣ̓ν Ἕλλησιν ἡ μυθȣργία,
Ἄτλαντα νώτοις ἐσαεὶ πόλον φέρειν.

430 ὑποβαϛάζει) Haec lectio, quae inter lineas MS. eſt quoque notata, mihi videtur ſcholion eſſe lectionis MS. exquiſitiſſimae

ὑπο-

ὑποστενάζει, quam Sholiaſtes MS. explicat *μετὰ στεναγμοῦ ἦχον ἐκφέρει*, ſed editus melius, *μετ' ὠδίνης ὑπανέχει*.

431 *βυθός*) MS. *βαθύς*, corrupte.

432 *ὑποβρέμει*) MS. *ἀποβρέμει*, idemque laudat Scholiaſtes MS.

434 *οἰκτρόν*) MS. *πικρόν*.

435 *μήτ' αὐθαδίᾳ*) MS. *μηδ' ἀθυμίᾳ*, ſed vulgata eſt ſupra ſcripta.

438 *καίτοι*) MS. *καί τι*, contra verſum: ibid. *γέρατα* pro vulgato *γέρα*. Sed Scholiaſtes interpretatur lectionem vulgatam.

448 *χρόνον*) MS. *βίον*, quod, ni fallor, ad gloſſemata referendum eſt. Nam *χρόνον* commode poteſt explicari, vt verbis Scholiaſtae vtar, *πάντα τὸν καιρὸν τῆς ζωῆς*.

456 *ἀντολάς*) MS. *ἀνατολάς* Sed ſyncope poſtulatur a verſu.

472 *κακὸς δ' ἰατρὸς ὥς τις ἐς*) Pro *κακὸς* dat MS. *κακῶς*, vitioſe, et pro *ὥς τις* exhibet *ὥστε*, quod ob hiatum non magis ferri poteſt, quam veterum edd. *ὅστις*, (quod eſt etiam inter lineas MS.) ob ſenſum. Sed Stanleianum *ὥς τις*, h. e. *tantum aliquis medicus malus*, ſolum probo, et interpretatus eſt quoque Scholiaſtes, *ὥσπερ δέ τις ἄτεχνος ἰατρὸς* etc.

475 *μου*) MS. *μοι*, et ſupra eſt ſcriptum, vt ſcholion, *ἐμοῦ*. Caeterum in Scholiaſte edito ad h. l.. *τὰ ἄλλα μου σοφίσματα ἀκούσαι, πλέον θαυμάσετε οἵας τέχνας καὶ ἐβουλευσάμην*, corrige e MS. *ἀκούσασα*, et *θαυμάσεις*.

476 *δόλους*) MS. *πόρους*, quod equidem non ſpreuerim: nam accipi poteſt cum Scholiaſte de *μηχαναῖς*, *viis*, *modisque perficiendi aliquid: die Mittel und Wege*.

486 Abeſt *τε* in MS. ſed repugnante metri ſenſusque ratione.

497 *θνητοὺς*) MS. *θνητά*, ſed genuinum ſupra ſcriptum eſt.

503 *σάφ' οἶδα, μὴ μάτην*) MS. *σάφ' οἶδ' εἰ μὴ μάτην*, haud abſurde.

504

Digitized by Google

504 συλλήβδην μάθε) MS. συλλήβδην μάθοις.

516 ἄρ᾽ ὁ Ζεὺς) MS. ἄρα Ζεύς. Gaeterum vtraque lectio efficit verum Iambum, quia ζ eſt littera compoſita, et adeo ob poſitionem, quam dicunt, praecedentem ſyllabam poteſt producere.

517 ἐκφύγοι) MS. ἐκφύγῃ.

519 Excidit οὖν ibid. et verſu 521 deeſt δὲ poſt τόν.

524 δύας) MS. βίας. Sed vulgatum eſt exquiſitius. Eſt vero δύη, interprete Heſychio, δυστυχία ἢ ἔνδεια, πόνος, ταλαιπωρία.

526 θεῖτ᾽ ἐμᾷ) MS. θεῖτο ἐμᾷ.

531 Ὠκεανοῖο) MS. Ὠκεανοῦ.

547 ἄχαρις χάρις) MS. χάρις ἄχαρις.

558 ἐκεῖνό θ᾽ ὅ τ᾽ ἀμφὶ λοετρά τε καὶ) MS. ἐκεῖν᾽ ὅ τ᾽ ἀμφὶ λουτρὰ καὶ.

559 ἰότητι) MS. ἰότατι.

560 τὴν ὁμοπάτριον ἕδνοις ἤγαγες Ἡσιόνην) MS. τὰν ὁμοπάτριον ἕδνοις ἄγαγες Ἡσιόναν, recte.

664 χαλινοῖς, MS. χαλινοῖσιν.

565 ἀμπλακίης etc.) MS. ἀμπλακίας ποιναῖς ὀλέκῃ σήμερον ὅπῃ γᾶς. Sed Dorismus a reliqua oratione eſt alienus.

585 ποντίοις) MS. ποντίοισι.

590 πρόσφθεγμα) MS. φθέγματα.

594 συγητός) MS. συγητῶς. minus eleganter.

598 Pro δὲ eſt τε in MS.

614 θνητοῖσιν) MS. θνητοῖσι. Semper et vbique recte noſter codex illud ν ἐφελκυστικὸν omittit in caeſura et fine verſuum: quod hic ſemel monuiſſe ſat erit. Cf. Erneſtii V. C. ad Iliad. ά, 2.

620 μὲν) MS. μέντοι, contra verſum.

627 τοῦδέ σοι) MS. τοῦδε τοῦ: idem legit Scholiaſtes.

638 ὡς ἀποκλαῦσαι) MS. ὡς κ᾽ ἀποκλαῦσαι.

639 ὅπῃ) MS. ὅποι.

641 ἀπιστῆσαι) MS. ἀποστῆσαι, quam librarii aberrationem eſſe ſuſpicor, praeſertim cum ſcholion ſupra ſcriptum παρακοῦσαι explicet τὸ ἀπιστῆσαι.

651 τέθαλπται) MS. τέθαπται, ſed genuinum intra lineas eſt

Digitized by Google

eſt explicatum per κατακαίεται. Sed fortaſſis τέθωπται ortum eſt ex ſcholio τέτρωται, quo quis illud τέθαλπται ſit interpretatus.

651 'πολακτίσης) MS. 'πιλακτήσης.

654 τε πρός) MS. τε καὶ πρός. Sed dubium non eſt, quin καὶ ſit ortum ex interpretatione τῦ τε.

659 Δωδώνην) MS. Δωδώνης.

660 μάθοι) MS. μάθῃ.

663 ἀστήμως) MS. ἀσήμυς, et mox omittit τ', perperam. Non magis probatur verſu 675 κεράστης et praetermiſſio ὡς.

680 τὺς ἐμὺς) MS. τὰς ἐμὰς. At στίβος non niſi generis maſc. eſt.

683 γῆν πρὸ γῆς) MS. γῆς πρὸς γῆν, et Scholiaſtes MS. locum recte interpretatur, ἐγὼ δὲ ὑπὸ τῦ οἴστρυ πεπλαγμένη γῆς πρὸς γῆν ἐλαύνομαι· ἤτοι ἀφ' ἑτέρας γῆς εἰς ἑτέραν γῆν ἐλαύνομαι.

684 ὅ τι) MS. ἔτι.

685 σήμαινε) MS. σήμηνε recte.

691 καὶ δύστοιγα) In MS. excidit καὶ.

697 λέγ', ἐκδίδασκε· τοῖς νοσῦσί τι γλυκὺ) MS. λέγε δίδασκε etc. male. Sed pro τι habet γάρ, quod probo. Nam τι facile intelligi poteſt.

699 χρείαν) MS. χρείαν τ', inepte.

701 ἀμφ' ἑαυτῆς) MS. ἀφ' ἑαυτῆς.

701 ἀκύσαθ') MS. ἀκύσεθ'.

704 σὺ δ') MS. σύ τ', vitioſe.

705 τέρματ') MS. τέρμ', quod aeque vitioſum eſt, quam ἀνατολὰς verſu ſeq.

707 στρέψασα) MS. τρέψασα.

718 πρὸς αὐτὸν) MS. πρὸς αὐτὸν τὸν, male. Eſt vero τὸν fictum ex repetita temere ſyllaba praecedente.

720 ἀστρογείτονας) MS. ἀστυγείτονας. Hic librarii inſcitia repoſuit id, quod ſibi notius erat.

727 αὗται) MS. αὐταί, ſed vulgatum praeſtat.

740 μηδέπω 'ν προοιμίοις) MS. μηδ' ἐπῶν ἐν προοιμίοις, corrupte.

741 ἒ ἒ ἒ ἒ) MS. ἒ ἒ φεῦ φεῦ, haud inepte.

742 κἀνχρεμπτομένη... χαναμυχθίζῃ) MS. χαναμυχθίζῃ, quod mihi placet.

759 *σοι μαθεῖν*) MS. *μαθεῖν σοι.*

765 *τάδε*) MS. *τόδε.*

769 *πρὶν*) MS. *πλὴν*, vitioſe.

770 Excidit *σ'* in MS. hic et verſu 772.

773 *ἄλκισιν*) MS. *ἄλγεσι.*

777 *δυεῖν*) MS. *δυοῖν.*

782 *λόγχης*) MS. *οἴκης*, ſed genuinum ſcriptum eſt ſupra.

789 *ὅταν*) In hoc MS. et aliis, quos vidi, ſemper ſcribitur ſeparatim *ὅ τ' ἄν.*

792 *Κισθήνης*) MS. *Κινθήνης.*

800 *τοιοῦτο*) MS. *τοιοῦτον.*

803 *τόν τε*) MS. *τόν γε*, minus recte.

804 *Λερμακσπόν*) Idem exhibetur in MS. ſed in edd. vett. eſt *Λερμακσπῶν*, quod verum puto.

818 *εἰ μέν τι*) Pro *τι* eſt *τοι* in MS.

839 *κληθήσεται*) MS. *κεκλήσεται*, haud inepte.

863 *ἐπ' ἐχθροὺς*) MS. *ἐς ἐχθροὺς*, quod verius eſſe arbitror, cuius ſcholion ſit vulgatum. Similiter euenit in libris Xenoph. Cyrop. III, 2, 9, vbi veram, opinor, nuper reſtitui lectionem ex melioribus libris.

866 *γναμπῶν δυεῖν δε θάτερον*) MS. *γναμπτοῖν δυοῖν θάτερον*, vitioſe.

873 *μήτηρ ἐμοὶ*) MS. *μήτηρ ἐμή*, ſed vulgata eſt elegantior.

874 *ὤπῃ*) MS. *ὤποι.*

880 *φόβῳ φρένα*) MS. *φρένα φόβῳ.*

907 *ταπεινός*) MS. addit. *γάρ*, ſed quomodo per metrum et ſenſum ferri poſſit, non video.

911 *ἐκπιτνῶν*) MS. *ἐκπίπτων*, quod quin ſit vulgati interpretamentum non dubito.

916 *χεροῖν πυρπνόον*) MS. *χερσὶ πυρίπνουν.*

921 *κρείσσον'*) In ed. vet. *κρείσσων*, vitioſe.

929 *δεσπόσειν*) MS. *δεσπόζειν*, male.

933 *ἄν σοι τοῦδέ γ'*) MS. *σοι τοῦδ'*, ſed ita deeſt pes.

934 *οὐδ'*) MS. *οὐδ.*

637 *μέλει*) MS. *μέλλει*, qua confuſione nil frequentius eſt in libris veteribus.

944 *ἐφημέροις*) MS. *ἡμέροις.* Sed vulgata lectio magis conuenit Mercurio homines contemnenti, qui ob vitae breuitatem ſic dicuntur, et opponuntur diis ſempiternis.

949 ἕκας' ἔκφραζε MS. ἕκαστα φράζε.

957 τυραννοῦντ') MS. κοιρανοῦντ', quod ſcholion vulgati eſſe ſuſpicor.

960 πολλῶ) MS. πολλῷ.

962 ἂν ἰσοῤῥοπῆς) MS. ἀνισοῤῥεπῆς.

964 καθωρμισας) MS. καθώρμισας.

968 φῦναι) MS. φῆναι: idem legit Scholiaſtes, qui explicat per λέξαι.

970 πήμασι) MS. cum Scholiaſte πράγμασι.

987 πευσεῖσθαι) MS. πεύσεσθαι.

989 προτρέψεται) MS. προστρέψεται.

99 φράσαι) Ibid. φράσειν.

1008 νεοζυγὴς MS. νεοζυγός.

1019 ἐκτελευτήσας) MS. ἐκπλήσας, et vulgatum eſt ſupra ſcriptum. Sed ipſa verſus ratio oſtendit, ἐκπλήσας eſſe ſcholion vulgati.

1023 δαιταλεὺς πανήμερος) h. e., interprete Scholiaſte, δαιτυμὼν διὰ πάσης τῆς ἡμέρας. Igitur haec lectio multo eſt grauior et rei aptior, quam δαιταλεὺς ἀνήμερος, (h. e. ἄγριος, vt ſcholion interlineare interpretatur,) quae in MS. a manu ſecunda temere eſt inducta.

1043 αἰθὴρ) MS. αἰθέρα,, corrupte.

1056 εἰ δ') MS. εἰ τάδ', et mox ὑμεῖς δὲ pro vulgato ὑμεῖς γ' αἰ.

1060 ὑμῶν) MS. ὑμῖν, quod praeferendum puto; nam datiuus eleganter ponitur loco genitiui.

1079 καὶ μὴν) In MS. hi verſus tribuuntur choro, et Prometheo tres poſtremi: ſed omnem eſſe Promethei orationem cum aliunde patet, tum ex verſu 1088.

1092 ἔκδικα) MS. ἄδικα.

Sub finem commentarii Scholiaſtes laudat hos in Promethea verſus:

Στίχοι εἰς τὸν Προμηθέα.

Ἀνθ' ὧν τὸ πῦρ δέδωκας ἀνθρώπων γένει,
Τρήχει βίᾳ φάραγγι προσπεπηγμένος·
Τὸ πῦρ, Προμηθεῦ, ὃ βροτοῖς ἐχαρίσω
Ὕλη πρὸς ἀκάματον ἐυρέθη φλόγα,
Ὀργῆς κατὰ σοῦ πρὸς θεὸν πυρσευμένης.
Αἰσχύλε, τί φῆς τοὺς θεοὺς σὺ προσφερεῖς
Πάσχοντας αἰσχρῶς ἐκ θεῶν ὁμοτρόπων;

 Καὶ

Καὶ πῶς ἄρα λέληθας σαυτὸν εἰς τέλος
Θεοὺς σεβάζων τοὺς παθητοὺς τὴν φύσιν
Καὶ μὴ δυνατοὺς ἐκφυγεῖν τιμωρίας;
Ὀυαὶ Προμηθεῦ κράζον οὐαί σοι μέγα·
Χάριν βροτῶν γὰρ ἠπάτησας τὸν Δία,
Καὶ λάθρα τούτου πῶς τὸ πῦρ ἐκεκλόφεις,
Ἐι τοῦδ' ἐπείσθης ὥιπερ ἐσαυρωμένος
Τὸν ἐκβαλόντα τῶν θρόνων εἰπεῖν Δία,
Τῷ τοι κεραυνὸς ἐκ πολλοῦ κατηγμένος
Ἔργον τίθησι συντριβῆς σὲ τὸν τάλαι
Ἄιαζε τοίνυν· τοῦτο γὰρ πάρεσί σοι.

Ad Aeſchyli tragoediam SEPTEM CONTRA THEBAS.

Verſ. 1. Verba ſcholii vulgati πρυμνὴν καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς πόλεως, corrige e MS. πρυμνὴν μὲν τὴν ἀρχὴν ὀνομάσας τῆς πόλεως, οἴακα δὲ etc.

4 θεῶν) MS. θεοῦ. Sed grauiorem orationem efficit lectio vulgata, quia ita vnus Eteocles opponitur Diis *pluribus*.

16 τέκνοις τε) MS. τέκνοισί τε.

18 παιδίας) MS. παιδείας.

21 ῥέπει) MS. ῥέποι.

25 φρεσὶν πυρὸς) MS. φρεσὶ πυρὸς, recte. vid. ſupra ad Aeſch. Prometh. verſ. 614.

45 Ἄρην, Ἐνυὼ) MS. Ἄρη τ' Ἐνυὼ recte.

60 κονίει etc.) MS. κονιεῖ, πεδία γὰρ ἀργιστὴς, corrupte.

62 νηὸς) MS. νεώς.

64 χερσαῖον) MS. χερσαίου, ſed manus ſecunda reſtituit vulgatum.

75 δουλίοισι) MS. δουλείοισι.

82 σαφὴς) MS. σαφὴς δ'.

84 τ' ἐγχρίμπτεται) MS. δὲ χρίμπτεται βοᾷ.

93 θεῶν) MS. θεαιῶν.

110 ἔθω) MS ἔθου.

111 πολισσοῦχοι) MS. πολιοῦχοι, ſed vulgatum ſupra ſcriptum eſt.

142 γένους) MS. γένος, quod haud ſperno: nam accuſatiuum repetendum puto ab ellipſi κατὰ.

146 πελαζόμεσθα) MS. πελαζόμεθα, et mox λύκι' pro λύκει.

153 ὅττοβον) MS. τὸ ἀκροζόνιον ὅττοβον.

161 ποῖ) MS. πῆ.

175 δορίπονον) MS. δορύπονον.

178 πανδίκως) MS. πανδίκως.

183 μέλεσθ') MS. μέλεσθε δ'.

209 ἀκύσασα) MS. εισακύσασα.

216 πρὸς κύματι) MS. ἐν κύματι, ſed ἐν ex interpretatione eſſe ortum patet.

219 ὀλοᾶς νιφομένης.) MS. ὀλοῆς νιφομένας.

222 πολεμίων) MS. πολέμιον.

226 Omiſſa ſunt in MS. verba μήδ' ἐπίδοιμι πάνδ' ἀσυδρομυμένην πόλιν.

232 δέ τ') MS. δ' ἔτ', rectius.

234 ἐκ χαλεπᾶς.) MS. κὰκ χαλεπᾶς.

244 ἔκηλος) MS. εὔκηλος.

248 τετρωμένης) MS. τετραμμένης, ſed manus recentior reſtituit vulgatum. Sed Scholiaſtes interpretatus eſt ἡττημένους. Ergo ſpectauit lectionem MS.

249 πύθησθε) MS. πείθησθε, vitioſe. Sed ſimilis ſonus, quo Graeci efferebant, et nunc quoque efferunt, litteras υ et ει et η, ſaepe eiusmodi confuſiones et deprauationes peperit.

250 φόβῳ βροτῶν) MS. cum Scholiaſte habet φόνῳ βροτῶν. Sed vulgatum praeſtat. Nam τούτῳ φόβῳ βροτῶν non ad ἐὰν θνήσκοντας ἢ τετρωμένους πύθησθε, poteſt referri, ſed ad κωκυτοῖσιν ἁρπαλίζετε. Igitur τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται φόβῳ βροτῶν ſignificat: *Nam eiusmodi eiulationibus trepidatio fit maior, et ciuium animi ita terrentur, vt hoſtibus minus fortiter reſiſtant.*

253 δῆθεν) MS. γῆθεν, h. e. *ex terra.*

260 καί με) MS. κἀμέ.

263 ἄνδρας) MS. ἄνδρες. Sed accuſatiuus refertur ad ellipſin ὁ Ζεὺς ὤπασε μοχθηρούς.

272 κρείσσω συμμάχους) MS. κρείττω ξυμμάχους, recte.

274 ἱερὸν εὐμενῆ παιώνισον) MS. ἱερὸν παιάνισον, et εὐμενῆ a manu recentiori inter verſus eſt adſcriptum.

279 πηγῆς) MS. παγᾶς, ſed Dorismus ab Eteoclis perſona eſt alienus.

287 γάρ τι) MS. γάρ τοι.

290 μολών) MS. μολῶν.

291 ταχυρρόθους) MS. ταχυρρόφους.

293 ὑπνώσσει) MS. ὑπνώσει.

299 δυσευνήτειρα πάντροφος) MS. δυσευνήτειρ' ἁπάντροφος.

318 πολιοῦχοι) Inter verſus MS. eſt πολισσοῦχοι, id quod alias apud Aeſchylum occurrit.

349 ἐπιπνεῖ) MS. ἐπιτνεῖ.

352 πτόλιν δ' ὀρκάνη.) MS. πόλιν δ' ὀρκάνα.

353 δορὶ καίνεται) MS. καίνεται δορί.

361 κεληημμένος) MS. λελαμμένος.

364 ἀλγύνει) MS. ἀλγυνεῖ.

368 ῥοθίοισι) MS. ῥοθίνοις.

380 σπουδῇ) MS. σπουδῆ.

382 ἕκαστος εἴληχεν) MS. ἕκαστον εἴληχε.

385 σφάγια) MS. σφράγια.

388 θένει) MS. θύνει.

389 σαίνει) MS. σαίνει.

427 ὀλομένων) MS. ὀλυμένων.

429 ἠλέκτραισιν εἴληχεν) MS. ἠλέκτροισιν ἤληχε.

442 κομπάζοντα) MS. κομπάσαντα.

452 τοῖς ἡλίου) MS. τοῦ ἡλίου.

461 ὑπερκόμπω) MS. ὑπερκάμπω.

469 φιμοὶ) MS. φειμοί.

473 ἐκπέρσαι) MS. ἐκπρῆσαι.

479 καὶ πέμπεται — χεροῖν) MS. καὶ δὴ πέμπει οὐ κόμπον ἐν χερσίν, et inter verſus, vt diuerſa lectio, notata eſt καὶ πέμπεται.

480 τῶν σπαρτῶν γένους) MS. τοῦ σπαρτῶν γένους, recte.

487 τῷδε) MS. τάδε, et Scholiaſtes interlinearis intelligit κατά.

507 πρῶτον) MS. πρῶτος.

510 τόκος) MS. τέκος, quod ab Aeſchyli conſuetudine non abhorret. Sic. v. c. infra verſ. 683. etc.

515 τῷ ξυστήσεται) MS. τῷδ' συστήσεται.

518 ἐπ' ἀσπίδων) MS. ὑπ' ἀσπίδος.

521 τοιάδε) MS. τοιαύτη, ſed inter lineas lectio vulgata notata eſt.

525 Ὑπερβίῳ γε) Pro γε eſt τε in MS. quod ob antecedens τε praeferendum eſſe duco.

529 ἐχθρὸν) MS. ἐχθρῶν, vitioſe.

533 προσαχθέντα βορῥαίαις) MS. προσαθέντα βορρέαις.

538 ματρὸς) MS. μητρός.

544 οὐ μὴν ἀκ.) MS. οὐ μὴν δ' ἀκομπαστός γ' ἐπίσταται. Illud δ' haud eſt ineptum.

547 προσμεμηχανευμένην) MS. προσμεμηχανημένην. Similiter infra 649 eſt προσμεμαχανημένον.]

564

Digitized by Google

564 ἰχθίαι) MS. ἀδίκει, quod magis poeticum eſſe arbitror.

566 ἔξωθεν ἔσω) MS. ἔξωθεν δ' ἔσω.

571 Ab hoc verſu vſque ad 610 deſunt: nam vnum folium excidit.

622 ἄθυμ.) MS. ἄθυμος.

636 Abeſt Ζεύς.

639 οἷα:) MS. οἷά.

641 ἐπεξιακχάσας) MS. ἐπαγξιακαγχασας.

646 γᾶς) MS. γῆς.

650 τευχηστὴν) MS. τευχηστόν.

652 φησὶν) MS. φασίν.

655 ἐστὶ) MS. εἰσί.

657 τῷδε) MS. τῶνδε.

660 ἀμὸν) MS. ὑμόν.

661 δὴ) MS. δέ.

665 τἀπίσημ' ὅπου) MS. τἀπίσημ' ὅπη.

667 τύφῳ) MS. φοίτῳ, haud male. Eſt vero φοῖτος, interprete Heſychio, μανία, λύσσα. ib. τὴν ἰδραίαν μανίαν φοῖτον ἔλεγον, τουτέστι τὸν μεθ' ὁρμῆς μεμηνότα.

675 συμπαραστατῶν) MS. νῦν παραστατῶν.

682 αἰχμὴν) MS. αἰχμῆς.

688 γῆρας) Eadem lectio quoque inter lineas MS. exſtat, ſed in ipſo textu eſt πέρας, quod, ni fallor, eſt ſcholion vulgati.

690 γὰρ κέρδος) MS. κέρδος γάρ.

692 θυμοπληθὴς) MS. θυμοπληθύς.

703 πρότερον ὑστέρου μόρου) MS. προτέρας ὑστέρου.

711 παρέστηκε) MS. παρέστηκεν.

714 Poſt hunc verſum ſequitur in MS. verſus, ſed vncis incluſus, Εἰς ζέσιν τὸν ἱρὸν θυμὸν ἐξήγειρ' ἑκατέρω.

719 ὧν ἄν τις) MS. ὡς ἄν τις.

726 πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον) MS. πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον.

727 Poſt hunc verſum additur: ἃ γὰρ νύκτωρ παρεκελεύετο καὶ γέγονε.

732 τάδ') MS. ἄδ'.

733 κλήρους) MS. κλήροις, et ſcholion interlineare datiuum repetit ab ellipſi τοῦ ἐν.

736 Abeſt πικρὸς in MS.

738 ὁπόσαν ἂν καὶ) MS. ὁπόσ' ἂν καί.

740 αὐτοκτόνως) MS. αὐτοκτάνωσι.

743 φοίνιον) MS. φόνιον.

754 θνάσκοντα) MS. θνήσκοντα.

756 ἀβουλίαν) MS. ἀβουλίᾳ.

Digitized by Google

759 μητρὸς ἁγνάν) MS. μὴ πρὸς ἁγνάν.

766 τρίχαλον) MS. τροχαλόν.

772 τέλεια) MS. τέλειαι.

787 κραδία) MS. καρδία.

799 δόλειον) MS. δύλιον.

804 MS. exhibet ἐφραξάμεθα μονομάχοισι.

805 πλεῖς᾽ ἐν ἕξ) MS. πλεῖστα ἕξ.

809 παρέν) MS. πλέον, ſed a manu recentiori ſupra ſcripta eſt varians lectio παρών.

810 βασιλέες) MS. βασιλεῖς.

815 Pro μὴν eſt νῦν in MS.

820 Hic verſus, qui legitur τοιαῦτα χαίρειν κακὰ καὶ δακρύσασθαι πάρα, et ſequentes vsque ad φορούμενοι tribuuntur in MS. Choro.

823 παμπησίαν) MS. ταμπησίαν, corrupte.

826 βασιλέοιν) MS. βασιλείοιν.

827 πέπωκεν αἷμα γαῖ) MS. πέπτωκεν αἷμα γᾶν, vitioſe.

832 σωτῆρι) MS. σωτηρία.

840 κακόν με κραδία) MS. κακόν μοι καρδία.

842 deeſt ὠ:, abſorptum a ſimilitudine ſyllabae praecedentis.

843 δυσμόρως) MS. δυσφόρως, ſed vulgatum eſt inter verſus notatum.

849 μέριμνα) MS. μέριμναι.

868 τ᾽ ἤδ᾽) MS. θ᾽ ἤδ᾽.

886 δωμάτων) MS. δόμων, et mox ἱερὰ δ᾽ οἶκοι.

889 διήλαχθε) MS. διήλλακτε.

892 Abeſt in MS. κατεύγματα.

906 Inde ab διήκει vsque ad Ἄρης eſt in MS. oratio Chori.

908 Abeſt δὲ in MS.

917 Inde ab hoc verſu vsque ad 938 oratio tribuitur Nuncio. Caeterum in MS. ſcribitur hic et verſu ſeq. σιδηρόπληκτοι.

919 εἴποι) MS. εἴπη.

924 δαΐφρων) MS. addit δ᾽ hic et verſu ſeq. poſt δακρυχέων.

930 πολιήταις) MS. πολίταις.

931 ξένων τε) MS. ξένων τ᾽ ἐς.

936 αὐτᾶς πόσιν αὐτᾷ) MS. αὐτῆς πόσιν αὐτῇ, ſed inuito Dorismo, qui hic obtinet

937 Pro ἐτελεύτησαν eſt in MS. ἐτελεύτασαν, recte, ob Dorismum.

946 ζωά) MS. ζωή, male.

966 ἐθείνοντο) MS. ἐθείναντο.

968 Hic verſus tribuitur in MS. Iſmenae, et ſequens Antigonae, et ſic deinceps vsque ad verſum 975, a quo

quo ordo eſt perſonarum vulgatus.

972 *Iſmen.* Ἴτω γόος. *Antig.* ἴτω δάκρυα.

975 στένει) MS. σθένει.

980 *Iſm.* Διπλᾶ λέγειν πάρεστιν. *Antig.* Διπλᾶ δ' ὁρᾶν.

983 μοῖραν) MS. μοῖρα.

984 In MS. hinc demum incipit Antigones oratio.

991 πάθει) MS. πάθη.

999 ὕστερον) MS. ὕστερος.

1001 τῶ γ') MS. τῶδ'.

1003 *Iſm.*, Ἰὼ πόνος. *Antig.* ἰὼ ἰὼ κακὰ δώμασιν.

1006 δυστόνων) MS. δυστήνων.

1008 In MS. ſic verſus legitur: Ἰὼ πολυπονώτατοι πάντων: et ſequens demum tribuitur Antigonae ſic: Ἰὼ ἰὼ δαιμονῶντες ἐν ἄτᾳ.

1017 εἴργων) MS. συγῶν.

1025 Abeſt καὶ in MS.

1032 ἄτιμον εἶναι δ') MS. ἄτιμον δ' εἶναι.

1041 κακῷ) MS. κακῶν.

1043 κοιλογάστορες) MS. κοιλογάστερες.

1043 πάσονται· μὴ δοκησάτω) MS. σπάσονται· μηδὲ δοκ. Sed inter lineas πάσονται, vt lectio diuerſa, exſtat.

1050 τόδε) MS. τάδε.

1053 Abeſt δ' in MS.

1054 πόλις στυγεῖ, σὺ τιμ.) MS. πόλις στυγεῖ τιμ.

1055 Eſt in MS. ſic: ἤδη τὰ τῶδ' οὐ τετίμηται θεοῖς; ſed ita verſus laborat.

1059 Hic verſus tribuitur Choro in MS. et ſequens Antigonae: atque verſus 1065 Iſmenae.

1066 μήτε σὲ κλάειν) MS. μήποτε σε κλαίειν, et in ſequente deeſt σέ.

1068 κἀποτρέπομαι) MS. κἀπιτρέπομαι.

1073 τίς ἂν ταῦτα πίθοιτο;) MS. τίς ἂν ταῦτα πύθοιτο.

1076 ἡμεῖς μὲν) MS. ἡμεῖς γάρ.

1078 Pro ἄκος eſt in MS. ἄχος, et poſt πόλις additur γ'.

Ad Aeſchyli tragoediam, quae inſcribitur PERSAE.

Verſ. 6 Δαρειογενὴς) MS. addit Δαρείου υἱός, quae interpolatio facta eſt ex ſcholio.

10 ὀρσολοπεῖται) MS. ὀρσοπολεῖται, et verſu ſeq. omiſſum eſt ἔσωθεν.

13 οἴχωκε) MS. ᾤχωκε, et mox abeſt δ'.

19 ναῶν) MS. νηῶν.

22 Μεγαβάζης) MS. Μεγαβάτης, et Ἀστάπης pro vulgato Ἀστάσπης.

24 βασιλῆς) MS. βασιλεῖς.
26 Abeſt τ.
32 Σωσθάνης) MS. Συσθάνης
44 βασιλῆς διόποι) MS. βασιλεῖς διόπτοι, quod ſcholio interlineari explicatur ἐπόπται.
55 λήματι) MS. λήμματι.
59 αἶας οἴχεται) MS. γαίας οἴχετ.
65 Περσέπτολις) MS. Περσέπολις.
70 Pro Ἕλλης ſcribitur Ἕλλας, vitioſe, et mox ὄδυσμα pro vulgato ὄδισμα.
74 ποιμανόριον) MS. ποιμανοίριον.
80 γενεᾶς) MS. γυγεᾶς, et ſtatim βλέπων Φοινίκ loco τοῦ λεύσσων Φονίκ.
83 πολυναύτης σύριον) MS. πολυαύτας ἀσύριον.
85 δουρικλύτοις) MS. δορυκλύτοις.
88 φωτῶν) MS. addit τάξεσιν, quod manifeſtum eſt ſcholion τοῦ ἰσχυροῖς (ſeu, vt in MS. eſt, ὀχυροῖς) ἔρκεσιν.
92 λεώς) MS. λαός, ſic mox pro ἀπάταν inducta eſt dialectus Attica ἀπάτην, et θνητός, pro vulgato θνατός.
106 ἱππιοχάρμας) MS. ἱππιοχάρμονα.
120 κίσσινον) MS. κισσίνων.
131 ἐξαμείψας) MS. ἀμείψας.
134 πίμπλανται) MS. πίμπλαται.
136 ἑκάστη) MS. ἕκαστα.
140 Pro ἄγε Πέρσαι eſt in MS. ἄγετε Πέρσαι, quod ortum eſt ab eo, qui ignorauit, ἄγε cum plurali recte iungi poſſe.
157 εὐνάτειρα) MS. εὐνήτειρα, et mox omittit καί.
160 κἀμοῦ) MS. κἀμόν, et mox pro καί με eſt καί μοι.
163 κονίσσας — ἀντρέψῃ) MS. κονίσας — ἀνατρέψῃ.
169 Pro νομίζω eſt νομίζε, et mox abeſt ὡς.
181 γυναῖκ' εὐείμονε) MS. γυναῖκες εὐείμονες.
189 ἀλλήλαισι — μαθών) MS. ἀλλήλοισι — λαθών.
208 πτηροῖς) MS. πτεροῖς, et ante κάρα additur τό.
217 Pro vulgato λαβεῖν eſt τελεῖν. Verſu ſeq. eſt τέκνοισι τε pro τέκνοις σέθεν.
223 τἄμπαλιν) MS. τἄμπαν.
226 Abeſt γ', et verſu 228 ἐξιλεοῖτο pro ἐκτελοῖτο.
229 τοῖς δ' ἔνερθε γῆς) MS. τοῖς δ' ἔνερθεν γῆς.
246 δοκῶ — λόγον) MS. δοκῶν — λόγω, et verſu ſeq. τῶδε γὰρ δρόμημα.

Digitized by Google

256 Pro κακὰ eſt καὶ et verſ. 263 ἐφάνη pro ἐφάνθη.

266 Pro γε exhibet MS. τε, et verſus 268 legitur ὀττοτοὶ μάτην.

270 ἀσιδος ἦλθ') MS. ἀσιάδος ἦλθεν.

276 κατθανόντα) MS. καταθανόντα.

282 παγκάκως πάντα) MS. πάντα παγκάκως.

287 Pro τοι eſt τι, et mox poſt πολλὰ additur τῶν.

291 ὑπερβάλλει) MS. ὑπερβάλλοι.

293 βροτοὺς) MS. βροτοῖς.

300 δώμασιν) MS. δόμοισι.

304 πληγῇ) MS. πληγεὶς.

308 'Αργήστης) MS. 'Αργίστης.

313 οὐδε) MS. οὔτε.

318 'Αρτάμης) MS. 'Αρτάβης.

319 σκληρᾶς) MS. σκαληρᾶς, et hic verſus demum poſt ſequentem ſequitur.

322 Σεισάμης) MS. Σησάμης.

329 τοιῶνδέ γ') MS. τοιῶνδ'.

336 ναίοισιν ἐμβολαῖς) MS. ναίοισι συμβολαῖς.

337 βαρβάρους) MS. βαρβάρων.

348 ἔσ' ἄρ') MS. ἔτ' ἄρ'.

359 ἐπινθορόντες) MS. ἐπανθορῶντες.

360 κρυφαίῳ βίοτον) MS. κρυφαίᾳ βίον.

371 στέρεσθαι) MS. στερίσκεσθαι.

374 πειθάρχῳ) MS. πιθάρχῳ.

379 πᾶς θ') MS. πᾶς δ'.

396 ἐπεὶ δὲ) MS. εὐθὺς δὲ.

401 ὑπεξεχώρει) MS. ἐπεξεχώρει.

412 Pro δὴ eſt οὖν, quod inter gloſſemata eſt adnumerandum.

421 ἐκπλήθυνεν) MS. ἐρλήθυνεν.

425 θραύσμασίν τ' ἐπειπλω) MS. θραύμασί τ' ἐρειπίων.

435 κακῶν) MS. κακὸν.

436 ἐπ' αὐτοὺς) MS. ἐπ' αὐτοῖς.

444 οἰκτρῶς) MS. αἰσχρῶς.

445 σωμφορᾶς) MS. συμφορᾶς.

447 ἐστὶ πρόθε) MS. ἔστιν πρόσθεν.

448 ναυσὶν) MS. νηυσὶν.

453 εἰναλίων) MS. ἐναλίων.

457 ἀμφὶ δὲ) MS. ἀμφὶ δ' ἐ, recte.

460 πέτρῃσιν) MS. πέτροισιν.

463 κρεωκοποῦσι) MS. κρεωκοποῦσι, et vulgatum ſeruatum eſt inter verſus, tanquam varians lectio.

465 βάθος) MS. πάθος.

471 πάροιθε συμφορὰν) MS. πάροιθεν συμφορᾷ, ſed manus recentior reſtituit vulgatum.

474 ἀπήρκεσαν) MS. ἐπήρκεσαν.

477 τοσόνδε) MS. τοσῶνδε.

478 ἔλειπες) MS. ἔλιπες.

490 ἐδέξαντ᾽) MS. ἐδέξατ᾽, quod eſt praeferendum.

494 Παγγαῖον) MS. Παγκαῖον.

498 ἤυχετο) MS. εὔχετο.

506 Pro ἐπ᾽ eſt ἐν.

516 ἐνήλϛ) MS. ἐνήλϛ, et mox eſt ἐκφανὴς pro ἐμφανής.

510 αὔτ᾽ ἄγαν) MS. ταῦτ᾽ ἄγαν.

528 Deeſt γε.

531 MS. exhibet verſum ſic: Μηκέτι πρὸς κακοῖσι πρόσθητε κακόν, et ſtatim abeſt ἀλλ᾽.

535 τὸ Σύσων) MS. τοσϛτων.

542 ἀρτιζυγίαν) MS. ἀρτιζυγίην.

553 βαρίδεσσι) MS. βαρύδεσι, et mox deeſt μὲν.

562 πανωλεθρίοισιν) MS. πανωλέθροισιν.

565 αὐτῶν) MS. αὐτόν.

570 κοχρείας) MS. κεχρείας.

575 βοᾶτιν) MS. βοᾷ τὴν.

582 Abeſt in MS. ἐν δάκρυσι.

588 οὐκ ἔτι δασμ.) MS. οὐδ᾽ ἔτι δασμ, recte, et mox eſt δεσποσύνησιν.

590 γᾶν προσπ.) MS. γαῖαν προσπιτνῶντες.

593 ϛδ᾽ ἔτι) MS. ϛκ ἔτι.

595 ἐλεύθερα) MS. ἐλεύθερον.

600 ἔμπορος) MS. ἔμπειρος.

604 τύχης) MS. τύχη, et mox pro φόβϛ eſt φόβων, haud inepte.

606 ὄμμασιν ταὐταῖα) MS. ὄμματ᾽ ἀνταῖα.

609 ἄνευ) MS. ἄνευ τ᾽, quod ob ſeq. τε recipiendum eſſe cenſeo.

611 Abeſt ἔστειλα παιδός,) et mox μειλικτήρια.

614 τῆς τ᾽ ἀνθεμϛργϛ̃ στάγμα) MS. τῆς τ᾽ ἂν στάγμα.

618 Abeſt τ᾽ αἰὲν.

620 Deſunt γαίας τέκνα· ἀλλ᾽ ὦ φίλοι χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων.

622 Pro τε eſt δε, haud male.

623 γαπότης) MS. γ᾽ ἀτόπες.

625 πρέσβος) MS. πρέσβυς.

635 μου) MS. μοι.

640 ἄχη) MS. ἄχθη.

650 φίλα) MS. φίλια.

652 ἀνίει Δαρεῖον) MS. ἀνίη Κιδανεὺς Δαρεῖον.

661 κόρυμβον) MS. κόρυβον.

664 τιάρας) MS. τιήρας.

673 ἀπόλωλε) MS. ὄλωλε, et mox eſt Δαρειών.

677 δυνάτα δυνάτα) MS. δυνάτα δυνάστα.

680 Abeſt σᾶ.

686 πέλας τάφϛ) MS. τάφϛ πέλας.

689 ὀρθιάζοντες) MS. ῥοθιάζοντες.

690 καλεῖτε) MS. καλεῖσθε.

700 *μακιςῆρα*) Idem reperitur inter verſus MS. notatum, ſed in ipſo textu eſt *κακιςῆρα*: mox eſt *ξύντομον* pro *συντομον*.

707 *κλαυμάτων*) MS. *κλαυσμάτων*.

708 *ἰντόχοι*) MS. *ἂν τύχῃ*.

710 *ἦν βίος*) MS. *βίοτος ἦν*.

716 Eſt *ἴπος εἰπεῖν*.

718 Ἀθήνας *πᾶς κατέφθαρται*, et verſu 721 eſt *καὶ* pro *δὲ*.

722 *ςρατηλάτου*) MS. *ςρατηλάτου*.

726 *συνήψατο*) MS. *ξυνήψατο*.

731 *πᾶς λαὸς*) MS. *λαὸς πᾶς*.

733 *κενῆς*) MS. *κυδνῆς*.

740 Pro *δ'* eſt *γ'*, et ſeq. *τε* pro *τὸν*.

743 *ἐκτελευτήσειν*) MS. *ἐκτελευτῆσαι*.

776 *πάτρα*) MS. *πάτρας*.

781 Poſt *κἀγὼ* ſtatim ſequitur illud *πάλυ*.

784 *ὢν νέος*) MS. *νέος ὤν*.

785 *ἐπισολὰς*) MS. *ἐπιτολάς*.

788 *φανεῖμεν*) MS. *φάνημεν*.

793 Hic verſus tribuitur *Choro*, et ſequens *Dario*.

797 *εὐςαλῆ καὶ*) MS. *εὐςαλῆτοι*, ſed inter verſus, vt diuerſa lectio, ſcriptum eſt *εὐςαλῆ*, et additur ſcholion *ἐμμετρον*, vnde vulgatum ſcholion *εὔμιτρον* corrigi poteſt. Caeterum hic verſus tribuitur *Choro*, et ſequentes duo *Dario*.

804 *βλέψαντα*) MS. *βλέψοντα*.

808 *φίλον*) MS. *φίλος*. Qui ſequuntur verſus vsque ad 884, perierunt in MS.

888 *Τήνω*) MS. *Τ νεω*.

892 *ἴλος*) MS. *ἴδος*.

896 *τῆς*) MS. *τάς*, et mox quoque eſt *ματροπόλεις*.

905 Abeſt *τ'*.

913 *ἀτεκμαρτοτάτας*.

924 *ἀπίκειρε* etc.) MS. *ἐπίκειρεν ἡ γᾶ δ' αἰάζει τὰν ἐγγαίαν*.

937 *ἐγενόμαν*) MS. *ἐγενόμαν*, recte.

945 *αἰανὴν*) MS. *αἰανῆ*.

951 *ἀλιταπυ*) MS. *ἀλίτιπα*.

954 *ἰάνων*) MS. *ἰάνων*, et mox eſt *ἰάνων νάφρακτος*.

965 Abeſt *καὶ*, et paulo poſt eſt *ταμβάταναν*.

967 *ὀλοὺς*) MS. *ὀλὺς*, et mox pro *ἔῤῥοντας* eſt *αἴροντας*, et *ςυφέλως* pro *ςυφέλυ*.

970 *θανόντας*) MS. *θείνοντας*.

971 *Φαρνοῦχος*) MS. *Φανοῦχος*.

973 *Σεβάλκης*) MS. *Σεβάλκης*.

975 *Μασίςρης*) MS. *Μασίςρας*.

978 Abeſt alterum *μοι*.

979 ὠγυγίας) Eadem lectio ab initio fuit in MS. ſed a manu ſecunda mutata eſt in ὠγυγίως.

984 Pro τὸν eſt in MS. τῶν.

988 Σηστάμας) MS. Σηστάμας, haud male.

989 Πάρθεον) MS. Πάρθον.

990 In MS. ſic verſus conſtituitur τ' ἔλιπες τ' ἔλιπες

991 Abeſt ὦ δαΐων, pro quo reperitur ὦ ὦ Πέρσαι σ' ἀγανοῖς, et continuatur *Chori* oratio.

992 πρόκακα) MS. πρὸς κακά, ſed verſu 995 exſtat vulgatum.

998 ἄλλο τί) MS. ἄλλο γε.

1003 Κιγδαγάταν) MS. Καγδαδάταν.

1004 αἰχμᾶς) MS. αἰγχᾶς.

1005 Ab initio additum eſt δ' ἦν.

1008 οἱ οἱ) MS. οἱ.

1009 In MS. ſic legitur locus, ἰὴ ἰὴ, ἰὼ ἰὼ αἱ δαίμονες ἔλθετ' ἄελπτον κακὸν κακὸν διαπρέπη.

1016 Ibidem verſus ſic exhibetur, ἰάνων ναυάται.

1021 Pro ἔλωλεν recte eſt ὤλωλε.

1022 τὰ Περσῶν) MS. τε Περσᾶν.

1025 τανδί τ') MS. τανδέ τ.

1032 Abeſt δὲ, et verſu 1035 γ'.

1037 Pro οὖν eſt ουν, et 1040 γ' pro δ'.

1043 ἴθι) MS. ἴσθι.

1049 ἀδ' ἁ) MS. ἄδε. Sequentes verſus perierunt in MS.

ERNESTI CAROLI WIELAND, PHILOS. PROfeſſ. in Academia Lipſienſi, et Coll. Mariae Virginis Collegiati, de Caſtrucio Duce Lucenſi S. R. I. Vexillifero, Commentatio.

§. 1.

Quum in eo eſſet, vt nonus introduceretur Electoratus, Archi-Vexilliferi S. R. I. officium nouo Electori deſti-

ſtinare Caeſari placuit a). Eius rei notitia ad aulam Würtenbergenſem delata, Magdalena Sibylla, Guilielmi Ludouici Ducis Würtenbergenſis vidua, in literis ad Leopoldum Caeſarem datis, non ſolum filii ſui Eberhardi Ludouici, cuius tutor legitimus b) captiuus a Gallis detinebatur, ſed vniuerſae etiam domus Würtenbergenſis cauſam egit, et nouo, cuius mentionem iniecimus, Archi-Officio acriter contradixit, quod ad ſolos Würtenbergiae Duces laudatum officium in Sacro Romano Imperio, feudi antiqui iure, ſpectare certum eſſet c). Neque effectu caruit haec proteſtatio. Imperator enim Auguſtiſſimus, in literis ad Magdalenam Sibyllam miſſis d), ſancte pollicitus eſt, fore, vt in Inueſtitura noui Electoris omnia ea omitterentur, quae in damnum domus Würtenbergenſis vergere poſſent. Quibus etiam promiſſis ſtetit Leopoldus Caeſar; dum in ipſa Erneſti Auguſti Electoris Brunsuico-Luneburgenſis inauguratione, d. $\frac{8}{19}$ Decembr.

a) Quod conſtat ex pactorum inter Caeſarem et Erneſtum Auguſtum a. 1692. d. $\frac{11}{22}$ Martii Viennae celebratorum formulis. In priore enim pacto Imperatorem Erneſto Auguſto non ſolum Electoratum, ſed etiam officium Archi-Vexilliferi promiſiſſe, diſcimus ex ipſius pacti tenore, apud DV MONT *Corps Diplomat. Tom. VIII. P. II pag.* 306. cf. BVRCH. GOTTH. STRVVIVS *in Corp. Hiſt. Germ. Per. X Sect.* 11. §. 74.

b) Fridericus Carolus Dux Würtenbergenſis, Würtenbergici Ducatus Adminiſtrator, cum quatuor militum milibus contra Gallos miſſus, d. 17 Sept. a. 1692. prope Ottershemium ab hoſtibus oppreſſus, et ipſe captiuus Pariſios deductus eſt. STRVV. l. c. Per. X. Sect. 11. §. 73.

c) Leguntur hae literae cum documentis annexis apud CASSANDRVM THVCELIVM *in Electis Iur. Publ. Cap. IV. pag.* 111 —125.

d) Quos exhibet THVCELIVS l. c. pag. 127. Huc vero inprimis faciunt verba Caeſaris quae ſequuntur: *Alſo werden wir wegen gedachten Erz Panner Amts nichts, ſo Dero Printzens Liebden verfänglich ſeyn könnte, verfügen, ſondern ſoviel daſſelbe anbelangt, die Sache zu weiterer Erörterung ausſtellen, und in der Inveſtitur davon abſtrahiren.*

Digitized by Google

cembr. a. 1692. Viennae peracta, omnis officii Archi-Vexillifera us mentio omitteretur *e*). Exorta eſt hac occaſione quaeſtio: an Vexillum Groeningenſe ſeu Würtenbergenſe pro maiori, an vero pro particulari Imperii Vexillo habendum ſit? quam in vtramque partem diſputarunt in ſcriptis publicis viri doctiſſimi *f*). Quod autem ad nos attinet, licet hanc litem noſtram facere nolimus, in iis tamen, quae ſequuntur, demonſtratum dabimus, eodem prorſus tempore, quo vexilli Groeningenſis cura ad Conradum Comitem Schlüſſelburgicum ſpectauit, officium Vexxilliferi S. R. I. Ludouici Bauari Imp. beneficio, ad Caſtrucium Ducem Lucenſem perueniſſe; atque ita diſtinctionem inter Vexillum Imperii maius ſeu vniuerſale, atque illud, quod in vernacula *die Sturmfahne* dicitur, omnino admittendam eſſe.

§. 2.

Ex iis, quae de ſcopo huius ſcripti diximus, ſatis patet, nos id non agere, vt ſingulas Caſtrucii res geſtas exponamus. Breuem ſolummodo iurium et honorum, quibus Ludouicus Bauarus Caſtrucium ornauit, hiſtoriam ſcribere aggredior. Quo melius autem intelligantur ſummi, quo apud Caeſarem Caſtrucius floruit, fauoris cauſae, res paulo altius repetenda eſt. Nullo igitur, vt ab hoc dicendi faciamus initium, natalium ſplendore, nullis maiorum imaginibus, Caſtrucius noſter commendari poteſt. Recens enim natus infans (a. 1284.) in vinea Antonii Caſtracani, Canonici Lucenſis, expoſitus, ab Antonii autem ſorore fratri oblatus *a*) ei-

e) Extant haec ſcripta apud TUVCELIVM *l. c. pag.* 130—234.

f) RINK *in dem Leben Leopolds pag.* 1 60 *ſq.*

a) NICOLAVS MATHIAVELLVS *in Vita Caſtrucii Caſtracani* (quae Italico ſermone ſcripta legitur in *Eiusd. Opp. Part.* II. *pag.* 69. *ſqq.*) *pag.* 72. *Occorſe, ch'andando una mattina poco poi levata di Sole Madonna Dianora (che coſi ſi chiameva la ſirocchia di Meſſer Antonio) à ſpaſſo per la vigna — — ſenti fraſcheggiare ſotto una vite tra i pampini, e rivolti verſo quella parte gli occhi ſenti*

eidemque Caſtrucii nomen impoſitum eſt *b*). Antonius autem Caſtracanus, pietate permotus, educandi infantis curam ſuſcepit; et tanto puerum, quem vitae eccleſiaſticae deſtinauerat, amplexus eſt amore, vt iam de beneficiis ſuis, facta renunciatione, in Caſtrucium noſtrum olim transferendis cogitaret. Sed euentus non reſpondit expectationibus Antonii. Animus enim, qui in Caſtrucio erat, inquietus, et ſtare loco neſcius, a Muſis, et ab eccleſiaſtico potiſſimum vitae genere abhorrere, atque bellicae potius virtutis, et audaciae illius, cuius maxima vis eſſe ſolet ad res magnas bene praeclareque gerendas, non obſcura ſuppeditare indicia videbatur *c*).

§. 3.

Lucenſium Proceres, ſicut vniuerſae fere Italiae ciues, ea tempeſtate partim Gibellinorum, Guelforum partim ſectabantur factiones. Inter eos vero, qui Lucae Gibellinorum partibus fauebant, facile princeps erat Franciſcus Guinigius, quem natalium ſplendore non minus, quam opibus et virtute clarum, omnes, qui iisdem partibus nomen dederant, magni faciebant. Huic viro quum innotuiſſet Caſtrucius, annos

ſentì come piangere. Onde che tiratasi verſo quello romore, ſcoperſe le mani et il viſo d'uno bambino, che rinvolto nelle foglie pareva che aiuto le domandaſſe. Tale che eſſa — — ripiena di compaſſione lo ricolſe et portato à caſa — — lo preſentò — à Meſſer Antonio.

b) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 70. *Havendolo fatto battezzare, per il nome di Caſtruccio loro padre lo nominarono.*

c) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 70. *Creſceva in Caſtruccio con li anni la gratia — — et preſto ſecondo la età imparò queſte coſe, à che da Meſſer Antonio era indrizzato; il quale deſignando farlo Sacerdote, et con il tempo rinuntiarli il Calonacato et altri ſuoi beneficii ſecondo tale fine lo ammaeſtrava. — — — — Come prima Caſtruccio pervenne alla età di XIV. anni — — laſciati i libri eccleſiaſtici da parte, cominciò à trattare l'armi; ne di altro ſi dilettava, che ò di maneggiare quelle, ò con li altri ſuoi equali correre, ſaltare, far alle braccia, et ſimili eſſercitii.*

Digitized by Google

nos fere XIV. natus (a. 1208.), factum eſt, vt ab eo in domum receptus, et ea omnia diſceret, quae futurum militem deceant, et partium ſimul Gibellinarum rigidus euaderet ſatelles *a*). Exacto autem in aedibus Guinigii quadriennio, primae iam expeditioni bellicae ſub ipſius Guinigii auſpiciis interfuit Caſtrucius *b*); in qua tantam laudis gloriaeque collegit materiam, vt Lucam redux factus, omnium in ſe conuerteret oculos, multorumque amicitiam atque fauorem ſibi conciliaret. Morti tandem vicinus Franciſcus Guinigius, filii impuberis, Pauli, tutelam, bonorumque ſuorum curam, fidei Caſtrucii commiſit *c*).

§. 4.

Mortuo Guinigio, fauor, quo apud Lucenſes florebat Caſtrucius, Georgii Opizii, Guelforum in ea ciuitate anteſignani, machinationibus, in inuidiam conuerſus, effecit, vt de opprimenda factione Guelfica noſter cogitare inciperet. In auxilium itaque vocato Hugocione Facciolo, Regulo Piſano, qui et ipſe a partibus Gibellinorum ſtabat, Opizius interemtus, ſumma rerum autem apud Lucenſes ipſi, quem memorauimus, Hugocioni tradita eſt *a*). Quo facto, quum contra nouum principem Lucenſem Florentini, qui Guelforum omnium erant peruicaciſſimi, bellum mouerent, inſignem Caſtrucius nactus eſt occaſionem, qua artis militaris, quam ſibi comparauerat, peritiam oſtendere poſſet. In prae-

a) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 71.

b) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 72. *Occorſe in quelli tempi ſendo gia Caſtruccio di XVIII. anni, che i Ghibellini furono cacciati da i Guelfi di Pavia, in favore de' quali fù mandato da i Viſconti di Milano Meſſer Franceſco Guinigi, con il quale andò Caſtruccio, come quello che haveva il pondo di tutta la compagnia ſua; nella quale eſpeditione Caſtruccio dette tanti ſaggi di ſe di prudenza e d'animo, che niuno, che in quella impreſa ſi trovaſſe, ne acquiſtò gratia appreſſo di qualunque, quanta ne riportò egli; e non ſolo il nome ſuo in Pavia, ma in tutta la Lombardia diventò grande et honorato.*

c) IDEM *l. c. pag.* 72.

a) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 72—73.

praelio etenim cum hoſtibus commiſſo tanta prudentia aciem inſtruxit, vt caeſis X. militum millibus Florentini fugarentur, ipſe vero Caſtrucius vix CCC. ſuorum occiſos numeraret *b*). Quae nobilis victoria, quum ingens adderet gloriae Caſtrucii noſtri incrementum, inuidia et ſuſpicione incenſus Hugocio, Piſanorum et Lucenſium princeps, de tollendo e medio homine, auctoritati ſuae ſuſpecto, cogitare coepit; et cauſa tandem. quae poena digna videretur, inuenta *c*), filio ſuo necandi Caſtrucii negotium commiſit. Sed filius Hugocionis interimere Caſtrucium non auſus, in carcerem eum coniecit *d*). Lucenſes autem iniuriam fortiſſimo viro illatam inique ferentes, facta ſeditione libertatem illius poſtularunt, eamque a Principe obtinuerunt. Quibus ita diſpoſitis, Caſtrucius in libertatem reſtitutus Hugocionem e ciuitate expulit, et primum quidem a Lucenſibus militiae vrbis praefectus *e*), tandem vero, ſubactis nonnullis oppidis in Lucae vicinia ſitis, communi populi Lucenſis ſuffragio Princeps appellatus eſt *f*).

Ttt 2 §. 5.

b) IDEM *l. c. pag.* 74.

c) Quae cauſa qualis fuerit, diſcimus ex MACHIAVELLO *l. c. pag.* 75. vbi ita pergit: *Occorſe che fù morto Pier' Agnolo Micheli, in Lucca, huomo qualificato e di grande ſtimatione; l'ucciditore dèl quale ſi rifuggì in caſa di Caſtruccio, dove andando i ſergenti del Capitano per prenderlo, furono da Caſtruccio ributtati, in tanto che l'homicide, mediante gli aiuti ſuoi, ſi ſalvò. La qual coſa ſentendo Uguccione, che all' hora ſi truovava à Piſa, e parendoli havere giuſta cagione à punirlo, chiamò Neri, ſuo figliuolo, al quale haveva gia data la Signoria di Piſa, e li commiſſe, che ſotto titolo di convitare Caſtruccio lo prendeſſe e faceſſe morire.*

d) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 75. *Caſtruccio andando nel palazzo del Signore — non temendo di alcuna ingiuria, fù primo da Neri ritenuto à cena, e dipoi preſo. E dubitando Neri, che nel farlo morire ſenza alcuna giuſtificatione, il popolo non ſi alteraſſe, lo ſerbò vivo, per intendere meglio da Uguccione, come li pareſſe di governarſi.*

e) IDEM *l. c. pag.* 77—76.

f) Oppida a Caſtrucio in poteſtatem Lucenſium redacta, antequam

§. 5.

Omnia, quae breuiter hactenus commemorauimus, ſatis euincunt, non parum contuliſſe Caſtrucium ad partes Gibellinorum in Italia confirmandas, infringendamque Guelforum, qui cum Pontifice et Rege Neapolitano contra Caeſarem faciebant, potentiam. Sano itaque et prudenti conſilio de concilianda ſibi conſeruandaque Caſtrucii amicitia ſollicitus fuit Ludouicus Bauarus, quum de inſtaurando Italiae et Imperii Germanici nexu, recipiendisque in clientelam Guelfis, cogitaret. Antequam enim in Italiam pergeret Ludouicus, ad firmandas in Longobardia partes ſuas, non ſpernendis Caſtrucium noſtrum ornauit iuribus. Bina ſuper his apud LEIBNITIVM *a*) leguntur diplomata *IV. Kal. Iun. 1324. Francofurti* ſignata, quae luculenter oſtendunt, in quanta noſter apud Ludouicum fuerit exiſtimatione. In horum diplomatum primo Ludouicus, laudata Caſtrucii erga Imperium fidelitate, eum S. R. I. Vicarium in ciuitate et diſtrictu Lucenſi, nonnullisque locis in Lucae vicinia *ſitis*, renunciat *b*); in altero autem eidem Vicariatum Piſtorienſem

quam ſummae rerum potiretur, recenſuit MACHIAVELLVS *l. 6. pag. 76.*

a) In *Codice Iuris Gentium Diplomatico Part. I. n. 61. et 62. pag. 126. 128.*

b) Verba diplomatis, quae huc inprimis faciunt, ea ſunt quae ſequuntur: *Volentes praemiſſorum obtentu extollere nomen tuum, et te praerogatiua ſpeciali magnifice honorare, Vicariatum Ciuitatis Lucanae, eiusque diſtrictum ſex milliariorum et ſuburbanorum vel quaſi, et prouinciarum Vallis Nebulae, Arianae et Lunae, cum terris ciuium Garfagnanae, terris, quae dicuntur Plancorum, Verrucula, Boſſorum, et eius curiae Pontremulo, eius diſtrictu, Lunegiana, et omnibus terris ſitis vltra et citra aquam Magrae in Lunenſi dioeceſi, Maſſa et Verſilia et Valletina, auctoritate Regia noſtro et Sacri Imperii vice et nomine, vsque ad noſtrum vel ſucceſſoris noſtri Romani Imperatoris vel Regis beneplacitum et voluntatem tibi committimus; et in ipſis — ante dictis, pro nobis et Sacro Imperio te Vicarium conſtituimus et facimus generalem.*

Digitized by Google

ſem concedit *c*). Ex quorum diplomatum tenore colligere nonnulla poſſumus, quae ad illuſtranda Vicariorum Italicorum iura faciant. Patet nimirum ex ipſa vtriusque diplomatis inſpectione: I) Vicariatum generalem Caſtrucio conceſſum continuiſſe Iurisdictionem altam et baſſam, relicta Vicario libertate, vtramque iurisdictionem vel per ſe, vel etiam per alium exercendi *d*); attamen II) Vicariatus conceſſionem non in perpetuum, ſeu ad dies vitae factam eſſe, ſed iure reuocabili *e*) et, III) ſub lege praeſtandi a Vicario Iuris-

Ttt 3

c) En verba diplomatis: *Vicariatum ciuitatis Piſtorii, et totius Comitatus et diſtrictus eiusdem, ac in omnibus aliis terris ſitis infra confinia ſupra dicta, et in Dioeceſi Lucana, Piſtorienſi et Lunenſi — vsque ad noſtrum vel ſucceſſoris noſtri — beneplacitum, — tibi committimus.*

d) Sunt fere eadem vtriusque diplomatis verba: *Concedentes tibi plenariam iurisdictionem in omnibus praedictis, — vt poſſis inquirere, et punire, et iurisdictionem ſanguinis cum mero et mixto Imperio exercere, in genere et in ſpecie, per te vel alium aut alios, cui vel quibus ipſam iurisdictionem commiſeris exercendam; recepto a te primitus iuramento, quod ipſam Iurisdictionem fideliter exerceas, nulli parcendo, vel contra Iuſtitiam offendendo, ſed ius ſuum cuique tribuendo.* — Quod ad reliqua attinet Vicariorum Imperii in Italia generalium iura, addiſci ea optime poſſunt ex diplomate, quo Carolus IV. Imp. Iohannem de Auesnis, Comitem Haynoniae, Vicarium Imperatoris et Imperii generalem in partibus Tuſciae conſtituit, apud MARTENIVM *Tom. I pag.* 1193. De discrimine autem inter Vicarium generalem et ſpecialem legi meretur GERL. ADOLPH. DE MÜNCHHAVSEN in *diſſ. de Vicariatu Italiae Cap. II.* §. 3. (quo loco diploma Henrici VII. Imp. in medium producitur, quod hanc rem egregie illuſtrat,) et *Cap. III.* §. 2. Lucem quoque accipit origo Vicariorum Italiae ex iis, quae leguntur apud IO. PETR. DE LVDEWIG *in Singular. Iur. Publ. Cap. IV pag.* 322. *not.* 240. vbi omnes eos dictos olim fuiſſe Caeſaris in Italia Vicarios docetur, quibus iuris cuiusdam ex iis, quae ſecundum LL. Romanas inter Imperatoris fiſcalina, et Iure Feudali Longobardico per II. F. 56. inter Regalia referuntur, commiſſum fuerit exercitium.

e) Conferenda ſunt verba diplomatum in *not. b. et c.* allata.

riſiurandi de Iurisdictione fideliter adminiſtranda *f*). Ex quibus omnibus, vt hoc quaſi in tranſitu annotare mihi liceat, nemo non intelligit, egregie falli eos, qui ſibi aliisque perſuadere conantur, Lucenſes ab Imperio plene emancipatos fuiſſe Rudolphi I. Habsburgici indulgentia *g*). Maius etiam momentum ad ſententiam noſtram accedit ex inſpectione diplomatis Ludouiciani *IV Kal. Iun. 1324 Francofurti* ſignati *h*), per quod Lucenſis ciuitas a banno Imperii abſoluitur. Henrico enim VII. Imp. ad redigendam in ordinem Italiam caſtra mouente, nonnullae ciuitates Guelficarum partium, Florentia, Bononia, Senae, Luca, Piſtorium et Peruſium, ſancito inter ſe foedere conſilia et arma iunxerant, ad impediendum, quo minus Henricus Romam tendens per terras earum tranſiret *i*). Quam ob cauſam Henricus, ſicuti contra reliquas Tusciae ciuitates, quae rebellauerant, ita etiam contra Lucenſes, banni ſententiam a. 1312. promulgauit, et ad depopulandos Lucenſium agros milites dimiſit *k*). Ludouicus autem Bauarus, quum Caſtrucii potiſſimum auctoritate ita immutata videret Lucenſium ſtudia, vt iam, relictis Guelforum partibus, Gibellinis vnice fauerent, omnem illis in laudato diplomatae culpam remittit, eosque a banno Imperii liberos pronunciat *l*); ex quo certum fit, Ludouici Bau. tempore Lucenſes maieſtatem Imperii comiter coluiſſe, neutiquam vero a ſubiectione erga idem Imperium fuiſſe immunes.

§. 6.

f) Quae conditio patet ex verbis auguſtalium codicillorum in *not. d*.

g) Quem errorem, breuibus quidem verbis, ſed eleganter, ex ipſa Imperii Romano-Germanici formula refutauit IO. PETR. DE LVDEWIG *in Sing. Iur. Publ. Cap. IV. pag.* 498. *not.* 569.

h) Exhibet hoc diploma LEIBNITIVS *l. c. P. I. n.* 62. *p.* 127.

i) PTOLEMAEVS LVCENSIS *in Vita Clementis V. pag.*40.

k) IDEM *l. c. pag* 42. 43. ALBERTIN. MVSSATVS *in Vita Henrici VII. Lib. XIII.* ineunte.

l) Audire iuuat ipſum Ludouicum, qui in laudato diplomate ita per-

§. 6.

Sed, age, e diuerticulo in viam redeamus, et collatorum Ducis Lucenſis et Vexilliferi S. R. I. in Caſtrucium noſtrum honorum, hiſtoriam perſequamur. Conſortio Imperii inter Ludouicum Bauarum et Fridericum Auſtriacum Monachii a. 1325. inito *a*), id vnice egit Ludouicus, vt pacata Germania, gliſcentes etiam apud Italos diſcordias tandem componeret. Inuitatus itaque a Gibellinis, quibus exoſa erat Iohannis XXII. P. M. tyrannis *b*), ad liberandam a Guelforum obtrectationibus Italiam, Ludouicus a. 1326. Spiram Imperii Proceres conuocat, qui etiam Regis conſiliis applaudentes, ſe cum ſatis magna militum manu eidem in expeditione Romana adfuturos promittunt *c*). Anno denique 1327. menſe Martio, communicatis prius cum Friderico Auſtriaco conſiliis *d*), Ludouicus Italiam verſus iter ingreſſus, feliciter ſuperatis Alpibus Mediolanum peruenit, ibique cum coniuge Margaretha, in ipſo feſto Pentecoſtes, regni Longobardici corona redimitus eſt *e*). Exeunte anno 1327. votis Romanorum morem gerens, Ludouicus Romam acceſſit, ibique applaudente populo exceptus, d. 17. Ianuar. 1328. Imperiali

pergit: *Nunc vero quia ciuitas — et ciues praefati ad fidelitatem et deuotionem reuerſi, ſacro ſe Imperio in puritate et integritate fidei reddiderunt, — nos culpam praeteritam — remittentes, iisdem de gratia ſpeciali omnes ſententias per dictum D. Henricum contra ipſos prolatas, de plenitudine poteſtatis regiae relaxamus et reuocamus.* — Et miſſis interiectis: *Ad quod ſpecialiter nos induxit — fideliſſima ſtrenui viri Caſtrucii de Antelminellis pro ipſis interpellantis ſupplex petitio, et fauor multus, quem ipſis gerimus ex affectu.*

a) Ipſas huius transactionis tabulas exhibet IO. DAV. KOEHLER in *Voluntar. Imp. Conſortio inter Fridericum Auſtriacum et Ludouicum Bau. Augg. pag.* 19—33.

b) ALBERTIN. MVSSATVS *in Ludouico Bau. pag.* 2.

c) CHRISTOPH. LEHMANN *in Chron. Spir. pag.* 653.

d) IO. DAV. KOEHLER *l. c.* §. 20. *pag.* 87.

e) CORTVS. *in Nouit. Paduae Lib. III. cap.* 10.

li diademate cum coniuge Auguſta coronatus eſt *f*). Rebus ita diſpoſitis, Caſtrucius quatuor equitum millibus ſtipatus *g*) Romam ad Caeſarem ſe contulit, ibique vrbis Romae Senator creatus eſt *h*). Maioribus autem praemiis egregii viri virtutem dignam eſſe iudicans Imperator, auguſtalibus codicillis d. 15 Febr. a. 1328. Romae datis *i*), non ſolum ex Luca cum vicino territorio *k*) Ducatum, et ex ipſo Caſtrucio Ducem fecit, ſed nouum quoque Ducem, cuius fortitudini hoc munus optime reſpondere videbatur, Vexilliferi S. R. I. officio ornauit. Varia ſunt, quae ex hoc diplomate notari merentur; in quibus recenſendis hunc ordinem ſeruabo, vt primo loco ipſius conceſſionis tenorem, deinde iurium ducalium Caſtrucio conceſſorum ambitum, denique vero ea, quae ad aſſerendum Caſtrucio noſtro Vexilliferi

f) TRITHEMIVS *in Chron. Hirſaug. ad a.* 1328.

g) MACHIAVELL. *l. c. pag.* 76.

h) ALBERTIN. MVSSATVS *in Ludouico Bau, pag.* 6.

i) Qui leguntur apud LEIBNITIVM *l. c. P. I. pag.* 130. *num.* 65.

k) Huc transſcribi merentur ipſa diplomatis verba, vbi Imperator §. 2. ita pergit: *Volentes praemiſſorum obtentu extollere nomen tuum, et te praerogatiua ſpeciali magnifice honorare, de plenitudine poteſtatis, et de certa ſcientia et de conſilio Principum et Baronum, Ciuitates Lucae, Piſtorii, Volaterrarum et Lunae, cum omnibus et ſingulis caſtris, villis et locis, ſitis in dioeceſibus ipſarum, et cum omnibus earum et cuiuscumque earum pertinentiis, territoriis et iurisdictionibus quibuscumque, ad ius, honorem, et nomen Ducatus pertinentibus, transferentes, et volentes ſub vno dignitatis vocabulo contineri Ducatus Lucani, te pro te et ſucceſſoribus tuis ex te, per lineam maſculinam natis et naſciturìs, in perpetuum ipſius Ducatus Ducem, et* VEXILLIFERVM NOSTRVM ET SACRI ROMANI IMPERII VBILIBET, *de praemiſſae noſtrae poteſtatis plenitudine et principali munificentia, promouemus.* — Quae verba luculenter oſtendunt, longe arctiores hodie territorii Lucenſis eſſe fines, iis, quos Ducatus Lucenſis habuit. Piſtorii enim et Volaterrarum dominia hodie ad Magnum Ducem Hetruriae, Lunam vero ad Genuenſem rempublicam ſpectare, notum eſt: cf. S. R. BÜSCHING *in der neuen Erdbeſcreibung, Part. II. Tom. II. pag.* 1171. 1208. 1218. (edit. 1778.)

Digitized by Google

ſeri S. R. I. officium faciunt, exponam. Quod igitur ad *primum* attinet, ex ipſa diplomatis formula colligitur: 1) Ludouicum Aug. praeſcitu et conſilio Procerum Imperii laudatos Caſtrucio contuliſſe honores. 2) Tam Ducatum Lucenſem, quam Vexilliferatum S. R. I. Caſtrucio conceſſum eſſe iure feudi maſculini, addita lege, vt ſemper maior natu ſeu primogenitus ex deſcendentibus primi Ducis maſculis et legitimis ſuccederet *l*). Vt vero *alterius* quoque, cuius mentionem fecimus, rationem habeamus, ex ipſis iterum auguſtalium codicillorum verbis elucet, Caſtrucio, illiusque ſucceſſoribus modo memoratis, conceſſa eſſe iura quae ſequuntur: 1) Iurisdictionem pleniſſimam, cum mero et mixto Imperio. 2) Ius in ciuitatibus, oppidis, caſtris, et terris noui Ducatus, conſtituendi Vicarios, Capitaneos, Iudices, et Magiſtratus quoscumque. 3) Ius Statuta municipalia condendi. 4) Quaecumque iura, quae ſub Regalium nomine veniunt; quo loco ſecundum conſuetudines feudales Longobardicas ea ſine dubio iura intelligenda ſunt, quae in II. F. 56. enumerantur. Potiora ex his iuribus, quorum ſpecialis mentio in diplomate noſtro occurrit, ſunt: Ius vectigalium et teloniorum; Ius metallifodinarum; Ius cudendi monetam aeream, argenteam, et auream; Ius denique feuda conferendi, et Vaſallos Imperii de feudis ſuis, in ipſo Ducatus diſtrictu ſitis, inueſtiendi *m*). Ad quae iura accedunt: Ius milites tam intra quam extra Ducatus limites conſtituendi, et militari cingulo decorandi; Ius creandi Notarios publicos, et Ius reſtituendi natales *n*).

§. 7.

l) Quod partim ex iis patet Codicillorum Auguſtalium verbis, quae in *nota praec.* recitauimus, partim vero cognoſcitur ex iis, quae ſequuntur in ipſius diplomatis §. 3 et 4. *Volumus inſuper, quod in praemiſſis Ducatu ſeu Vexilliferatu, ſemper maior natu ſeu ſenior ex generatione tua, ex te et ſucceſſoribus tuis legitime deſcendentibus, excluſis aliis filiis ſeu heredibus, ſolus et in totum ſuccedat. Et propter praemiſſa omnia, te pro te ipſo et praedictis ſucceſſoribus tuis, nobis pro nobis ipſis ſucceſſoribusque noſtris, homagium et debitae fidelitatis iuramentum praeſtantem, de praemiſſis Ducatu et Vexilliferatu, per ſceptrum, quod in manu tenemus, praeſentialiter inueſtimus et infeudamus.*

m) Omnia haec iura nouo Duci conceſſa memorantur in ipſius *diplomatis* §. 2 *et* 3.

n) Sunt haec, quod nemo non videt, iura Comitis Palatii La-

§. 7.

Ad tertium me conuerto, cuius in ſaepe laudati diplomatis explicatione rationem habendam eſſe dixi (§. 6.). Aſſerenda ſcilicet eſt Caſtrucio noſtro Vexilliferi S. R. I. dignitas, cui vir, dum viueret, doctiſſimus, VLRICVS OBRECHTVS *a*), ſatis ſpecioſum argumentum oppoſuit. Perſuadere enim ſibi aliisque conatur, eos, V. Cl. qui ſolemni ritu per Imperiale Vexillum de Ducatu fuerint inueſtiti, dictos nonnunquam fuiſſe Vexilliferos Imperii, ipſosque eorum Ducatus, Imperii Vexilliferatus. Quam ſententiam, vt argumento aliquo ſuffulcire videatur, exemplo vtitur diplomatis Ludouici Bauari, quo Caſtrucium in Lucae Ducem euexit,

vt-

teranenſis. Iam vero ex alio diplomate apud LEIBNITIVM *l. c. P. I. n.* 64. *pag.* 129. diſcimus, Comitiuam ſacri Palatii Lateranenſis die demum 14 *Mart. a.* 1328. a Ludouico Bauaro Caſtrucio conceſſam eſſe: quum tamen in ipſo conceſſae dignitatis ducalis diplomate, non ſolum iurium, quae diximus, ad Comitis Lateranenſis Palatii officia referendorum, mentio fiat, ſed etiam in ipſo huius diplomatis introitu Caſtrucio titulus Comitis Sacri Palatii Lateranenſis tribuatur. Cuius rei hanc rationem reddit BVRCH. GOTTH. STRVVIVS *in Corp. Iur. Publ. Cap. XII.* §. 15. *not.* 39. *pag.* 439. vt Comitiuam Palatii Lateranenſis Caſtrucio primitus ſaltim temporario, in altero autem diplomate *d.* 14 *Mart. a.* 1328. *Romae* dato, haereditario iure conceſſam eſſe dicat; quod vltimum ex ipſius diplomatis verbis colligitur: *ſibi et ſucceſſoribus ſuis ex te natis et naſcituris per lineam, maſculinam, in perpetuum Comitatum ſacri Lateranenſis Palatii — — — damus, concedimus et donamus.* Addere quoque poſſumus, officium Comitis Palatii Lateranenſis *d.* 14 *Mart.* 1328. Caſtrucio collatum iura nonnulla continuiſſe, in ipſa Imperatoris inauguratione, quae Romae in templo S. Iohannis Lateranenſi fieri ſolebat, exercenda, quae in laudati diplomatis §. 3. plenius enumerantur. Conferri ceteroquin merentur, quae de origine Comitum Sacri Palatii Lateranenſis, deque hac dignitate Caſtrucio conceſſa, expoſuit IAC. CAROL. SPENER, in diſſ. *de vera origine Palatin. Caeſareor.* (*in Eiusd Iur. Publ. Part. VI. pag.* 285—328.) ibique praeſertim §. 6. *not. c pag.* 317—319.

a) Qui in elegantiſſima caeteroquin diſſertatione *de Vexillo Imperiali Cap. IV. pag.* 85. (in *Eiusdem Academicis Argentorati* 1704 4. editis) ita pergit: *Neque inſolitum eſt, eos, qui ſolemni ritu, atque adeo per Imperiale Vexillum, de Ducatu ad Marchionatum inueſtiti ſunt, Vexilliferos Imperii ipſosque etiam Ducatus exinde Vexilliferatus Imperii nominari. Sicut in diplomate Ludouici Bau. quo Caſtrucium in Lucae Ducem euexit, Dux et Imperatoris*

Sa-

vtpote in quo promiſcue aliquoties legantur tituli: *Dux et Imperatoris Sacrique Romani Imperii Vexillifer; Ducatus et Vexilliferatus.* Vt igitur ad haec *Obrechti* argumenta reſpondeamus, primo ſtatim loco notandum eſt, nullum, quod ſatis probari poſſit, exemplum in promtu eſſe, ex quo conſtet, Vexilliferi Imperii titulum eodem ſenſu vel vnquam acceptum eſſe, quo Ducis vocabulo vtimur *b*). Deinde vero etiam ſummi Viri ſententia ex eo quodammodo refutari poteſt, quod certum ſit, non ad ſolos Ducatus in Imperio Romano Germanico reſtricta fuiſſe Inueſtiturae per Vexillum ſolemnia; atque ita, ſi cum *Obrechtu* loqui velimus, Comites quoque, imo etiam Dynaſtas nonnullos, eodem iure dici potuiſſe Imperii Vexilliferos, quum et illi de terris ſuis frequentiſſime per Vexillum fuerint inueſtiti *c*). Grauiſſima tamen, quibus *Obrechto* obuiam ire poſſumus, argumenta tum in ipſo latent diplomate, quo Caſtrucius in Ducem Lucenſem euectus eſt; tum ex alio eiusdem Ludouici Imp. diplomate, quo Caſtrucio noſtro Sacri Palatii Lateranenſis contulit, repetenda ſunt. In vtroque

 ſci-

Sacrique Romani Imperii Vexillifer, Ducatus et Vexilliferatus aliquoties coniuncta et promiſcue poſita leguntur; ſed alio penitus ſenſu, quam quo Vexilliferi in expeditionibus ac bellis Imperii gerendi munus commiſſum eſt.

b) In quo mihi adſtipulatur LEIBNITIVS *in der kurzen Deduction den Unterſchied des Reichs Haupt Panniers und des Reichs-Sturm Fahne betreffend* §. 18. apud THVCEL. *in Elect. Iur. Publ. pag.* 137.

c) Demonſtrari hoc poteſt argumento ex ipſius *A. B. Tit. V.* §. 1. ſanctione depromto, quo loco Vicariis Imperii, Palatino et Saxoni, ius de feudis Imperii inueſtiendi tribuitur, addita reſtrictione: *Feudis Principum duntaxat exceptis, et illis quae Vanlehen vulgariter appellantur, quorum inueſtituram et collationem ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſeruamus.* Quae verba ſatis euincunt, feuda vexilli diſtinguenda eſſe a Ducum et Principum feudis, atque ita nullis rationibus niti ſententiam eorum, qui, quoties de feudis Vexilli ſermo eſt, ſolos Ducatus vel Principatus intelligi volunt. Rem omnem egregie expoſuit IO. PETR DE LVDEWIG, *in der Erläuterung der güldenen Bulle Tom. I. pag.* 559. *not. n.* et diuerſa quoque eſſe feuda quae *Fürſtenleben*, ab iis quae *Fahnleben* dicuntur, ſtatuit IO. SCHILTER, in *Annotat. ad A. B.* §. 29. (*in Eiusd. Inſtit. Iur. Publ. Tom II. pag.* 291. *ſq.*) qui etiam dynaſtas olim per vexillum inueſtitos eſſe, variis exemplis docuit *l. c.* §. 10. *pag.* 275.

Digitized by Google

ſcilicet diplomate accuratiſſime diſtinguuntur Duces et Vexilliferi, Ducatus et Vexilliferatus tituli. Sic, quod primum eſt argumentum, in diplomate conceſſae dignitatis ducalis, ipſe Imperator Ducatum a munere Vexilliferi non obſcure diſtinguit, dum Caſtrucium §. 2. ita alloquitur: *Te pro te et ſucceſſoribus tuis — — in perpetuum ipſius Ducatus Ducem* et VEXILLIFERVM NOSTRVM ET SACRI ROMANI IMPERII VBILIBET, — — *promouemus.* Alterum nobis argumentum ſuppeditat alius eiusdem diplomatis locus, vbi ita pergit Imperator §. 3. *Volumus inſuper, quod* IN PRAEMISSIS DVCATV SEV VEXILLIFERATV *ſemper maior natu — — ſuccedat.* Et paucis interiectis §. 4. *de praemiſſis Ducatu et Vexilliferatu — inueſtimus.* Vtitur hoc loco Caeſar plurali numero in verbis: *praemiſſis Ducatu ſeu Vexilliferatu etc.;* ex quo luculenter patet, vere diſtinctas fuiſſe, quae Caſtrucio obuenerunt, Ducis et Vexilliferi dignitates. Tertium ſequitur argumentum, quod nobis ſuggerit laudati diplomatis §. 5. quo loco Imperator poenam pecuniariam minitatur iis, qui contra honores Caſtrucio collatos quidquam in poſterum admiſſuri ſint; his verbis: *Si quis autem temerario auſu praeſumpſerit contrauenire, mille marcharum auri poenam incurrat, pro dimidia Camerae noſtrae perſoluendam, et pro alia dimidia Camerae dicti* DVCATVS ET VEXILLIFERATVS, IN QVORVM PRAEIVDICIO *aliquando extiterit attentatum.* Nemo ſane eſt qui non videat, verba: *in quorum praeiudicio*, non ad vnam, ſed ad plures dignitates eſſe referenda, atque ita fieri non poſſe, quin Ducatum Caſtrucii a Vexilliferatu eidem conceſſo, diſtinguamus. Quartum denique ſubiungamus argumentum, quod in ipſo ineſt diplomatis conceſſi Comitatus Lateranenſis Palatii introitu: *Ludouicus Dei Gratia Romanorum Imperator Semper Auguſtus, illuſtri Caſtrucio, Duci Lucano, Sacri Lateranenſis Palatii Comiti, et* ROMANI IMPERII VEXILLIFERO, *ſuo et Imperii fideli dilecto, gratiam et omne bonum.* Quae verba rem omnem conficere nobis videntur, quum in iis expreſſa fiat mentio trium diſtinctorum honorum, neque coniunctus cum Ducis vocabulo, ſed accurate potius ab eodem ſeparatus Vexilliferi titulus legatur. Ex quibus omnibus colligimus, aſſerendum eſſe Caſtrucio Vexilliferi S. R. I. munus, a Duca-

Digitized by Google

tu eidem conceſſo diſtinctum, niſi forte vim facere claris diplomatum verbis, et, quae in illis diſtinguuntur, inter ſe commiſcere velimus.

§. 8.

Reſtat vt breuiter diſpiciamus, quale Imperii Vexillum in Vexilliferatu Caſtrucio conceſſo intelligendum ſit. Plura enim Imperii Vexilla fuiſſe, notum eſt *a*). In ipſa tamen diplomatis noſtri formula, quum certi cuiusdam Vexilli nulla fiat mentio, ad coniecturas confugiendum eſt. Quibus coniecturis licet res omnis expediri nequeat, vero tamen ſimile mihi videtur, Vexillum Imperii maius (*des Heil. Römiſchen Reichs Haupt-Panier*), atque adeo Vexilliferatum Imperii vniuerſalem, qui non ſolum 1) Ius in expeditionibus bellicis, praeſente ipſo Caeſare, maius illud Vexillum explicandi; ſed quoque 2) Ius idem Vexillum praeferendi Caeſari, coronationis gratia vrbem Romam ingredienti, complectebatur, commiſſum eſſe. Primum pro corroboranda hac ſententia argumentum ex ipſis repeto diplomatis ſaepe laudati verbis: *Te pro te et ſucceſſoribus tuis — Vexilliferum noſtrum et S. R. I.* VBILIBET etc. Quo loco adiecta particula *vbilibet*, id Vexillum innuere mihi videtur, quod in quacumque occaſione praeſente Imperatore geſtari poſſit. Tale vero ſolum fuiſſe Imperii Vexillum maius, vel ex ipſis Imperii Legibus *b*) luculenter patet. Licet enim Vexillum Argento-

a) Inter Imperii Vexillum maius et minus, in quorum priore aquila biceps, in poſteriori vero aquila vniceps conſpiciatur, diſtinguit VLR. OBRECHT. *l. c. Cap. III. pag. 76.* Tria vero Imperii Vexilla, quae in praecipuis occurrant expeditionibus bellicis, laudat BVRCH. GOTTH. STRVVIVS *in Corp. Iur. Publ. Cap. XXIV.* §. 9. 10. 11. *pag.* 891—895. Vexillum ſcilicet Imperii maius (*des Heil. Römiſchen Reichs Haupt-Fahne,*) Vexillum S. Georgii, et Vexillum Argentoratenſe; quorum primum praecipuum totius Imperii, alterum Ordinis Equeſtris, tertium Ciuitatum fuiſſe, ab his autem Vexillis diſtinguenda eſſe Vexilla, quae *das Rennpanier* et *die Sturmfahne* dici ſolent, (*l. c.* §. 18.), ſatis idoneis oſtendit argumentis.

b) *R. I. Spir.* 1542. §. 39. *in fin. et* §. 40. *Und ob dann gleichwohl ſich zutrüge, daſs die Kayſerl. Maj. oder wir,* (de Rege Romanorum Ferdinando ſermo eſt), *perſönlich im Feld wären, und des Heil. Reichs Fahnen fliegen lieſſen, ſoll nicht deſto weniger St. Georgen Fahnen in dieſem Zug, aus bewegenden Urſachen, angeſtellt, und*

toratenſe ſecundum ea, quae OBRECHTVS et STRVVIVS docuerunt, in bellicis expeditionibus praeſente Imperatore explicari potuerit *c*), nullum tamen illius vſum fuiſſe in coronatione Romana, certum eſt *d*). Alterum ſequitur argumentum ex hiſtoria coronationis Caeſarum, quae Romae fieri ſolebat, depromtum. In huius enim inaugurationis ſolemnibus, Caerimoniale Romanum duo adhibita fuiſſe Vexilla docet, alterum, in quo Aquila conſpiceretur, alterum S. Georgii *e*). Quod poſterius Vexillum, quum ab antiquiſſimis temporibus Sueuis commiſſum fuerit *f*), cura illius demandari ab Imperatore Caſtrucio non potuit; quamobrem affirmare poſſumus, in Vexilliferatu eidem conceſſo alterum Imperii Vexilum, aquila inſignitum, intelligendum eſſe, quod pro eodem cum maiori Imperii Vexillo habent laudatiſſimi Iuris Publici doctores *g*). Tertium accedat argumen-

und in Ruhe bleiben, allerley Unordnung zu verhüten. Sonſt aber in der Kayſerl. Maj. und unſerm Abweſen, ſoll des Reichs Fahnen nicht fliegen, ſondern an ſeine Statt eine andere Fahne durch den oberſten Feldhauptmann aufgericht und gebraucht werden.

c) VLR. OBRECHT. *l. c. pag.* 91. 92. STRVVIVS *l. c. p.* 894. *not.* 44.

d) Vnde etiam repulſam tulerunt Argentoratenſes a. 1452. quum a Friderico III. Imp. peterent, vt in ſolemni Caeſaris in vrbem Romam introitu Vexillum ciuitatum explicari permitteret: OBRECHT. *l. c. pag.* 92.

e) *Caerimonial. Roman. Lib. I. Sect. 5. cap. 3. Poſtera die Caeſar per portam, quae eſt ſub arce S. Angeli, hoc ordine quaſi triumphans ingreditur. Primo die equites Vexilla duo Caeſaris portant, alterum S. Georgii, quod ad Sueuorum pertinet cuſtodiam, Aquilae alterum.* Ab antiquo igitur more receſſit Fridericus III. Imp. qui Romam ingreſſurus, aegre hoc ferente licet et contradicente Vexilli S. Georgii Signifero, praecepit, ne praeter Imperii Aquilam vllum aliud ſignum explicaretur: OBRECHT. *l. c. pag.* 92.

f) STRVVIVS *l. c. pag.* 893. *ſeq. not.* 40. Litem poſtea Sueuis de iure hoc Vexillum geſtandi mouit Franconica Nobilitas; hanc vero controuerſiam transactione amicabili, per quam in iuris conſortium certis legibus Franci recepti ſunt, facile componi potuiſſe, ſi Caeſar huius transactionis capita, ſibi in caſtris ad Noueſium haerenti a. 1474. oblata, confirmaſſet, memoriae prodidit DATTIVS *de Pace Imp. Publ. Lib. II. cap.* 3. *num.* 93. *pag.* 251.

g) OBREHT. *l. c. Cap. III. pag.* 76. HENR. COCCEII in *Iur. Publ. Prudent. Cap. XIII. §.* 14. *pag.* 249. STRVVIVS *l. c. pag.* 892. *not.* 27.

Digitized by Google

mentum, ex quo certum fiat, Vexilliferatum Caſtrucii plane diuerſum fuiſſe a Vexilliferatu Groeningenſi, ſeu Würtenbergenſi. Vexillum ſcilicet Groeningenſe, vulgo *die Sturm-Fahne* dici ſolitum, quod etiam nonnunquam *des Reichs-Fahne* vocatum fuiſſe volunt *h*), concedi Caſtrucio non potuiſſe, ipſa rerum geſtarum monimenta docent. Vt enim taceamus, in hoc Vexillum non quadrare particulam: *vbilibet*, conceſſae Caſtrucio dignitatis titulo expreſſe adiectam, quum laudatum Vexillum, ſemper fuerit particulare *i*); ex ipſa etiam Ludouici Bau. hiſtoria patet, hunc Caeſarem idem Vexillum ante expeditionem Romanam (a. 1322.) ſimul cum caſtro et ciuitate Groeningenſi, cui hic Vexilliferatus iam a. Saec. XIII. innexus fuiſſe videtur *k*), conceſſiſſe Conrado Comiti Schlüſſelburgico *l*). Qui Conradus ad annum vsque 1336. hoc feudum Groeningenſe poſſedit, illo ipſo autem anno, quicquid in eo iuris habuit, conſentiente Caeſare, in Vlricum Comitem Würtenbergenſem transtulit *m*). Ex quibus omnibus facile intelligitur, Vexilliferatum a. 1328. Caſtrucio conceſſum (§. 6.) ita interpretandum eſſe,

h) Allegant in hanc rem diploma Caroli IV. Imp. quod apud OBRECHTVM *l. c. pag.* 83. legitur. Sed in hoc diplomate de Vexillo Würtembergico ſermonem non eſſe, vel ex ipſis Caroli verbis patet, quibus cura Vexilli in diplomate memorati non ſoli Eberhardo Comiti Würtenbergico, ſed cum eo ſimul Argentoratenſibus committitur.

i) In motibus enim ſubitaneis in Imperio ſubortis, vel ſi contra latrones agendum eſſet, de turri ſuſpenſum fuiſſe hoc Vexillum, docent LEIBNIT. *in der kurzen Deduction. n.* 31—38. (ap. THVCEL. *l. c. pag.* 142—144.) et STRVVIVS *l. c. pag.* 895. §. 12.

k) Quod KVLPISIVS *in der von dem Hauſe Würtenberg abgefaſsten Gegen Deduction etc.* §. 19. apud THVCEL. *l. c. pag.* 166. ex diplomate efficit, inter euius ſubſcriptores iam a. 1257. occurrit: *Hartmannus Comes de Grieningen et Sacri Imperii Signifer.*

l) Diploma Ludouici exhibet KVLPISIVS *l. c. lit. D. et E. pag.* 203—205. et *ibidem lit. F.* leguntur literae conſenſuales Balduini Archi-Epiſcopi Treuirenſis, quibus factam a Ludouico conceſſionem approbat, et quae eam ob cauſam notari merentur, quia Balduinus expreſſam in iis facit curae Vexilli *der Sturmfahne* Conrado demandatae mentionem.

m) Plenius rem enarrat KVLPIS. *l. c.* §. 21. 22 *pag.* 169—171. qui monimenta diplomatica huc facientia exhibet *lit. K, L, M, N, et O, pag.* 208—211.

Digitized by Google

eſſe, vt illum de maiori Imperii Vexillo, vtpote cuius gerendi munus, ſaluo Conradi Schlüſſelburgici, qui eodem tempore Vexilli Groeningenſis curam habuit, iure, ab Imperatore Caſtrucio concedi potuit, intelligamus. Cui ſententiae hoc etiam ſuffragari videtur, quod inter teſtes, quorum ſubſcriptione firmatum eſt diploma conceſſi Caſtrucio Comitatus Palatii Lateranenſis, nomen quoque legamus *Conradi de Zoluſelberg*, pro quo LEIBNITIVS *n*) legendum eſſe putat: *Conr. de Schlüſſelberg*. Quam emendationem ſi admittamus, eſt autem ita comparata, vt admitti omnino poſſit, luculenter patet, Vexillum Caſtrucio commiſſum, vtpote cuius Vexilliferatum ipſe ſubſcriptor Conradus Vexillifer Groeningenſis agnouit, ab hoc Groeningenſi Vexillo diuerſum fuiſſe, atque ita non ſine aliqua ratione diſtingui inter Vexillum Imperii maius, et Vexillum Würtenbergenſe.

His ita diſputatis addi quidem nonnulla poſſent de morte Caſtrucii, qui eodem anno, quo tantis a Ludouico Bauaro Imp. ornatus eſt honoribus (1328.), diem ſupremum obiit. Sed huius rei enarratio (in qua prolixior eſt MACHIAVELLVS l. c. pag. 85—87.) ad commentationis huius argumentum pertinere non videtur.

n) *In Cod. Iur. Gent. Diplom. P. I. pag.* 129.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXXVI.

George Chriſtian Adlers ausführliche Beſchreibung der Stadt Rom, etc.

h. e.

G. C. ADLERI accurata delineatio vrbis Romae, cum tabulis aeneis.

Altonauiae, apud Auctorem, et Bohnium, Bibliopolam Hamburgenſem, CIↃIↃCCLXXXI. forma quarta, paginae 354.

Roma, qualis quantaque vrbs noſtra ſit aetate, cum ex Itinerariis, aliisque huius generis libris, diſci, tum ab iis cognoſci poteſt, qui eius viſendae cauſa peregrinantur: at quae antiqua facies vrbis, quae amplitudo, qui ſplendor et magnificentia fuerit, vt intelligeretur quoque ab iis, qui a legendis graecis latinisque ſcriptoribus abhorrent, Max. Reu. *Adlerus* ita curauit, vt lingua vernacula, ſed pura, at-

 que

que argumento conuenienti conſcriberet commentarium in *Publium Victorem de regionibus urbis Romae*, quem nihil praeter nomina regionum atque locorum annotaſſe conſtat, quemque deſcriptionem vrbis ſuos in vſus, fortaſſe officii cauſa, quod ſcilicet Vicomagiſter eſſet, feciſſe maxime probabile videtur. Id igitur agens, librum in duas diuiſit partes, quarum prima de moenibus, tectis, pontibus, cloacis, viis publicis, vicis, aquaeductibus, balneis, theatris diſſeruit; altera vero, quae in ſingulis regionibus memoratu digna viderentur, ſpectanda admirandaque propoſuit. Etſi vero in his rebus auctoritatem veterum potiſſimum ſcriptorum ſpectaret, et multis obſcurioribus locis lucem inferre conaretur, in conſilium tamen quoque adhibuit topographias Romae a *Marliano, Panuinio, Boiſſardo* editas, *Alex. Donati* deſcriptionem Romae antiquae, *Nardini* Romam veterem, *Borrichii* faciem antiquae Romae, nec non alios recentiores ſcriptores, ac data occaſione de multis recentioris Romae monumentis ac ornamentis diſſeruit.

Ab ipſa quidem humili origine paruae vrbis, vsque ad inuaſionem Gallorum, cum trecenti quinque et ſexaginta praeteriiſſent anni, ciues Romani Veios migrare voluerunt, quod hanc vrbem Romae vel ſitu, vel magnificentia aedificiorum publicorum priuatorumque, praeferrent. Quod vt impediretur conſilium, Aediles ſumma feſtinatione quouis modo aedes exſtruendas, ac reſtituendas curarunt: quorum Metellus primus fuit, qui, victo Philippo, domum ſuam, quae lutea fuerat, marmoream reddidit. Pompeius quidem atque Caeſar inde de ornanda vrbe maxime fuere ſolliciti; at omnium curas laudesque ſuperauit Auguſtus, qui Vitruuii, valde periti architecturae magiſtri, vſus conſilio, ditioribus Romanis auctor ſuaſorque fuit, vt aedium magnificentia inter ſe certarent, et vrbem quoque in quatuordecim regiones deſcripſit. Nero,

quam-

Digitized by Google

quamuis, quod vetuſta aedificia atque vici obliqui ipſi diſplicerent, vrbem incendit, vt quatuor modo regiones intactae manerent: ſuis tamen ſumtibus, areis purgatis dirutarum aedium, atque dimenſis vicorum ordinibus, cohibitaque tectorum altitudine, multum decoris nouae vrbi attulit. Nec ceteri Imperatores vsque ad Honorium ſibi defuerunt in vrbe excolenda expoliendaque; cumque Alaricus Romam expugnatam vaſtaſſet, Theodoricus, vt dirutae aedes reſtaurarentur curans, ciuibus quotannis viginti millia tegularum donauit. Multi dein Pontificum R. multum pecuniae impenderunt, vt Romam magnificentiorem ac ſplendidiorem redderent.

His de origine et incrementis Romae diſputatis, capite II. de moenibus et portis vrbis agitur, et ſub finem conſpicitur delineatio vrbis aeri inciſa, a *Io. Baptiſta Nolli*, Benedicti XIV. Architecto, primum propoſita, atque ab auctore doct. in compendium redacta, vt et effigies Romae antiquae, repraeſentans Romam quadratam, et muros Seruii et Aurelii, Inſulae, Baſilicae, domus priuatae, atque partes Vicomagiſtrorum, capite III. deſcribuntur: at IV. et V. Capp. pontes, *Sublicius*, *Senatorius*, *Ceſtius*, *Ianiculenſis*, *Aelius* et *Miluius* enumerantur, atque *Cloacas* quis ſtruxerit, quanta magnitudine atque amplitudine fuerint, narratur. Doct. Autor capite VI. in eo verſatur, vt vias publicas, *Appiam*, *Flaminiam*, *Aemiliam*, *Labicanam*, *Aureliam*, *Triumphalem Caſſiam Salorium*, *Tiburtinam* aliasque fuiſſe doceat, *ſacram* vero quae dicatur, vicum in ipſa vrbe fuiſſe demonſtret, qui ab Amphitheatro in Capitolium duceret. Capite VII. illuſtrantur atque laudantur, quae Frontinus de Aquaeductibus ſcripſit; nomina eorum, vt Aqua *Appia*, *Marcia*, *Claudia* afferuntur, inſcriptiones adduntur, et tabula aeri inciſa, quae in *Fabretti* Diſſertatione de Aquaeductibus, apud *Graeuium* Theſaur. Antiq. T. IV. p. 1680. reperitur, hic quoque ſpectanda proponitur.

Digitized by Google

tur. De lauacris cap. IX. de Amphitheatro, et Theatro cap. IX. agitur, ſed capite X. eoque primae partis extremo, moenia vrbis iam quidem decem montes complecti oſtenditur, adiectis colle hortulorum, monte *Ianiculo*, et monte *Vaticano*. Iam igitur altera parte de ſingulis regionibus XIV. totidem capitibus agitur. In prima regione, qua per portam Capenam in viam Appiam ibatur, fuiſſe narrantur nouem Vici, et ſex ac triginta Vicomagiſtri, atque vltimus vicus dicitur Vicus trium ararum, vel quoque *Vitriarius;* ex quo cognomine pl. reu. *Alberus* coniicitus ibi fuiſſe vitra vel conflata, vel vendita: ſed ſi id nullo alio argumento probari poteſt, credimus potius, Romanos veteres Vicum trium ararum per compendiam in pronunciatione Vitriarium appellaſſe. Haud procul a porta, quae iam Sebaſtiani dicitur, cernitur cliuus et rudera magni aedificii, et inde, vt etiam ex Ouid. Faſt. VI. v. 191. et Propert. IV. El. 3. v. 71, recte colligitur, fuiſſe ibi extra moenia templum Martis et Bellonae, vbi Imperatores triumphaturi, atque legati exterarum gentium a Senatu audiebantur. In vicinia huius templi erat lapis *manalis*, qui tunc circumgeſtabatur, cum pluuiae exoptarentur; aqua Mercurii, et aedes Sebaſtiani a Conſtantino M. exſtructa, et a Pontificibus Bonifacio IV. Alexandro III. Eugenio IV. et Cardinali Scipione Borgheſio, renouata, ſub qua ampla atque viſu digna monumenta ſepulcralia reperiuntur. Inprimis in iſta regione erat celebre templum Muſarum, multis ſtatuis doctorum inſigne; atque iſta regio etiam *pagus Camaenarum* et in Actis Martyrum *locus Trucidatorum* dicitur. Ex laeuo latere monumenti Metellae viſuntur adhuc rudera Circi Caracallae, ſcilicet ambitus muri, fori, ſpina, atque meta, vt de aliis taceamus, in ſecundam regionem, quae Coelimontium appellabatur, properantes.

In

Digitized by Google

In hac regione maxime notus erat vicus *Suburra*, cuius nominis et nunc eſt vicus Romae, ſed alio loco, cum Suburra initium caperet ab eo loco, vbi iam reperitur templum Petri, et Marcellini, atque per vallem ad Coelium montem duceret in Amphitheatrum Veſpaſiani. Hic oblata occaſione excurrit doct. Auctor in domum Laterani, conſulis Romani ſub imperio Neronis, deſcribit templum S. Ioannis, et ſcalam ſanctam; inde reuertens ad Romam veterem, diſſerit de domo Imperatoris Marci Aurelii, et Vectiliana, tum de templo Iouis reducis, caſtris peregrinis, templo Fauni, Claudii, deae Carnae, Bachi, regia Tulli Hoſtilii, quae et curia Hoſtilii dicitur, atque aedificio, quo ſpolia cum rapta, tum capta, ſeruabantur, quod *Spolium Samarium* dicebatur; cuius poſterioris vocis vim ſe ignorare profitetur pl. R. *Adlerus*, vellemus tamen locum quem indicaſſet, quo *Spolium Samarium* legatur. Cum tertia regio, cui nomen erat *Iſis* et *Serapis*, vt et *Moneta*, fuerit parua, nec multis memorandis aedibus ornata, ſicco eam praetereuntes pede iter conuertimus in regionem quartam, quae denominatur a Templo pacis et via ſacra. Atque in iſta reperiebantur vicus Sceleratus, domus regis Sacrificuli, quae *regia* dicebatur, templum Pacis a Veſpaſiano exſtructum, et imperante Commodo igne terrae motu excitato dirutum. In eo templo multa cimelia et picturae ſeruabantur, vt prodit Plinius H. N. LXII, c. 19. et XXXV. 10. nec non teſte Ioſepho de bello Iud. L. VII. c. 5. aurea menſa, aureum candelabrum, Codex Legis ab Esdra ſcriptus. Ipſa templi figura cognoſci poteſt ex Tabula aenea octaua. Haud procul ab eo templo fuiſſe creditur domus pontificis Maximi et Virginum Veſtalium, templum Solis, et Meta *Sudans*, h. e. aqua ſaliens ex columna lapidea. Ex aduerſo erat Vicus *Sandalarius*, quem a ſtatua Apollinis ſic dictum Vir doct. arbitratur, ſed a ſandaliariis, qui ibi ſandalia haberent venalia, ſic appellatum eſſe probabilius videtur. Is fuit inſignis tabernis librariis, et arcu triumphali Titi nec

 non

Digitized by Google

non Vulcanali, ſeu loco patenti, in quo eſſet ara Vulcani, et Lupercali, luco ſacrato Pani deo Arcadum, quod ex Virgilii Aeneidos VIII. v. 342. perſpicue intelligitur. In quinta regione *Eſquilina*, vbi nunc reperitur Aedes Crucis, et templum Prudentianae, quondam Perſius, Propertius, et Plinius iunior, vt alia praetereamus, habitaſſe feruntur. Regiones, ſextam, ſeu altam ſemitam, et ſeptimam, ſeu viam latam, tranſeuntes, properare iubemur in Forum Romanum, in cuius ſpatio verſus Meridiem fuerunt *Roſtra*, *Curia Hoſtilia*, *Comitium*, *Graecoſtaſis*, et *Senaculum;* verſus occidentem *Vicus Iugarius* et *Tuſcus*, *Baſilica Grachi*, *templum Veſtae;* Aquilonem verſus *aedes Saturni* cum *Miliario* aureo, *aedes Concordiae;* verſus Orientem, *arcus Fabianus*, *Tabernae nouae*, *Cliuus Marforius*. In area Fori fuiſſe narratur Curtius ille lacus, nunc ſolida tellus, equus aeneus Domitiani, puteal Libonis, ſtatua Marsyae. Praeter forum Romanum erant quoque fora Caeſaris, Auguſti, Neruae, et Tranſitorium, in quo columna Traiana centum atque octodecim pedes alta adhuc cernitur. In montem Capitolinum aſcendebatur tribus viis: prima quidem in rupem Tarpeiam, per gradus Monetae; altera ſuper cliuum Capitolinum, in quo fuit templum Iouis tonantis, ac Fortunae primigeniae; tertia denique latiſſima atque optima prope Aſylum, ibique erat carcer Tullianus. De arce et templo Capitolino, quod eo loco fuiſſe exiſtimatur, vbi nunc reperitur Coenobium quod *ara Coeli* dicitur, doctiſſimus auctor tam accurate agit, vt argumenta cum eorum, qui putant templum fuiſſe ſtructum in faſtigio arcis, tum horum, qui in altera parte montis poſitum fuiſſe arbitrantur, laudet; interiorem formam templi, Dionyſio Halic. libr. I. p: 259. duce, deſcribat, de diuitiis et cimeliis templi ratione praeſtantiae ac multitudinis fere fidem ſuperantibus diſſerat, ac tandem *Rycquium de Capitolio* ſe ſecutum eſſe ducem libere fateatur. Figura Capitolii, quale nunc eſt, breuiter deſcripta

et

et Tabula XI. aere expreſſa cernitur. Peruenimus tandem ad regionem vrbis nonam, ibique in viam latam vel Flaminiam, in qua reperitur columna memoriam Antonini ſeruans, quam *Ioh. Vignolius* Romae anno huius ſeculi quinto ſingulari diſſertatione deſcripſit. Inter opera, quae Domitianus fieri iuſſit, referuntur *Naumachia*, *Odeum*, et *Stadium* cuius figura Tabula XIV. aeri inciſa reperitur. In iſta regione quoque memorandus videtur campus Martius, magnificis aedibus cinctus, inſignis *Mauſolaeo* ex lapide niueo exſtructo, et perpetuae viriditatis arboribus tecto; *ſeptis*, quae intrabant centuriae ſuffragium daturae, ex quorum vno latere erat porticus Europae, ex altero Villa publica. Si quis in campo minore ad littus Tiberis via recta iret, veniebat in theatrum Marcelli, cui proximus erat carcer Claudii Decemuiri, qui mutabatur dein in templum pietatis; nec procul aberant templa Apollinis et Bellonae, vt et Circus Flaminius, quo loco iam aedes S. Catharinae Funariorum reperitur. In iſta quoque regione, quae commemorentur, videntur digniſſima: *Theatrum Pompeii*, et *Pantheon*, forma conuexa faſtigiatum, quod *Bonifacius* quartus in aedem Mariae et omnium martyrum conuertit.

De *palatio*, de variisque eius fatis, *Septizonio Seueri*, quod Marlianus Rom. antiq. Lib. IV. c. 16. accurate deſcripſit, et de *arcu triumphali* Conſtantini M. cum capite X. *Adlerus* diligenter diſſeruiſſet, deſcribit Circum Maximum in valle Murtia ſic, vt potiſſimum Dion. Halicarn. Lib. III. p. 200. auctoritatem ſequatur, Salinarum ad portam trigeminam mentionem facit, et forum Olitorium, nec non Velabrum maius, ad hanc regionem a Victore referri docet. Hac occaſione data laudat quoque Ficum Velabrenſem ex Martiali, qui Libro XI. Epigr. 53. ſcribit: Et *Velabrenſi maſſa recocta ficu;* ſed ibidem potius legendum videtur *foco*, atque locus explicandus de maſſa lactis coagulati, quae Velabrenſem fumum bibit, vt ex Libro XIII. Epigr. 32. intelligitur.

Duo-

Duodecima regio vrbis, quae *Piſcina publica* vocatur fuit quidem frequens, ſed anguſtis finibus circumſcripta, atque thermarum Antoninianarum, quae fuerunt in iſta regione, rudera adhuc oſtendit. Regio decima tertia complectebatur montem Auentinum, in cuius faſtigio erant aedes Lunae, ac Iunonis reginae, ara Iouis Victoris, aedes, atrium, et bibliotheca Libertatis, atque in hac omnium prima Romae bibliotheca publica M. Varronis picta imago ſuſpenſa cernebatur, teſte Plinio Lib. VII. c. XXX. Decima quarta regio erat trans Tiberim, ſed iungebatur vrbi ab Anco Marcio, ibique habitarunt olim Iudaei, Lecticarii, mercenarii, et feſtum fortis Fortunae, ritu ab Ouidio Faſt. VI. v. 770. deſcripto, celebrabatur. In iſta regione quoque videtur ager Vaticanus memoria dignus, qui iam *ciuitas Leonina* et *Burgum* appellatur, atque ob vitium aeris, iam dudum, teſte Tacito hiſtor. II. 93. locus infamis fuiſſe traditur. Ibi quoque celebratur moles Hadriani, cuius exterior ambitus ex ſolidis lapidibus fuit, interior oblongus et praealtus ex Pario marmore, ac eo loco non Hadriani modo, ſed omnium quoque Antoninorum cineres, conditi leguntur. Ex hoc duplici ambitu arx nunc cernitur exſtructa, quae caſtrum S. Angeli vocatur. Qua olim horti Neronis fuiſſe leguntur, illic nunc reperitur templum S. Petri, quod nulli aedificio in vrbe vniuerſa ſplendore ac magnificentia cedere videtur. De huius templi forma ſatisque doct. *Adlerus* non modo breuiter atque accurate diſſeruit, ſed et ipſum vt Tabula aeri inciſa conſpici poſſet curauit. *Sexti Rufi*, Viri Conſularis, *breuiarium de regionibus vrbis Romae*, et *Publii Victoris* de eodem argumento libellum, ex Graeuii theſauro Antiquitatum Rom. typis repeti iuſſit, atque vt verum fateamur, ſummam induſtriam atque diligentiam adhibuit, vt iſta veteris Romae deſcriptio, et narrationis ſimplicitate, et argumentorum fide, et chartae nitore, et typorum elegantia, lectoribus commendaretur, nec dubitat fore, vt lectores ae-

Digitized by Google

aequi ac beneuoli his ſuis laboribus leues operarum errores, qui vix euitari potuere, condonent.

PETRI LAMBECII HAMBVRGENSIS COMmentariorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi LIBER QVARTVS; Editio altera: Studio et opera ADAMI FRANCISCI KOLLARII, Equitis Hungari de Kereſztény, Conſiliarii Actualis Aulici, Aug. Bibliothecae Directoris, et Academiae Scientiarum elegantiorumque literarum Theodoro-Palatinae Socii Extraordinarii.

Vindobonae, Typis et Sumptibus Ioann. Thomae Nob. de Trattnern, Aug. Aulae Typographi, et Bibliopolae Vindobonenſis. Anno a partu Virginis CIↃIↃCCLXXVIII. Alph. 2 pll. 16. in Fol.

Hunc librum, qui centuriam alteram codicum Manuſcriptorum Theologicorum recenſet, Ill. Kollarius, Vir noſtra laude maior, ſola Lambecii dedicatione inſtructum, absque additamento nouae praefationis, emiſit. At promiſſi tamen, quod de reddendis his Commentariis Lectorum vſibus quam fieri poſſet aptiſſimis, nuper dediſſet, memor, et modi, quem in iis reconcinnandis et refingendis ſequendum putaſſet, ſeruantiſſimus deprehenditur. Ad codicem igitur centeſimum primum qui Gregorii Nazianzeni partim edita, partim inedita Carmina continet, mentio

 fit

ſit, Tollii qui ex hoc codice ea edidit in *Inſignibus Itinerarii Italici;* itemque Muratorii, cum libri, necdum tamen a ſe conſpecti, Tolliani, tum huius codicis notitiam prae ſe ferentis in Praefatione ad *Anecdota Graeca.* Verſus aliquot quibus eſt auctius Carmen, cuius initium Πῆξον μὲ χριστὲ ὡς ἐλεύθηρος λάτρης, in cod. Vindob. quam in editione Pariſina Operum Greg. Nazianzeni, afferuntur integri:-

> Τολμῶ τι λέξαι, ὦ μάκαρ, τὸ σῶμά μοι
> Τὸ σὸν τὸ τῆς σῆς πλάσμα προσπίπτω χερὸς
> Ὡς νεκρὸν, ὡς ὀδωδὸς, ὡς παρειμένον·
> Ἰδοὺ πρόκειται βλέψον, ἐκλελοίπαμεν.
> Καὶ νῦν πάρει, δὸς χεῖρα, εἴλυσον βίον
> Πρὶν καί τι χεῖρον συμπέσειν ἐμοὶ τέλος
> Τι δεῖ πάλιν κακῶν τε καὶ καθαρσίων.

Quomodo vero Muratorii diligentiam hi verſiculi luſiſſe dicantur, non videmus; cum Muratorius ex alio prorſus Codice, nempe Ambraſianae Bibliothecae, alia plane, nimirum Epigrammata ediderit. — Pro νεκρὸν marginis lectio affertur λεπτόν. At illa eſt ex gloſſemate, et deterior ea quae in textis eſt. Conf. v. c. Interpretes ad Ep. ad Hebraeos XI, 12.

Ad Cod. CII. p. 35. vindicatur Lambecius a crimine, ei ab Oudino Comment. Tom. I. p. 645. obiecto; nimirum, Zonaram in carmina Gregorii Nazianzeni commentatum eſſe, *male* ab eo ſcribi. Docetur autem ex Caueo de ſcriptorib. Eccleſ. T. II. p. 201. et Fabricio B. G. Vol. IX. p. 243. Prooemium Zonarae in Greg. Naz. Tetraſticha Venetiis Graece prodiiſſe, et eiusdem Zonarae Expoſitionis mentionem fieri apud Labbeum Bibl. Nou. MSS. p. 177. Etiam in Bibliotheca Regia Pariſina adſeruari Zonarae Explicationem Tetraſtichorum Greg. Naz. Cod.

CMXCII.

Digitized by Google

CMXCII. n. 6. Neque tamen paraphraſes, quas Codex Vindobonenſis habeat, illico Zonarae, vt Lambecius ſtatuebat, tribui debere, cum et Nicetam et Nicolaum Doxapatrium, Conſtantinopolitanae Eccleſiae Notarium, in varia Nazianz. Carmina ἐξηγήσεις ſcripſiſſe notum ſit. De his quidem Lib. VIII. Cod. 47. n. 2. agitur, quas valde his ſimiles ſibi viſas eſſe ſcribit.

Ad Cod. CXI. n. 13. 14. qui Calliſti Patriarchae Conſtantinopolitani duas orationes, alteram in obitum Mariae Virginis alteram in necem Iohannis Baptiſtae continet, vtramque ignorari a Fabricio B. G. T. IX. p. 100. obſeruatur. Conſtantini autem Acropolitae Orationem in S. Martyrem Theodoſiam, huius Cod. n. 17. quae altero exemplo exſtet in Cod. XXXV. n. 2. Lib. VIII. Lambecianorum Commentariorum, pro inedita haberi a Fabricio B. G. T. IX. p. 148. eam tamen vulgatam eſſe e Cod. Vaticano a Papebrochio Act. Sanct. T. VII. p. 69. Verba denique Lambecii, quae extra ſeriem in Indice primo Alphabetico Auctorum adnotauerat, ad hunc Conſt. Acropol. pertinentia; *Meminit huius Conſtantini Acropolitae Ioannes Cantacuzenus Hiſt. Byzant.* etc. notae ſubiectae inſeruntur. Cur ergo denuo in Indice leguntur, e quo commode tolli poterant.

Ad Cod. CXIII. n. 2. vbi Hiſtoria vitae, martyrii, et miraculorum S. Theodori Tyronis recenſetur, primum duos eſſe Theodoros ex Actis Sanctorum T. II. p. 23. obſeruatur; deinde hiſtoriam, quae hoc Codice Vindob. contineatur, neutrius ſingulatim Theodori, quorum alter *ducis*, alter *tyronis* cognomine diſcernitur, vitam referre; ſed vtriusque ſimul ab indocto quodam male conſarcinatam eſſe. Additur etiam, neutrum Theodorum clare diſtinxiſſe Fabricium B. G. T. IX. p. 147. nec hominis eſſe, in tali

tantoque opere omnia accurate diſcernere. Veriſſimum hoc, inprimis in rebus parui momenti, qualis vtique haec eſt. Ad eiusdem Cod. n. 3. quo memoratur a Lambecio Chryſippi Presbyteri Hieroſol. narratio miraculorum *S. Theodori* Martyris, cognomine *Tyronis*, plurimis verbis et argumentis, ex Gregorii Nyſſeni in Theodor. Tyronis encomio, (perperam paullo ante Nazianzeni in eum oratio laudatur,) potiſſimum repetitis euincitur, miracula, quae hic enarrentur, non eſſe Theodori Tyronis, ſed Theod. ducis.

Ad Cod. CXVI. n. 1. de Berytenſis miraculi hiſtoria copioſe agitur. Tota diſputatio in tres locos diuiditur. Primum de loco ac tempore quo contigerit, tum de auctore qui narrauerit, denique de fide qua excipiendum ſit, diſſeritur. Berytenſe vocatur a Beryto, vrbe Phoeniciae percelebri. Conceditur, eius nullam fieri a ſcriptoribus Graecis mentionem ante tempora concilii Nicaeni ſecundi a. 787. vbi primum pro cultu imaginum defendendo prolatum eſt. Ad auctorem quod attinet, eſt is Athanaſius quidam *Iunior*, ex mente Lambecii, cui Baronius et Pagius adſentiebantur. Sed Ill. Kollarius negat vmquam Athanaſium quendam *Iuniorem* (cf. tamen p. 373.) exſtitiſſe, idque iam ſe Libro III. p. 254. in nota ſubiecta demonſtraſſe, monet, et miraculi iſtius hiſtoriam non alii quam Athanaſio illi Magno, Alexandrino Archiepiſcopo, cui etiam in Cod. CLXXXVII. n. 10. adſcribitur, tribuendam eſſe contendit. In exitu laborat diſputatio, vbi de fide quaeritur. Primum, etiamſi Romanocatholici huius miraculi poſſeſſione deturbentur, hoc nihil nocere ipſi cauſae cultus imaginum; cum conſenſu Orientalis et Occidentalis Eccleſiae, tanquam laudabilem et minime ſacrilegum, comprobari. Deinde de Actis Synodi ſecundae Nicenae, ſatis vel parum genuinis, nemini priuato, non itaque Baronio, Pagio,

Span-

Digitized by Google

Spanhemio, Caueo, Oudino, decernere licere, praeterquam Eccleſiae catholicae ſoli, cuius vnius iudicio reliquorum omnium ſententiae ſint ſubiiciendae. Cum Spanhemio ſeparatim agitur. Cui, quod Opp. T. I. p. 1315. ſcripſerat, nullos omnino in ea Synodo trium Orientis Patriarcharum legatos fuiſſe, opponitur e calamo exarata Antiochenorum Patriarcharum hiſtoria, in Bibliotheca Caeſarea Vindob. exſtante teſtimonium, his conceptum verbis: Οὗτος ὁ Πατριάρχης (Theodoretus Patriarcha Antiochenus) ἔπεμψε τοποτηρητήν σε εἰς τὴν ἑβδόμην σύνοδον, ἡ ὁποία ἐγίνη ἐν ἡμέραις Κωνσταντίνου καὶ Εἰρήνης τῆς μητρὸς αὐτοῦ κ. τ. λ. Tandem ait: „quod teſtimonium, ſi quis tuae, (Spanhemium „alloquitur,) ſententiae praetulerit, eum nullius temeritatis „reum futurum eſſe non temere arbitrer."

Ad eiusd. Cod. n. 19. iacta a Lambecio in Combefiſium crimina, quaſi quae ab eo publicata fuiſſent, multa ignorantiae, inſolentiae, maledicentiae exempla proderent, abſterguntur, maxime verbis Reimanni in *Bibl. Acroam.* qui valde indignatur Combefiſio iniuriam factam eſſe, et easdem a Lambecio, quas in Combefiſio redarguat, culpas commiſſas fuiſſe ſcribit.

Ad Cod CXLIIII. n. 39. vbi duarum Chryſoſtomi orationum mentio fit, quarum in altera haec habentur: Πολλοὶ πρεσβύτεροι ἁμαρτωλοὶ ὄντες προσφέρουσι — — — — καὶ ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Κυρίου, καὶ τὸ ποτήριον γίνεται αἷμα τίμιον Κυρίου, adnotatur, haec inter ſpuria Chryſoſtomi retuliſſe Fabricium, ex diſciplina Lutheri inſtitutum, et Montefalconium Inſtituti Benedictini et ſancti Mauri ſodalitii alumnum; hunc editionis ſuae Chryſoſtomi Operum Pariſinae T. X, p. 840. illum Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 605. Nobis videtur, nec iſta verba ſola aliena, nec propter ea ipſam orationem ſuſpectam eſſe habendam; Lambe-

cium autem erraſſe apparet, qui ex iſtis verbis male intellectis, clarum et inſigne teſtimonium de vera *Transſubſtantiatione* repetebat. In Patrum ſcriptis, et Liturgiis antiquis, verbum γίνεσθαι in hac ipſa re multoties vſurpatur ita, vt ad transſubſtantiationem ſtabiliendam nihil valeat. Veram eius vim perſpexerunt et demonſtrarunt cum alii, tum Vener. Erneſti nuper, fonte ſimul iſtius formae loquendi detecto, in Iohannis Euang. 1, 14. ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, in *Opuſculis Theologg.* p. 43.

Cod. CLI. n. 34. memoratur Ἄθλησις τοῦ ἁγίου Δημητρίου τοῦ μεγαλομάρτυρος etc. Hoc opuſculum cum Fabricius tantum in Coisliniano Codice exſtare referat, B. G. Vol. IX. p. 72. elucere ait Ill. K., eum nequaquam Lambecii Commentariis, ſed Neſſelii ſolum Breuiario vſum fuiſſe. — Cod. CLX. Lambecius trium Codicum Vindobonenſium Epiſtolarum Michaelis Glycae memoriam celebrat, ſed quartum, qui olim adfuerit, et alicui quondam commodatus non redditus ſit periiſſe, queritur. Ad haec, nimis temere, ait Ill. K., deceſſores ſuos negligentiae prodigalitatisque arguere Lambecium, qui eo quo haec ſcriberet tempore, *certus* eſſe potuerit, *non* modo quartum illum epiſtolarum Glycae codicem *non* defuiſſe, ſed ſuperfuiſſe etiam quintum, vtrumque ſuis locis a ſe indicandum.

Ad Cod. CLXXXVIII. n. 12. de Anaſtaſii Sinaitae et Cyrilli Alexandrini expoſitione fidei, dialogi more conſcripta, bene obſeruatur, eam deſcriptionem non de colloquentibus inter ſe Anaſtaſio et Cyrillo, quorum aetas centum amplius annis diſtabat, intelligendam eſſe, ſed de orthodoxae fidei expoſitione ad mentem vtriusque Patris confecta. Ad quod cum non attenderet Oudinus, *Comment.* de

de Scriptt. Eccleſ. T. I. p. 1664. factum eſt, vt a re alienam de hoc libello ſententiam ferret.

Caeterum Appendix huius quarti Commentariorum Libri duo Additamenta exhibet: prius pertinet ad p. 101. editum olim a Lambecio inter Additamenta Libri V. Commentar. n. III. quod ſententiam de Baptiſmo Conſtantini M. in fine vitae multis veterum ſcriptorum teſtimoniis, Graece ſimul et Latine prolatis, confirmat, et propter prolixitatem reliquis annotationibus commode aptari non poterat. Alterum ab Ill. K. iam Lib. III. p. 411. ſuo loco editum, iterum hic recurrit. Cauſa non ſatis idonea haec affertur, ne quid eorum quae ad Librum III. et IV. pertineant, in altera hac editione omiſſum eſſe videatur. Quanto rectius erat, ſimpliciter ad huius libri Cod. CXCVI. n. 12. 13. monere, additamentum huic alieno loco attributum, iam ſuo loco, vt alibi fieri ſoleat, prolatum eſſe. Sed talium repetitionum exemplum iam ſupra attulimus. Nec leui ornamento et decori erat huic Operi futurum, ſi operarum typographicae vitia diligentius emaculata fuiſſent.

CHRISTOPHORI SAXII, ONOMASTICON LIterarium, ſiue Nomenclator Hiſtorico Criticus praeſtantiſſimorum omnis aetatis, populi, artiumque formulae Scriptorum item monumentorum maxime illuſtrium, ab orbe condito vsque ad Seculi, quod viuimus, tempora digeſtus, et veriſimilibus, quantum fieri potuit, annorum notis accommodatus.

PARS TERTIA.

Tra-

Traiecti ad Rhenum, apud Paddenburgium et van Schoonhouenii viduam, Bibliopolas, MDCCLXXX. pagg. omnino 660. in 8.

Quum *Saxius*, Vir Celeb. prioribus duabus Partibus. ingenii humani monumenta, inde ab Orbe condito ad initium vsque Seculi decimi ſexti, delinearit, incrementa atque decrementa vnius cuiusque diſciplinae, ſingularumque artium atque adeo vniuerſae eruditionis, atque doctrinae fata deſcripſerit, multorum, qui de literis bene meruerant, nomina obliuioni eripuerit, ita vt laudes peritorum huius rei omnium, inprimis hiſtoriae literariae amicorum, ferret: hoc intelligentum iudicio, ſuoque de literis bene merendi ſtudio commotus, ipſaque adeo huius moleſti laboris vtilitate incitatus eſt, vt eadem ratione, eodemque annorum ordine ſeruato, tertiam partem Nomenclatoris ederet, idque eo lubentius faceret, quo propius ad eam aetatem peruenit, qua graecae latinaeque literae diu neglectae atque ſepultae, rurſus aliquo in pretio haberi, et quaſi ab inferis reuocari coeperunt. Quum vero peruerſa quaedam ab eo iam tempore inualuerit conſuetudo, vt graecae latinaeque literae, arcto cum omnibus diſciplinis coniunctae connexaeque vinculo, a iuris diuini humanique, valetudinis tuendae, et rerum naturae indagandae ſcientia ſeparentur, atque diuellerentur, et ſcientiae inter altiora atque ſublimiora referrentur, bonae vero literae minutiarum nomine venirent, hi modo, qui ab hoc conſuetudine et more Seculi ſui alieni, ſtudia humanitatis cum ſcientiis atque diſciplinis, vnde victus et rei familiaris praeſidia peterent, coniungenda putarent, et e graecis latiniſque fontibus ſuos riuulos deducerent, ea felicitate vſi ſunt, vt nomina et ſcripta eorum aetatem ferrent, et inter ciuitatis literariae principes, iudices, ac Senatores numerarentur. Nulla vero aetas tam larga atque fertilis fuit ſummorum ho-

hominum atque ingeniorum prouentu, nulla tot in vniuerſo ſtudiorum genere heroas, totque omni liberali doctrina expolitos ornatosque protulit viros, quam Seculum poſt Chriſti natales ſextum et decimum. Inde etiam hanc ſibi legem imperauit Clar. Saxius, vt eorum modo memoriam recoleret, qui vel in literis et bonis artibus principatum, finitimosque principatui gradus obtinuerunt, vel in ſcientiis ita eminuerunt, vt tanquam ſectae ſuae anteſignani nouum doctrinae genus proſeminarent, vel per medias vulgi laudes quaſi quadrigis veherentur. Aſtrologos imitari voluit Saxius, qui primae modo atque ſecundae magnitudinis ſidera diligenter ſpectant, reliquarum ſtellarum breuium innumerabilem copiam negligunt, adeoque eximios in ſuo genere doctos, vel eximiis proximos, modo commemorauit, ita vt nec Theologos ſecundum familias deſcriberet, nec nomina vernacula cum praenominibus et cognominibus negligeret, vel mutando emolliret, nec, quod praecipuum eſt, omnia, quae ad cuiusque vitam et ſcripta pertinent, coaceruaret; ſed fontes potius indicaret, e quibus copioſora petere et haurire poſſet harum rerum ſtudioſa iuuentus. In fontium autem numero frequentiſſime, vt ipſa rei natura imperauit, laudantur Conringius, Pantaleonis Proſopographia, Iouii Elogia, Fabricius, Bruckerus, Baelius, Schroeckhius, et qui Bibliothecae Bünauianae Indices confecere, vt alios taceamus. Quum vereatur Saxius Vir doct. ne ſint quibus haec Chronotaxis literaria nimis preſſa et tenuis videatur, illis non fore arduum ſcribit, *huiusmodi oſſium ſimplicitatem ſplendida philoſophandi pompa, tanquam carne et ſucco, habitiorem efficere.* At ſi conſilium atque vſus huius libri ſpectatur, qui modo in eo cernitur, vt memoria doctorum Seculi decimi ſexti renouetur, vtque is, qui de vno alteroue horum virorum aliquid noſſe cupia, ſcire poſſit, quos conſulere debeat, vt denique fata literarum per ſingulos annos breuiter repetantur: quiuis profecto in eo acquiefcet,

eſcet, ſi modo id inuenire poſſit, cuius cauſa librum huius generis, data occaſione, non totum vna ſerie legere, ſed euoluere ſolet. Gratus igitur acceptusque erit iſte Nomenclator, inprimis iis, qui Bibliothecis publicis praeſunt, vel hiſtoriae literariae accuratius cognoſcendae ſtudio amoreque tenentur. Nos ſingula decennia Seculi ſexti decimi ita percurremus, vt vniuerſi libri argumentum oculis lectorum pateat, et principum huius Seculi doctorum imago in memoriam haecce legentium recurrat.

Agmen ducit *Rhaphael Maffeus*, Volaterranus, Grammaticus et hiſtoricus, natus 1451. denatus 1521. cuius imago in Boiſſardianis tabulis No. LXXXVII. et in duobus numis Muſei Mazzuchelliani expreſſa cernitur. Quamuis eum Vrbanorum commentariorum libros XXXVIII. Iulio Pontifici inſcriptos, ex mille amplius vtriusque linguae auctoribus, ipſo fatente, congeſtos, edidiſſe conſtet, et mediocrem eruditionem, leuemque vtriusque linguae, graecae inprimis, ſcientiam ipſi periti tribuant: haud tamen ingratum foret multis, vt nobis quidem videtur, ſi iſta vel tribus verbis narrantem Saxium. V. C. audire poſſent, quum alii otio, alii occaſione, libros quos Saxius Volaterrani aliorumque cauſa laudauit, conſulendi deſtituantur. At breuitatis ſtudium cum imperare videretur amplitudo operis: ſatisfecit profecto Celeb. Saxius ſuo conſilio, ſi modo laudaret eos, qui de ſingulis doctis vberius atque copioſius diſputaſſent. Volaterranum igitur ſequitur Petrus *Pomponatius*, Mantuanus, qui Philoſophus ſubinde profanus iure appellari videtur, cum omnia morte finiri libro de immortalitate animorum, credidiſſe atque docuiſſe putetur, quamuis modo, immortalitatem animi ex ratione atque ſcriptis Ariſtotelis demonſtrari poſſe, negaret. Thomas *Linacer*, Cantabrigienſis Medicus et Philologus Anglo Britannus teſte Voſſio de Scientiis Mathematicis c. 65. anno 1500. Procli Sphae-

Sphaeram edidit, et libro quoque de emendata latini ſermonis ſtructura laudem doctorum meruit. Thomas *Diplouatatius*, Patricius Cpolitanus, Iani Laſcoris diſcipulus, Ictorum Biographus. Hier. *Auantius* Veronenſis, plurimorum librorum ex Aldi officina prodeuntium emendator, ſaepius quoque audax interpolator. Paulus *Corteſius* Dalmata, Epiſcopus Vrbinas, caſtae latinitatis imitator et vindex, pro ſuae ſcilicet aetatis ratione. A. I. *Parrhaſius*, Rhetor et Grammaticus, cui debetur Commentarius in Claudianum de raptu Proſerpinae, et Horatium de arte poetica. *Io. Baptiſta* Mantuanus, vulgari nomine Spagnoli quaſi Hiſpaniolus, Orator, Grammaticus, et Carminum ſcriptor. Io. Maria *Catanaeus* Nouarienſis, Plinii interpres. Paulus *Aemilius* Veronenſis, rerum Francicarum a Pharamundo vsque ad A. 1488. ſcriptor; Cornelius *Aurelius*, cuius Batauiam, ſeu de antiquo eius inſulae, quam Rhenus in Hollandia facit, ſitu, deſcriptione et laudibus, libros duos, primus anno 1586. edidit Bonauent. Vulcanius, et Petr. Scriuerius Antiquitatibus inferioris Germaniae inſeruit; Albrecht *Dürerus*, Pictor celeberrimus Norimbergenſis; Io. *Frobenius*, Chalcographus Baſileenſis, eruditione et typorum machinis clarus, a. 1527. mortuus; atque eadem, niſi maiore laude dignus Phlippus *Iunta* Florentinus, cuius editiones veterum librorum, quanto in pretio habeantur a criticis, neminem fugit; Alexander ab *Alexandro*, Ictus et Grammaticus, qui diebus Genialibus ſcribendis inclaruit. Hi primo Seculi decimi ſexti anno floruere. Altero autem anno fama eruditionis eminuerunt Deſiderius *Eraſmus*, nemini eruditorum ignotus, cuius Opera cum Baſileae, tum Lugduni, coniunctim prodierunt; Martinus *Pollichius*, Academiae Vitebergenſis, ſub auſpiciis Friderici Septemuiri Saxoniae conditae, auctor, primusque Rector, Franc. *Ximenius* Archiepiſcopus Toletanus, cuius curae ſumtibus atque induſtriae Bibliorum Complutenſium Opus, anno 1515. abſolutum, necdum editum, debetur, quique

anno 1517. ex propinato, vt aiunt, veneno periit. De horum Bibliorum auctoritate controuerſiae nuperae inter Semlerum Halenſem Theologum, et Goetzium Paſtorem Hamburgenſem agitatae, Saxius quoque ita mentionem facit, vt Semlero fauere videatur. Ioh. *Murmelio*, qui deſcriptionem vrbis Monaſterienſis verſu Saphico hoc anno promulgaſſe fertur, et Iodoco *Clichtoueo*, Philologo Pariſienſi, Lutheri poſtea aduerſario, commemoratis, laudat Saxius Henricum *Stephanum*, haud dubie parentem Roberti Stephani, et auum Henr. Steph. ad eumque refert Io. Damaſceni Opera cum Clichtouei Comment. 1512. Pſalterium quintuplex 1513. nec non Theodoreti libros de curatione graecarum affectionum 1519. Anno quarto huius ſeculi celebrantur Hermannus *Buſchius*, Philologus Lipſienſis, cum Collega *Aeſticampiano*, a Theologaſtris, quales tum erant, et Sophiſtis Lipſienſibus, hac vrbe expulſus; Albertus *Kranzius* Hiſtoricus Hamburgenſis, Michael *Bonarotus* Gallo Francus; *Michel Ange* Architectus, Pictor, Poeta, et Praxiteles Florentinorum; *Pomponius Gauricus*, qui ſcripſit librum de ſculptura, *Raphael* Vrbinus, pictor celeberrimus. Inter ceteros prioris decennii eruditos inprimis commemorari merentur Ambroſius *Calepinus*, auctor Dictionarii Linguae latinae; Franciſcus *Albertinus*, de Mirabilibus nouae et veteris vrbis Romae ad Iulium II. ſcribens, Andreas *Naugerius* Hiſtoriographus Venetorum, Ioh. *Pfefferkorn*, antea Iudaeus, dein acerrimus Iudaeorum aduerſarius, et ſuperſtitioſus omnium librorum Ebreaorum hoſtis, qui a Spondano, in Annalium Baronii continuatione ad Ann. 1510. cum alio eiusdem nominis Iudaeo, ſed homine nequam ac perdito, temere confunditur, *Eobanus* denique *Heſſus*, poeta atque hiſtoricus Marburgenſis, cuius vitae a Camerario deſcriptae nullam hic loci mentionem factam eſſe mirandum videtur; vt et *Beatus Rhenanus*, et *Erasmus Stella* conſul Cygnaeenſis, cuius antiquitates Boruſſiae anno 1510. Baſileae prodiere,

et

Digitized by Google

et cuius Commentarii de rebus ac populis orae inter Albim et Salam leguntur in Leſſingii V. C. altera parte deſcriptionis monumentorum Bibliothecae ducalis Guelberbytanae n. XIV. p. 447. ſeq. germanice ſcripta.

Inter alterius decennii eruditos famam celebritatemque nominis conſecuti eſſe narrantur *Phauorinus*, Lexicographus Graecus, et Bibliothecea Mediceae praefectus, Hier. *Emſerus* Theologus pontificius, acerrimus Lutheri hoſtis, Bilibaldus *Pirckheimerus* Senator Norimbergenſis, Maximiliano I. Auguſto a conſiliis, Hiſtoricus et Philologus, cuius imago eleganti Alberti Düreri manu picta, radioque ſcripta, ante eius opera a Goldaſto digeſta Francof. 1610. Fol. cernitur, Henr. *Glareanus*, lauro poetica et annulo a Maximiliano I. donatus, Georg. *Spalatinus*, ob Chronicon Saxoniae 1512. editum ſatis clarus, Petrus *Bembus* Venetus, Cardinalis, Hiſtoricus, et Gramaticus inſignis, Nic. *Machiavellus* Florentiuus, prudentiae ciuilis non fideliſſimus magiſter, ſermonis contra etruſci probatiſſimus auctor, Guil. *Budaeus* Pariſienſis Philologus egregius, qui libris elegantiſſimis de aſſe, et de Philologia, nec non commentariis linguae graecae, primum Paris. 1529. impreſſis, dein ſaepius repetitis, inclaruit; cuius dignus eſt qui in ſocietatem veniat Thomas *Morus*, ſcriba regis, doctiſſimus Luciani interpres a. 1536. quem Henricus VIII. Rex, quod eius voluntati iure repugnaret, capite plecti iuſſit. Vitam eius, hoc enim addere liceat, Thomas Hearne, a Guil. Ropers deſcriptam, cum additamentis Lond. 1716. typis inprimendam curauit; Ioh. *Eccius* Theologus Pontificius Ingolſtadienſis, cuius Icon et Vita reperitur in Viri Clar. Ioh. Math. Schroeckh, elegantiſſimi Biographi Vitis clarorum virorum (*Abbildungen und Lebensbeſchreibungen berühmter Gelehrten;*) Caelius *Rhodiginus*, qui anno 1516. Antiquas lectiones in lucem exire iuſſit; Ioh. Bapt. *Egnatius* Archaeologus

Zzz 3 Vene-

Venetus, Vlr. *Huttenus*, Germanorum Lucianus, Petrus *Moſellanus* Rich. Croci ſucceſſor, Io. *Pierius Valerianus*, Protonotarius Apoſtol. doctus Virgilii interpres; Andreas *Caroſtadilus* vulgo Bodenſtein, Lutheri laborum ſocius, Ioh. *Oecolampadius* Theologus Zwinglianus Baſileenſis, iſta aetate non ignobiles fuere. *Lutherus* tamen atque *Melanchton*, facile omnium famam laudesque ſuperare videntur.

Tertio decennio inprimis commemorantur atque laudantur Ludou. *Viues*, Philologus Brugenſis in Flandria, Nic. *Amsdorfius* Epiſcopus Numburgenſis, Ioh. *Cochlaeus*, maximus Euangelicorum calumniator, qua re haud bene famae ſuae apud poſteros conſuluit, Vinc. *Obſopaeus* philologus graecus, Melch. *Pfinzinger* auctor inclyti libri Theuerdanck, Polyd. *Vergilius* Vrbinas, quem de rerum inuentoribus ſcripſiſſe conſtat, Iuſtus *Ionas*, Martinus *Bucerus*, Io. *Bugenhagen*, Theologi ſatis noti, Valent. *Trotzendorfius*, Rector Scholae Goldbergenſis in Sileſia, multitudine diſcipulorum inſignis ac memorabilis. Agmen horum claudat Ioach. *Camerarius*, eximium doctae Germaniae decus, Criticus et Polyhiſtor Academiae Lipſienſis, digniſſimus, qui in hac ipſa Academia a Io. Frid. *Fiſchero* Viro Celeb. 1762. oratione eleganti laudaretur.

Quarto decennio laudem famamque praecipuam conſecuti eſſe narrantur Laz. *Bonamicus* Poeta Patauinus, Hier. *Fracaſtorius* Poeta Veronenſis, Iul. Caeſ. *Scaliger* Ioſephi Iuſti pater, Petr. Paul. *Vergerius* minor Epiſcopus Iuſtinopolitanus, Antipontificiorum haud obſcurus fautor, cuius Apologiam aduerſus Ioh. Caſam 1760. Schelhornius V. Cl. ſcripſit, Franc. *Vatablus* ob Biblia polyglotta inſignis, Melchior *Canus*, cuius *Loci Theologici*, ad exemplum librorum Ciceronis de officiis ſcripti, vicem Topices Theologicae praeſtant, Ioh. *Brentius* Theol. Lutheranus, Io. *Cario*, cu-

cuius Chronicon Phil. Melanchton, et C. Peucerus, emendarunt, Nic. *Copernicus* Aſtronomus illuſtris, Greg. *Pontanus* Cancellarius Electoris Saxoniae in Comitiis Auguſtanis, Theophr. *Paracelſus* Chymicus et Theoſophiſta, portentoſae ſimul vaniſſimae eruditionis, Michael *Seruetus*, qui ſeptem peſtilentes libros de Trinitatis erroribus Lugduni Gallorum 1531. prodire iuſſit, Io. *Sturmius* Philologus Argentoratenſis, Io. *Caluinus* Theol. Geneuenſis, auctor formulae doctrinarum Caluinianae, Paul. *Manutius* Chalcographus et Archaeologus Romanus, Georg. *Agricola* Philologus Chemnicenſis, auctor libelli de ponderibus et menſuris, *Ianus Comarius* Medicus Ienenſis, graecarum literarum peritiſſimus, vt Ioh. *Oporinum*, Chalcographum, et Philologum graecum Henr. *Bullingerum*, Marium *Nizolium*, Vitum *Amerbachium*, Ioh. *Stigelium*, Carol. *Stephanum*, Andr. *Veſalium*, aliosque cum laude commemorari taceamus.

Properamus ad decennium quintum, quod, vt alios non commemoremus, ſuae eruditionis fama *Caſtellio*, *Victorius*, *Buchananus*, *Lotichius*, Conrad. *Geſnerus*, Anton. *Schorus*, Franc. *Robortellus*, *Balduinus*, Elias *Vinetus*, Victor. *Strigelius*, Hier *Wolfius*, *Beza*, Ioh. *Brodaeus*, Franc. *Duarenus*, Math. *Flacius*, illuſtrarunt; quem poſteriorem praecipuum auctorem Centuriarum Magdeburgenſium, nec non libri quo Catalogus teſtium veritatis continetur, laudari, nemo fere eſt qui ignoret.

At ſexto decennio quoque inclaruiſſe feruntur *Fallopius*, Medicus inſignis, Onuphr. *Panuinius* Antiquarius Romanus, Carol. *Sigonius* Hiſtoricus, cuius opera omnia, in quibus et Diſputationes Patauinae, ſtudio Argelati prodiere ſex Tomis, deſcripta Mediolani 1732—1737. Iac. *Amiotus* Francicus interpres Diodori Siculi, Plutarchi,

Lon-

Longi, aliorumque; Gilbertus *Cognatus* cuius, Opuſcula Baſileae 1547. prodiere ap. Oporinum, Guil. *Morellus* Chalcographus Paris. Roder. *Caſtelli* Medicus, Dioſcoridis interpres, Iac. *Andreae*, princeps formulae Concordiae auctor. Baſ. *Faber* Scholae Erfurtanae rector, Lexicographus, Georg. *Fabricius* Chemnicenſis, Criticus et Poeta, Ioh. *Matheſius*,, Theologus Euangelicus, Dav. *Peiferus* Cancellarius Saxonicus, poeta et hiſtoricus, Caſp. *Peucerus*,. Medicus et Mathematicus, Petrus *Ramus*, Profeſſor Pariſienſis, in exitialibus nuptiis, inſtinctu aemuli eius Iac. Carpentarii, occiſus, Iac. *Dalechampius*, Medicus Cadomenſis, Andr. *Turnebus* Chalcographus Pariſ. *Henricus II. Stephanus* Roberti filius, Chalcographus et Philologus Pariſienſis, Franc. *Fabricius*, Philologus Düſſeldorpianus, Nic. *Gruchius* Pariſ. qui libros III. de Comitiis Romanis 1555. prodire iuſſit, Cyr. *Spangenbergius*, Chronographus Islebienſis, *Widmanſtadius* Cancellarius Auſtriacus, literarum Syriacarum maxime peritus, *Natalis Comes* Venetus, Mythologus inſignis, quem aduerſus Morhofium Polyhiſt. literar. VII. c. 1. et Crenium in Animadu. Philol. Part. III. c. 2. §. 4. Celeb. Saxius recte defendit, eum propter reſuſcitatam librorum veterum memoriam, crebraque poetarum deperditorum fragmenta, et rerum copiam, multis Mythologiae ſcriptoribus longe anteponendum eſſe exiſtimans.

Iſta quoque feliciſſima doctorum aetas tulit *Briſſonium*, Iac. *Cuiacium*, Ictorum ſua et noſtra aetate facile principem, atque inſignem Philologum, eiusque perpetuum reprehenſorem Hugon. *Donellum*, nec non Ioſ. Iuſtum *Scaligerum*, Dauid. *Chytraeum*, Mich. *Neandrum*, philologum graecum, Ioh. *Gorraeum*, Guil. *Xylandrum*, Marc. Anton. *Muretum*. aliosque.

Reſtat magnus numerus eruditorum hominum, qui inde ab anno 1560. ad annum 1585. vixerunt floruerunt que, quos

quos vero ſingulos modo nominare, neque anguſtioribus circumſcripti finibus poſſumus, neque lectorum patientia abuſuri volumus; praeſertim cum hiſtoriae literariae amicos, hunc peritum atque humanum Nomenclatorem Cel. Saxii per vniuerſum Seculi XVI. decurſum ſpatiumque, perpetuum comitem habituros eſſe nulli dubitemus. Acceſſit quoque ſub finem collectio copioſa ſupplementorum et emendationum partis tertiae; in huius enim generis labore multa ſuo tempore non occurrunt, ſed alia occaſione non inuitata ſua ſponte obueniunt. Quum vero praeceps Seculi ſextidecimi aetas, nec non Seculum XVII. vt et noſtra, quibus viuimus, tempora, eandem operam Viri copioſa librorum ſuppellectile inſtructi, a nullo literarum genere alieni, nec moleſtias laborum fugientis, deſiderare videantur: nihil magis in votis habemus, quam vt Saxio, Viro Celeberrimo, placeat, eadem ratione de maioribus ſuae aetati propioribus praeclare mereri, et memoriam eorum, qui prae ceteris ingenii doctrinaeque fama floruerunt, gratae poſteritati commendando, ſui ſimul ingenii atque eruditionis multifariae monumentum aere perennius conſtituere: quod vt fieri poſſit, integris animi corporisque viribus ſummum vt numen diu ipſum florere atque gaudere iubeat, precamur.

CAII PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTOriae, cum interpretatione et notis integris IOH. HARDVINI, itemque cum Commentariis et Adnotationibus Hermolai Barbari, Pintiani, Rhenani, Gelenii, Dalecampii, Scaligeri, Salmaſii, Iſ. Voſſii, I. Fr. Gronouii, et Variorum: VOLVMEN TERTIVM: recenſuit, varietatemque lectionis adiecit IOH. GEORG. FRID. FRANZIVS.

 Lip-

Lipſiae, impenſis Guilielmi Gottlob Sommeri 1779. Alph. 2. plagg. 7. in 8.

Qui hac Editione vtuntur Plinianae hiſtoriae lectores, e ſuperioribus duobus Voluminibus intelligent, non ſolum cuiusmodi ſit, et contenti erunt iis quae Vir experientiſſimus, in coniungenda Harduini et Gronouiana editione, eo modo, quo in his Actis in recenſione ſecundi Voluminis indicauimus, praeſtitit; ſed etiam admirabuntur induſtriam Viri doctiſſimi, qui multis laboribus diſtentus, tamen non diu expectare recentis voluminis editionem eos paſſus eſt, ſed promiſſa ad diem eſt exſequutus. Atqui ad emendatam lectionem, vſumque cum philologicum, tum hiſtoricum, multa adhuc ſunt perpurganda in libris Plinianis, ſi quis omnia Gronouii et Harduini editionis texta perrepere, et quid vitium prodat, quid ſolidum crepet, tentando explorare velit. Quae Harduinus vel manuſcriptorum ope, vel ex ingenio ſuo emendauit, non ſemper probantur Viris doctis, qui in eo homine, cupiditate quadam et immodico nouorum inſolitorumque ſtudio affectum fuiſſe ſciunt. Et in obſeruationibus doctorum, quas vel ſingularibus libellis propoſuerunt, vel aliorum ſcriptorum libris adſperſerunt, adhuc multa latent, quibus Editor Plinii cum fructu vtatur. Sed quis hoc ab vno homine poſtulet vel otioſiſſimo, nedum ab eo, cui multorum ſimul operum elaborationi inuigilandum ſit. Nam Franzium quidem, poſt edita quaedam iuxta Pliniani operis initium ad Medicos Graecos ſpectantia, nunc quoque Vegetius et Aetius occupant. Neque vero hoc iis licuit, qui adhuc particulas quasdam Pliniani operis ſeparatim illuſtratas ediderunt, nec ipſi Heynio aliisue licebit, qui futuro tempore idem ſe facturos polliciti ſunt, et iam quorumdam eius edendorum curam in ſe recepiſſe oſtenderunt.

Prae-

Praemiſſa eſt huic Volumini Ioh. Harduini numismatum duorum, quae ſunt inſcripta litteris vt vocant Samariticis, interpretatio, ad verba Plinii L. VII. S. 57. *litteras ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe;* qua docet, Samariticas, quas nunc dicamus, litteras, eas Aſſvrias eſſe, quibus vterentur Cuthaei. Qui accuratius rem examinandam putabit, is comparabit Relandum *de nummis Samaritanis*, Hottingeri *Cippos Hebraicos*, et Ioh. Bapt. Ottium *Spicileg. ex Flau. Ioſepho ad N. T. illuſtrationem*, p. 60. ſqq. et quos laudat Cel. Fiſcherus in *Proluſſ. quinque, in quibus varii loci librorum diuinorum* etc. p. 158.

Continentur autem hoc Volumine iterum tres libri, a ſeptimo ad nonum, quos deſcriptionem hominis, et gentium notabiles figuras, item animalium terreſtrium pedatim gradientium genera, aquatiliumque animalium naturam, tractare conſtat; et maxima pars notarum eſt Harduini, qui loca Plinii ex numis frequenter, et praemonſtrata a ceteris interpretibus via, ex Ariſtotele, Aeliano, Oppiano, aliisque Poetis Graecis et Latinis, interdum etiam e Geoponicis ſcriptoribus, illuſtrat. Quod autem ſupra diximus, contra interpretum ſententias adhuc multa eſſe monenda; id vno tantum exemplo demonſtrabimus. Scribit Plinius VII, 2. *in Africa familias quasdam effaſcinantium* commemorari ab quibusdam antiquis hiſtoricis, *quorum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes.* Hic commenti ſunt interpretes, Plinium vſum eſſe graeca voce πρόβατα, ad pecudes indicandas, quemadmodum in aliis locis *pyctam* pro pugile, *pallacas* pro concubinis, et Cicero in Verrinis *in acta* pro ἐν ἀκτῇ in littore, dicat. Non vero probabile eſt, ſine cauſſa Plinium Graeca voce vſum eſſe in conſuetudinem ſermonis latini non recepta. Nam ceteras, quae exempli loco afferuntur, ipſi licuit ideo vſurpare, quia ab aliis quoque vſurpabantur. Conuenientius ergo putamus, *probata* coniungere cum vocabulo *laudatione*, vt

laudatione probata dicantur pro *laudata impenſius.* Quod etiam Turnebus vidit. Lambinus vero hanc affert amici cuiusdam coniecturam, interea probatae areſcant arbores; ſed illud interea friget. Alioqui *probata* etiam poſſint *in ſuo genere bona quaeque* denotare, veluti pecudes paſtuatque cultu opimas, ſegetes laetas, pulchras arbores e. ſ. p. quibus fere verbis vtitur Gellius horum mentionem faciens N. A. IX, 4. Caeterum laudamus ſedulitatem atque induſtriam quam. Editor praeſtitit, et nec de fide ac diligentia eius dubitandum eſſe dicimus, de qua tamen, vt iam nuper monuimus, iudicare, et aliquid certi dicere poterunt ii, quibus vtraque editio, Gronouiana et Harduini, ad manus ſunt, et quibus operae pretium eſſe videtur, vtramque cum hac Franziana comparare. Indicabimus enim quaedam, quae ſe nobis ſponte obtulerunt, emendatius ſic legenda. In textu Lib. VII. c. 24. legendum: *ars poſtremo eius rei facta, et inuenta eſt.* In notis: in nota Harduini p. 282. pro *Venit ſpes, teritur* etc. legend. *Venit hiems, teritur* etc. eſt notus locus Virgilii Georg. 2, 519. In verbis Aeſchyli, in nota Dalec. p. 297. leg. θαλασσόπλαγκτα. Pag. 354. locus Aeliani N. A. XI, 26. ſic legendus: ἔχει ὁ μὲν δράκων ὁ ἄῤῥην τὸν λόφον. In verbis ex Ariſtotele leg. ἡμερῶν ὀλίγων. In loco Epimarchi p. 687. legend. Σάλπας βδελυράς. In verbis Ariſtotelis p. 766. κηριάζωσιν legend. bis pro κυριάζ. vt p. 755. legitur.

IOH. CHRISTOPH. BREMER, SVPER ALIquot Minucii locis coniecturalis Commentatiuncula.

MINVTIVS FELIX, inter veteres Scriptores Chriſtianos limatiſſimus, cuius vnus tantummodo liber M. S. aeta-

tatem tulit, poſteaquam dialogus illius in lucem publicam editus fuit, etiamſi plurimos eruditorum eſt nactus, magna doctrina aeque ac critica facultate conſpicuos, qui multis eius locis, et acute emendando, et recte interpretando, lucem accenderunt; nonnulla tamen reſtant explicanda rectius ſanandaque, quae inter referenda mihi videntur ea, quibus iam operam nauare mecum conſtitui:

Iam primum Cap. I. Sect. 3. ambiguum ſemper erit, quid ſibi vox *diſcedere* velit, vtrum proprio ſignificatu adhibita, an pro *mori* poſita ſit: ponamus enim, doctiſſ. *ab* HOVEN in *Vindiciis Minutianeis*, *Muſei Stoſchiani* Vol. I. Faſcic. 2. inſertis, abunde ſatis contra Cl. LINDNERVM probaſſe, verbum hoc ſimpliciter poſitum idem nonnumquam ſignificare ac *mori;* omnia tamen argumenta, quibus euincere conatur, ita hoc in loco et a MINVCIO vſurpari, infirmiora puto, quum v. c. vocabulum *ſanctus*, ad quod prouocat, ſaepiſſime et de viuentibus adhiberi, neminem fere fugiat. Ceterum magni non intereſt, vtram hic ſignificationem ſequare, niſi quod LINDNER. propriam defendere cogatur, qui loco illi vexatiſſimo Sect. ead. vt medeatur, ita eum interpungit: *ſic ſolus in amoribus*, *conſcius ipſi, ſocius in erroribus.* Quae quidem interpunctio mihi diſplicet, quum verbis *conſc. ipſi* neſcio quid duri atque frigidi inſit. Meliorem puto I. GRONOVII diſtinctionem: *ſ. ſ. i. a. ipſe, ſ. i. e;* at vero *amores* non de Venere promiſcue ſparſa cum eo ſunt explicandi; eiusmodi enim amores in *erroribus* numeraſſet MINVTIVS, neque tum amores erroribus opponendi fuiſſent. *Amores* numero plurali hic de amicitia vſurpantur, vt et apud CICERONEM interdum; voce autem *conſcius*, quae aeque in CIC. occurrit, vbi de amicis ſermo, noſter, vtpote notus CIC. imitator, eſt vſus, locutionem conſtans nouam, puto: *in amoribus conſcius.* Proinde *ſolus i. a. c. vnicus* eſt *amicus*. Fortaſſe tamen GRONOVIANAE huic diſtinctioni praeferenda eſt STRVCHTMEYERI,

MEYERI, *ſecundi*, in *Animaduerſionib. Critic.* Lib. I. Cap. II. legentis *ſ. ſ. i. a. c.*, *ipſis ſ. i. e. Ipſis* iam ante hunc legi iuſſit CHRISTIAN. CRVSIVS in *Probabilib. Critic.* p. 63.; in eo autem diſplicet CRVSIANA huius loci emendatio, quod pro *conſcius* mauult *conſtans:* etenim non veriſimile eſt, librarium pro faciliori repoſuiſſe difficilius verbum. Olim coniiciebam, *conſociatas*, quod verbum, contractum fortaſſe, librarius legerit *conſcius:* quam coniecturam ideo, quod ſtatim ſequatur *ſocius*, nemo reiiciet, niſi qui ſtili MINVC. idiomata ignorauerit. Verum enim vero acquieſcamus in lectione vulgari. Inter varias autem de hoc loco ſuſpiciones nullam equidem minoris pretii arbitror HOVENIANA: *hic in am.* cet. *Sic* minime eſt frigiduſculum, vti vel contextus docet; ſed plane conſentaneum ſtilo MINVCII, pari modo ſectionem 2. incipientis: *ita eius contemplatio* cet. Aliud exemplum vid. Cap. V. Sect. 9. Particula autem HOVENIANA quam maxime friget.

Contra aſſentior viro huic doctiſſ. quod Sect. 3. lectionem, vt RIGALTIVS aperte teſtatur, M. S. *eadem velle vel nolle*, defendit. At vero haec verba maiori diſtinctionis ſigno a praecedentibus ſunt ſegreganda. Sect. 4. pro *reſpuit*, quae vox ſana eſt, CRVSIVS l. l. quod eam τῷ *praecurrere* opponi haud commode poſſe opinatur, mauult *deſeruit;* verum eiusmodi ἀκυρολογίαι non raro inueniuntur. Praeterea coniecturae huius eadem eſt conditio, ac ſuperioris CRVSIANAE, ad verbum *conſcius* prolatae, nec non STRVCHTMEYERIANAE ad h. l. *refugit.*

Sect. 5. pro *reformauit*, CRVSIVS mauult *reuocauit.* Perperam. Non haerendum in praepoſitione *re*, quod CRVSIVM feciſſe mirum eſt, tantae lectionis virum! Verum corrigendi libidine abreptus, ſaepiſſime peccauit, cuius hoc iterum ſit exemplum. Nimirum init. Cap. II. MINVC. ait: *negotii et viſendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, coniuge, liberis, et, quod eſt in liberis amabilius, adhuc*

Digitized by Google

huc annis innocentibus, et adhuc dimidiata verba tentantibus. Hic CRVS. ſine vlla neceſſitate *quod eſt* immutat in *quo nihil eſt.* In eo autem ſtili MINVCIANI fuit rudis, quod pro ſecundo *adhuc* maluit *adfatu.* Ita MINVT. Cap. III. *cur non agnoſca alacritatem tuam illam et illam hilaritatem?* vbi LINDNER. larga manu exempla dat.

Cap. III. Sect. 2. ita incipit: *Cum hoc ſermone eius medium ſpatium ciuitatis emenſi iam liberum litus tenebamus.* Hic LINDNERVS ſententiae accedit viri cuiusdam docti in *Obſeruationib. Miſc. Critic.* Vol. X. T. I. p. 13. *medium ſpatium ciuitatis* de ſpatio medio Oſtiam inter atque mare explicantis; at vero, cum *ab* HOVEN neſcire me fateor, quomodo hoc ſpatium dici poſſit *medium ſpatium ciuitatis*, niſi forte vrbis agrum nomine ciuitatis comprehenſum putes. *Med. ſpat. ciuitat.* recte, puto, *ab* HOVEN explicat per mediam ciuitatem, ita vt ne vox *medius* nimium vrgeatur pro exemplis ab eodem allatis. Locum igitur Theotiſce hoc modo verterem: *Unter dieſen Reden des Octavius kamen wir aus der Stadt, und ſchon hatten wir das freie Ufer erreicht.* Quod vero contra interpretationem BARTHIANAM, ſimilem huic, Cl. LINDNER. monet, ambulantes hoc ſpatio confecto non liberum litus, ſed agros et campos nactos eſſe, cogitandum eſt, MINVCIVM non dicere velle, ſe, ſimulatque vrbe exiiſſent, ad maris litus perueniſſe; verum, nihil narraturus de ſermonibus ab vrbe ad mare vsque habitis, ſtatim addit: *iam litus tenebamus*, narrantium more, media ſaepe tranſilientium.

Ead. Sect. legitur: *et, vt ſemper mare, etiam poſitis flatibus, inquietum eſt, etſi non canis ſpumoſisque fluctibus exibat ad terram, tamen criſpis toroſisque. Ibidem erroribus delectati perquam ſumus, quum in ipſo aequoris limine plantas tingeremus* cet. Haec et ſeqq. ita refingit CAVSIVS: *criſpis tortuoſisque itidem erroribus — furtim nunc relab. — ipſum ſeſe reſorb.* quae omnia vana ſunt; niſi quod cum

eo

eo *itidem* legens, verbo hoc cum *erroribus* coniuncto, comma pono ante *delectati: errores* enim nuce poſiti duriuſculi mihi videntur.

Sect. 7 LINDNERVS particulam *vel* ante voc *enataret*, vt prorſus alienam ab hoc loco, quum *raderet*, et *enataret* locutiones putet ſynonymicas, delendam cenſet. Sed *vel* apud noſtrum nonnunquam idem eſt quod *et*, vt ipſe LINDNER. ad Cap. I. Sect. 3. monuit.

Cap. V. Sect. 9. Cl. *ab* HOVEN iure meritoque aſſerere mihi videtur MINVCIO vocem *attollitur*, quae et in M. S. ineſt. LINDNERIANVM *et alitur* ideo hic reiiciendum, quod MINVC. plura verba coniungens copulam omittere ſolet, vt mox: *diuiditur, ſoluitur, diſſipatur*, quae verba *ab* HOVEN anxie nimis interpretans tranſpoſita vult.

Sect. 10. occurrit *rutilare fulgura, praemicare fulmina.* CRVSIVS, idem ſignificare putans *rut.* et *praem.* legit *praecipitare* vi reciproca; ſed nulla adeſt tautologia, aliud enim eſt color, aliud motus fulminum.

Cap. VII. Sect. 6. *repetamus*, vti M. S. habet. inuito LINDNERO retinendum puto, quippe quum *repoſcere*, vt ſimplex, duplici accuſatiuo gaudeat, quidni et ad illius analogiam compoſitum vocis *petere?* etiamſi nullum plane exemplum inuenias.

In fin. Cap. VIII. lectio M. S. eſt: *ita illis pauorem fallax ſpes ſolatia rediuiua blanditur.* Hic critici miſere ſe torſerunt, quum locus, ſi *ſolatia rediuiua* commatibus includas, et per appoſitionem, vt aiunt, explices, nulla mutatione egeat.

Ita et Cap. VIII. Sect. 9. M. S. lectionem ſaluam puto. Verba ſic ſe habent: *vbi inceſtae libidinis ebrietatis feruor exarſit*, i. e. *vbi i. l.* ſcilicet *feruor* ex ſeq. id eſt, ſiue quem efficit *ebrietatis feruor*, *exarſit*, ſiue et, vt MINVC. conſueuit, omiſſum eſt.

Cap.

Cap. XI. Sect. 9. WOPKENSIVS putat, pro *in dulcedine carminis* ſcribend. *in dulcedinem*. Falſo. *In d. c.* eſt: *cum dulcia carmina pangerent*, *in dulcibus carminibus*.

Cap. XVI. Sect. 6. vel librarius vocabulorum praecedentium, *procreatos* et *nactos*, ſono deceptus, pro *inſitam* ſcripſit *inſitos*, vel e lectione M. S. eliciendum eſt *inſitam iis*. Hoc primo contracte ſcriptum fuerit, *inſit iis*, quae duo verba deinde abierunt in vnum, *inſitos*. Ceterum Cl. LINDNERI *inſitam habere* nimis a literis recedit, adeoque durum eſt.

Paullo poſt defendendam eſſe ſtatuo particulam *adeo*, pro qua editio Romana habet *at vero*. *Adeo* hic idem eſt, quod in aliis MINVC. locis *ſic*, *ita*. Vide ſupra. LINDNERVS, qui alias tamen cum ſtilo MINVCII familiaritatem ſe contraxiſſe aperte probat, coniicit *addo*.

Cap. XVIII. Sect. 3. in M. S. vocem *Meſopotamiam* ſequitur *pro imbribus penſat*, quod LINDNERO gloſſema, mihi autem cum *ab* HOVEN ſeruandum videtur, ita vt *penſatum* legatur pro contracte *penſat*, vti iam CRVSIVS legi iuſſit; a quo tamen diſſentio *Indis* legente.

Eod. Cap. Sect. 4. *coelum terramque* minime cum LINDNERO ſpuria ſunt habenda, quum MINVCIVM ita verboſe multis in locis loqui, quaeuis fere pagina doceat. Multis in locis dico, quoniam in aliis multis ellipticam rationem ſectatur. Adeo ſcriptori noſtro, et breuis, et copioſa oratio, familiares ſunt.

Ead. Sect. ad vocabul. *legem*, vel ex ſuperioribus oppoſitis *videns*, vel e proximo *perſpicias*, ſupplendum *perſpiciens*. Fortaſſe tamen legendum: *ita quum coelum terramque perſpiciens, prouidentiam* ſc. *videas*. Tunc τῷ *ingreſſus* quoque in antecedentibus aliquid oppoſitum foret.

Cap. XVIIII. Sect. 1. *Audio poetas quoque vnum patrem diuum atque hominum praedicantes*, *et talem eſſe mortalium mentem*, *qualem parens omnium diem duxerit*. Ita

LINDNER. edidit RIGALTIO duce, qui in M. S. legi teſtatur: *diem duxerit.* HERALDVS contra, qui prior M. S. inſpexit, inueniſſe ſe ait: *direxerit.* Inde ſequi videtur, vocem ibi ſcriptam eſſe ambigue. At vero *duxerit* praeferendum pro loco HOMERI, ex quo haec deſumta ſunt, quemque LINDNER. profert. Equidem ſcribendum eſſe arbitror *induxerit,* quum ſyllaba *in* ob vltimam literam vocis *diem* facile excidere potuit, Graecaque ita ſe habent: τοιος γαρ νοος εςιν ἐπιχθονιων ἀνθρωπων, οἱον ΕΠ᾽ ἡμαρ Α ΓΗΙΣΙ πατηρ ἀνδρων τε θεωντε. Abeat igitur *ab* HOVEN cum ſuis *de dio duxerit*, vel *dio deduxerit, vel diuum duxerit:* ambae enim priores coniecturae Graeco non conueniunt, et ad vltimam monendum, *diuum* hic locum non habere poſſe, quum MINVCIVS πατηρ ἀνδρων τε θεωντε per *omnium* expreſſerit.

Eod. Cap. Sect. 5. verba *et* (vel *eo*, vel *ea*) *altior — a dea tradita*, non e margine in textum irrepſere, vt I. FRID. GRONOVIVS opinatur, quum MINVTIVS et poſtea, Anaximenis ſententia de Deo allata, adiiciat quaedam, vt probet, philoſophorum ethnicorum de Deo vno cogitata quodammodo amice conſpirare cum Chriſtianis, adeoque hoc in loco eiusmodi quid de Thaletis opinione dixerit ſit neceſſe.

Sect. 9. cur nominatiuus SPEVSIPPVS, quem M. S. habet, in accuſatiuum mutandus, aeque parum video, ac quare vox *naturalem*, paullo poſt ſequens, eiicienda ſit SPEVSIPPVS — *noſſe,* vt innumeris locis nominatiuus cum infinitiuo, quem dicunt, hiſtorico.

Cap. XX. Sect. 4. tueri ſe poteſt M. S. lectio, ſi *homines* in *omnes* mutetur, quae quidem verba, vt notum eſt, ſaepius a librariis ſunt confuſa.

Sect. 5. in M. S. ineſt: *Similiter, ac vero erga deos quoque — maiores noſtri — crediderunt,* vbi LINDNER. verba transponit, legendo: *S. vero ac.* Quidni autem *vero,* quod

quod per *ſane* explicat LINDNERVS, eundem ſenſum poſt *ac*, adeoque locum ſuum, obtinere poſſit? Attamen rectius forſitan pro *ac vero* legendum *adeo*.

Cap. XXI. Sect. 2. aptius fortaſſe ad contextum, pro *errando* reponendum *arando*. Nulla autem cauſſa ſubeſt idonea, quare vocem paullo poſt ſequentem *frugibus* VRSINVS deleuerit.

Cap. XXIII. Sect. 8. lectio ſalua eſt, neque pro *tormentis* legendum *tornis*, quum illo verbo cuiusuis generis machinae ſignificentur, vt vel lexica docent. Sequitur autem *machinis*, ex ſtili MINVTIANI idiomate, ſecundum quod ſaepius voces et phraſes ſynonymicas coniungit.

Cap. XXXVII. Sect. 7. vnice probo HOVENII emendationem, et facilem, et contextui aptam: *in hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, vt interitum eorum perditae mentes, licentia poteſtatis, libere nundinentur.* Reliquae omnes coniecturae, atque explicationes, durae ſunt atque hiulcae.

PAVLLI DANIEL. LONGOLII DE BOIIS Cornelianis Opinationes.

§. I. Cum in indagandis gentium ſedibus non parum momenti faciat nominis notitia, fuit qui 1) notaret Cluuerium 2) quod *Boiorum* nomen 3) non explicuerit.

§. II. Nomen *Boiorum* origine Germanicum eſſe, veriſimile eſt, quod *boi iuuenem*, *einen Jungen*, maioribus

Bbbb 2 no-

§. I. 1) Wachter in Gl. Germ. Tom. I. v. *Boheim* p. 188. 2) Ant. Germ. Lib. III. Cap. XXX. 3) A quo aliena congeſſit Schminkius, ad Goldaſti Bohemiam Lib. I. Cap. IV. §. 3. p. 42. (ς)

Digitized by Google

noſtris ſignificaſſe, ex Angloſaxonico coniici poteſt, cui hodiernum Germanicum *Bube* vel „*Bueb* reſpondet.“ 1)

§. III. De eo igitur ſollicitis reſponderit quiſpiam: 1) „videri *Boios* denotare *colonos*, quoniam *byan* Angloſaxonibus eſt *colere*, *habitare*, *aedificare*, *poſſidere*.“ Quaenam vero gens id negligat?

§. IV. „*Boii*, vti aliae gentes tantum non omnes, a duce vel rege *Boio* quodam nomen gerunt,“ eſt, 1) qui ſatis audacter ſcribit, cuius tamen documentum plane nullum protulit. Imo ego in omnia alia diſcedo, ipſo eius ſententiae auctore non temere ſtatuente, 2) Boium Alemanni regis Teutiſcorum filium fuiſſe.

§. V. *Boiorum* nominis incunabula quis non ſine ambagibus deprehenderet in Gallofrancorum adhuc ore verſante *bais*, ſi *Boios* pro Gallica gente habeat; ſi pro Germanica, in Teutonum *buſch*, Belgarum *boſch*, Italorum *boſco?* Ea, quae *ſiluam* indicant, 1) tribuit iis auctor antiquiſſimus Poſidonius: 2) ΒΟΙΟΥΣ τον Ερκυνιον δρυμον οικειν προτερον. Num eſt hoc 3) „in re ſeria in incertum ariolari?“ Cur fidem apud intelligentiores non inueniat, 4) qui *Boiorum* adpellationem inde deducit? 5) Ad hanc rationem petunt quidam *Cheruſcos* ab *Harz*, 6) vt *Peucinos* a genere arborum, quod πευκη 7) *Tribocos* a tribus fagis, quae arbores noſtratibus *Buchen*. 8) §. VI.

§. II. 1) Vt Leibnitius, in Praefat. ad Adlzreiteri Annal. Boic. indicauit.

§. III. 1) Wachter l. c.

§. IV. 1) Meier, de Boiorum migrat. p. 3. 2) Cum Auentino, Annal. Boior. Lib. I. Cap. VI. § 25.

§ V. 1) Interprete Wachtero v. *Buſch* p. 233. 2) Apud Strabonem Γεωγραφ. Lib. VII. p. 450. 3) Vt cenſet Adlzreiter in Annal. Boic. Gent. Part. I. Lib. I. Cap. II. 4) Quod fruſtra metuit ſupra nominatus Meier. 5) Quem ad modum Ertelius in Relat. curioſ. Bauar. Relat. I. 6) Ceu monſtraui in Hermundurorum meorum Cap. III. Sect. 1. Int. II. §. 19. 7) Hoc vero agens de Pinifero Cap II. §. 12. 8) Auctore Cluuerio in Germ. Antiq. Lib. II. Cap. XI.

Digitized by Google

§. VI. Longum eſt, nec refert iam mea, *Boiorum* annales 1) et migrationes 2) tradere. Meae partes non deſiderentur in enarrando Cornelio. Illos ſcribit 3) *vlteriora* Boios *tenuiſſe.*

§. VII. Quo referunt ſe haec *vlteriora?* Ad *Heluetios*, quae *citeriora tenuere.* 1) Vtrumque tradit, qui Romae, non in Gallia Belgica, vt quidam ſibi perſuaderi ſunt paſſi, vitam degebat ſuam.

§. VIII. Iam progredere Roma per Galliam Ciſalpinam ad *Heluetios*, 1) vltra quos *Boios* Cornelianos quaeras. Horum „eos, qui trans Rhenum incoluerant, et in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnauerant, receptos ad ſe ſocios ſibi adſciſcunt" Heluetii e finibus ſuis exituri tum, cum Iulius Caeſar 2) in Gallia tranſalpina bellum gereret. Iuuat quam maxime „aduertere animum „3) ad locum, vbi Caeſar commentariorum illorum de Bel„lo Gallico primos, ſcilicet in itinere per Alpes ex citerio-

§. VI. 1) Quales compoſuere *Auentinus*, *Adlzreiter*, *Brunner*, alii, quorum mentionem facit Leibnitius in Praefat. ad Adlzreiterum. Exſtant *Velſeri* Rerum Boicarum libri quinque. Illis vero cunctis palmam praeripiet Academia Scientiarum Electoralis Bauarica, ſi eo ardore, quo adhuc, pergat condere atque eruere Monimenta Boica, quorum Volumina XII. prodiere, et Obſeruationes, quarum X. Volumina varii generis. Ceterum nolo latere, eſſe apud me *Wigulei Hundii* Bayriſch Stammenbuch a diligente manu egregie auctum et continuatum. Huic iungas Oefelii Rerum Boicarum Scriptores, duobus Tomis anno 1763. editos. 2) Quarum potiores inueſtigarunt Meier de Boiorum Migrationibus, Goetting. 1710. et Schoepflin in Vindiciis Celticis § 51 52. et 55. Sed tamen aliquatenus et Cellarius Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. II. §. 87. Cap. VII. §. 18. 40. Cap. VIII. § 68. Iunker in Geogr. Med. Aeui Part. II. Cap. I. p. 82. ſeqq. Spener Not Vet. Germ. Lib. V. Cap. VI. §. 13. ſeq. 3) German. Cap. XXVIII, 2.

§. VII. 1) Ibidem.

§. VIII. 1) Quorum fines peculiari diſſertatione deſcripſi. 2) Ipſo teſte de Bell. Gall. Lib. I. Cap. V. extr. 3) Praeeunte

„re Gallia, conuentibus peractis, ad exercitum cum rediret. „4) Ergo trans Rhenum eae potiſſimum terrae erant, quas „Rhenus interſecat. Perpendenda ſunt ſingula verba dili„genter. Dicit Caeſar, *Boios* trans Rhenum ſedes habu„iſſe, non trans Danubium; deinde eosdem *Boios* ab Hel„uetiis ad ſe receptos et pro ſociis adiunctos eſſe. Si re„cepti ſunt ab Heluetiis, eis antea coniunctiſſimos fuiſſe „oportet.

§. IX. Non me fugit, Caeſarem 1) „conceſſiſſe, *Bo„ios* petentibus Aeduis, quod egregia virtute erant cogniti, „in finibus ſuis collocarent, quibus illi agros dederunt, „quosque poſt ea in parem 2) iuris libertatisque conditio„nem, atque ipſi erant, receperunt.“ Inde factum, vt Lugdunenſem Galliam incolerent. 3) Hodie dicitur le Bourbonnois. 4) Eorum oppidum erat Gergouia, 5) in cuius nomine tamen libri 6) diſſident, 7) atque etiam Gorgobia ſcribitur. 8)

§. X. Manetne autem ibi nomen, vt verbis vtar Taciti, 1) *Boihemi*, 2) *Boiihemi*, 3) *Boiemi?* His proxime accedit *Boiohemum*. 5) Nec diuerteret multum Βουίαιμον, 6)

Schwarzio Diſp. de Noua deſignatione veteris Heluetiae finibus p. 13 ſeq. 4) Vt teſtatur Suetonius in Caeſ. Cap. LVI.

§ IX. 1) Ipſo teſte de Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXVIII. extr. 2) Ni ex plurimis Mſcptis, quorum excerpta in penu meo, malis *partem*. 3) Ex indicio Plinii Hiſt. Nat. Lib. IV. Cap. XVIII. 4) Schoepflino Vindic. Celt. §. 55. cui praeiuit Cellarius Not. Orb. Ant. Lib. II. Cap. II. §. 87. Iunkero in Introd. in Geogr. Med. Aeu. Part. II. Cap. I. p. 83. ſuffragante. 5) Apud Caeſarem de Bell. Gall. Lib. VII. Cap. IX. extr. 6) Quos excerpſi, vt n. 2. indicaui. 7) Quod diſſidium non diſſimulat Voſſius ad Caeſarem l. c. 8) Iulio Celſo Comm. de Vit. Iul. Caeſaris p. 121. Graeuiano p. 57.

§. X. 1) German. Cap. XXVIII, 4. 2) Quae eſt ſcriptura mei codicis, vt in Erneſtianis Kappii. Ita et in margine editionis Frobenianae. 3) Ea vero Hummeliani. 4) Haec tamen typis exſcriptorum ad vnum omnium, a nobis pariter ac a Cel. Erneſti perluſtratorum. 5) Velleji Paterculi Hiſt. Rom. Lib. II.

Digitized by Google

6) magis autem Βουιχιβον 7) atque Βουιασμον. 8) Hinc 9) *μεγα ἐθνος ἐν Βαιμοι.* Illa Cornelii verba in ſcriptura Bambergenſi: *manet adhuc* Boiis *e munere, nomen* indicare videntur: 10) *Manet adhuc* Boiiasmi *e re nomen,* vel *Boyasmum e re,* imo vt et poſſis *Boyaimum* ſcribere, quaſi *Boiorum domum..* Melius dixiſſet 11) *Boiorum patriam* atque *natale ſolum,* quod vernaculum *heim* ſignificat. 12) „Latere aliud videtur 13) in ſcriptura Bambergenſi: *Manet adhuc Boiis e munere nomen.* Scribit is: *Manet adhuc Boiiasmi e re nomen,* vel *Boiasmum e re,* vel *Boyaimum.*" 14)

§. XI. Vbi vero illud? Eruamus id ex bello cum Maroboduo geſto. De hoc Velleius: 1) „Sentio Saturnino „mandatum, vt per Chattos, exciſis continentibus Hercy„niae ſiluis, legiones *Boiohemum,* (id regioni, quam inco„lebat Maroboduus, nomen eſt,) ipſe a Carnunto, qui lo„cus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, „qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos or„ſus eſt."

§. XII. Ea ſi cum Cornelianis noſtris contendam, vereor, ne alter eorum in deſignando *Boiohemo* errauerit, aut duplex fuerit, aliud Velleianum, aliud Cornelianum. Quo pacto enim *Boii,* Heluetiorum vicini, ſimul tenerent regio-

Cap. CVIIII, 5. 6) Strabonis Γεωγραφ. Lib VII. p. 445. vett. librorum ex indicio Caſauboni, qui eam lectionem veriorem habet. 7) Eiusdem Geographi manuſcriptorum. 8) Eiusdem in illius textu. 9) Ptolemaei Γεωγραφ. Υφηγησ. Lib. II. Cap. XI. 10) Lipſio ad ſuum Tacitum. 11) Cluuerio Lib. III. Cap. XXX. Germ. Antiq. proponente, imo, quotquot iſta Corneliana illuſtrauere, Althamero, Kirchmaiero, Vettero. 12) Vt docuere Eccard ad Leg. Franc. p. 6. Wachter Gl. Germ. Tom. I. v. *Heim* p. 692. Friſch in Lex. Germ. Latin. h. v. p. 436. Haltaus in Gl. Germ. Med. Aeui Tom. I. h. v. p. 856. et iam ante Beatus Rhenanus, Althamer, Kirchmaier, Vetter ad Taciti German. Cap. XXVIII, 4. 13) Lipſio ad Taciti German. Cap. XXVIII, 4. 14) Iſti coniecturae addit Conringius: „forte: *Boiemi e re nomen.* Eſt tamen vulgata lectio ſic ſatis tolerabilis."

§. XI. 1) Hiſt. Rom. Lib. II. Cap. CIX, 7.

gionem, quam incolebat Maroboduus, cui nullus 1) non *Bohemiam*, vt iam adpellatur, tribuit?

§. XIII. Illi *Boii*, qui vltra Heluetios agebant, mihi videntur magis atque magis ſe Pannoniam verſus vertiſſe. Qua via 1) enim *Arauiſci* in *Pannoniam* „a *Bois* Germano„rum natione, aut *Boii* ab *Arauiſcis* in *Germaniam* commi„grauerint, Tacitum 2) incertum reddidit, cum eodem „adhuc ſermone, inſtitutis, moribus vtantur.“

§. XIV. Noui quidem, ad confluentes Oeni et Danubii in Norico Boio*durum*, 1) Boio*dorum*, 2) paullulum corruptius Baio*durum*, 3) forte Baio*ariam* in mente habentis, vel oſcitantis *l* cum *i* permutato Bolo*durum*, 4) Bolo*dorum*, 5) *Bolo**derum*, 6) vel *i* negligentis Boeo*durum*, 7) ſiue

§. XII. 1) Cluuerius in Ant. German. Lib. III. Cap. XXX. Albinus Chron. Terr. Miſn. p. 431. Pregizer de Regn. Gent. in Europa Princ. ex Sueuis § 26. in Wegelini Theſ. Rer. Sueu. Vol. I. p. 143. Cellarius in Not. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. V. §. 75. Iunkerus in Introd. ad Geogr. Med. Aeu. Part. II. Cap. I. p. 83. et 103. Speneius in Notit. German. Antiq. Lib. V. Cap. VI. p. 133. ſeqq. Goldaſtus de Bohemia Lib I. Cap. IV. §. 3. et quos ibi Schminkius in (*a*) nominauit, item Erber in Notit. Bohem. Part. II. Cap. I. p. 41. ſeq. Koeler de Maroboduo §. 3.

§. XIII. 1) Qua exhibent mappae Claudianae Argentinae induſtria Ioannis Schotti 1513. preſſae, vt et Traiecti ad Rhenum et Franequerae 1698. inciſae, Europae Tab. V. *Bii*, vt ego arbitror, pro *Boii*. 2) German. Cap. XXVIII, 5. at reſtituimus, cuius rationem reddidimus ibi.

§. XIV. 1) Ptolemaei Γεωγραφ. Ὑφηγησ. Lib. II. Cap. XIV. in Scholiis in Vit. S. Seuerini caſtigati, vt videre eſt in Velſeri Opp. p. 671. 2) Antoniniani Itinerarii a Weſſelingio denuo editi p. 249. et Notitiae Dignitat. Imper. Occident. Ducis Pannoniae in Graeuiano Theſ. Antiq. Rom Vol. VII. p. 1972. cum Panciroli Obſeruatione ib. p. 1976. 3) Auentini Annal. Boior. Lib. II. Cap. V. n. 22. Ptolemaeum ſequentis, vt ſibi videtur. 4) Tabulae Theodoſianae ſiue Peutingerianae, obſeruante Berti, ad illam Velſeri Operibus ſubiuncto p. 782. 5) Quarumdam membranarum Itinerarii n. 2. nominati, inſpectarum a Simlero et Surita. 6) Alius ibidem, quod et in Scholiis ad S. Seuerini Vitam in Velſerianis p. 671. fuit animaduerſum, vt et a

Digitized by Google

ſiue Bocodurum, 8) contractius Boiotrum, 9) imo Boitrum. 10) Iam cum poſterior huius adpellationis, ex quibus componitur, pars *tranſitum per flumen* ſignificat: 11) non poteſt non noſtratium *Paſſauii* Aeno, qui vulgo *Inn* adpellatur. adpoſita pars *Inſtad* inſignire. 12) An vero *Boii* tum, cum Heluetii eos ſibi adſciſcerent, 13) an reduces facti illud tranſierint, non dum liquet, 14) atque cum maxime effecerint την Βοιων ερημιαν μεχρι Παννονιων, 15) id eſt, *deſerta Boiorum.* 16)

§. XV. Si ad mentem Cornelii *Boios* Heluetiis propiores velis, eorum veſtigia adparuerint ad flumen, quod ex lacu Chiemenſi exit, 1) in Bidaio, 2) ſiue Bedaio, 3) *Bidatio*, 4) Bedaio, 5) *Badaio*, 6) item Βαδαιον. 7) Sane 8) *Bii* hic locorum conſpiciuntur, qui ſine dubio *Boii.* Id autem ſupereſſe voluerunt in Dietmaning, 9) vel Burkhauſen, 10) imo potius in Baemburg 11) ſiue Baumburg ad confluentes Alazae et Kraunae. Num perperam opiner,

Pancirolo paullo ante excito, quibus apdas Ereinshemium ad Flori Epitomen Rer. Rom. Lib. III. Cap. III, 18. 7) Quo vtuntur Ptolomaei Βοιοδουρον interpretantes, ſed inepte, vt pronunciauit Meier de Boior. Migrat. p. 27. 8) Quod a Birkeimero in Loc. per German. Explic. in Schardio de Reb. German. Tom. I. p. 208. ſiue Schardio rediuiuo Tom. I. p. 82. 9) Suritae et Lazii in Scholiis illis Velſerianis p 671. vnde Weſſeling l. c. 10) Vitae S. Seuerini Cap. XXII. pr. et illis ipſis Scholiis p. 671. non ignorante Weſſelingio. 11) Cui demonſtrando omnem moui lapidem in meis Hermunduris Cap. II. Sect. II. 12) Tantum non omnes agnouerunt, ex quibus ſaltem eos nominauerim, qui memoria mea ſponte ſuccurrunt, Birkeimer l. c. Cluuerius de Norico Cap. V. Weſſeling l. c. 13) Vt Cluuerius Norico Cap. V. putat iam ex Meieri antea nominati indicio. 14) Quam litem haud diremit Meier. 15) Strabonis Lib. VII. p. 449. 16) Plinii Hiſt. Nat. Lib. III. Cap, XXIV. al. XXVII.

§. XV. 1) Cellario in Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. VII. §. 44 delineante. 2) Vti potior librorum pars Antonini Itiner. Weſſelingio editore p 236. 257. 258. 3) In lapide CXLIIX. Claſſ. I. Reineſii Inſcript. Antiq. ad quem p. 174. multa, item in Tabula Peutingeriana III. a Scheibio procurata. 4) Quoddam exemplar habebat a Surita inſpectum. 5) Vt aliud ab eodem et Tabula Peutingeriana a Velſero publici iuris facta p. 738. 6) Vt hoc a Simlero. 7) Ptolemaei Γεωγραφ. Υφηγ. Lib. II. Cap. XIV. 8) Ceu iam n. I. ad §. XIII. obſeruaui. 9) Ex Suritae indicio. 10) Ex eiusdem. 11) Quae illum locum occupauit ita conſentibus Cluuerio in Norico Cap. V. et Reineſio l.

coaluiſſe illas loci adpellationes ex iſto iam in ſcenam producto *Bii* pro *Boii* et, quod tam multis nominibus accreuit, *au* ſiue *ach, a*, quae inſigniunt regionem, *quae adluitur fluuiis.* 12) Fuiſſe autem ſitum ad fluuium, iam demonſtratum fuit.

§. XVI. Quae cum ita ſint, quae mora, quin vel vt poſtliminio redeant *Boii*, quos exhibent expreſſis ſingulis literis et, vt par eſt, cum meus tum Hummelianus codex? In his Cornelii mei 1) verba ita fluunt: „Sed vtrum Arauiſci in Pannoniam a *Boiis* Germanorum natione, an *Boii* „ab Arauiſcis in Germaniam commigrauerint, cum eodem „ſermone, inſtitutis, moribus vtantur, incertum eſt, quia „pari olim inopia ac libertate eadem vtriusque ripae bona „malaque erant.“ Illos *Boios* typi ad vnum omnes cum *Oſis* commutarunt, atque auctori ſuo maculam contraxere non leuem. Scribit enim is alio loco: 2) „*Oſos* Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos.“ Haec cum iſtis conciliare exiſtimat, qui tamen ipſe faſſus erat, 3) eſſe „manifeſtam contradictionem, 4) niſi forte reſpectu domicilii h. l. Germani vocentur, qui reſpectu originis Pannonii erant.“ Hac excuſatione, quae re vera nulla eſt, iam ſuperſedemus. Priſci voces non ſeparantes ſcripſerant ABOIIS. Sciolus oſcitans ſecernebat AB. Et remanebat OIIS. Forte illi iam nominati *Oſi* in mentem veniebant. Iam iidem huc trahebantur nulla vtriusque gentis habita ratione. Quod ſi vero A BOIIS a ſe in vicem auellas, nemo te accuſabit temeritatis, cuius ſe reos reddunt, qui vim 5) inferunt auctoribus. Sed de hoc pluribus egi in Tacitum de Situ, Moribus et Populis Germaniae, quem paro.

CHRISTIANI DAVID IANI, *Gymn. Islebienſis Rectoris*, *de Alcaeo Poeta Lyrico eiusque fragmentis commentatio.*

De Alcaeo, poëta lyrico, eiusque fragmentis vt inſtituerem ſcribere, facile induxit me, quem in manibus habeo,

c. adprobante Weſſelingio. 12) Quod pridem docuere linguae noſtrae peritiſſimi in ſcenam producti in meis Hermunduris Cap. III. Sect. II. Int. I. Part. I. §. 5. n. 27. quibus comitem dederis *Wachterum* Gl. Germ. Tom. I. p. 9. ſeqq.

§. XVI. 1) German. Cap. XXVIII, 5. 2) Nempe German. Cap. XLIII, 3. 3) Dithmar ad priorem locum Cap. XXVIII, 5. 4) De qua iam queſti erant, qui Tacitum illuſtrabant, Althamer, Kirchmaier, Vetter. 5) De qua queritur criticorum modeſtiſſimus et ſagaciſſimus *Perizonius* in Animadu. Hiſtor. Cap. X. p. 429. ſeqq. ed. Harles.

Digitized by Google

beô, admirator illius atque imitator, Horatius. In quo illuſtrando dum operam poſui, ſaepenumero ſubiit aliquis animum dolor, quod praeter pauca atque exigua fragmenta, nihil ad nos ex diuini iſtius poëtae operibus perueniſſet. Cum enim intelligerem, nos iis vniuerſis eo carere aegrius, quo excellentius in ipſis eorum reliquiis ingenium, quo et acrior et grandior ſpiritus cerneretur; tum ſentiebam inprimis, ſi integra haberemus, e quibus hae particulae eſſent ſeruatae, carmina, quantum illa eſſent luminis allatura odis Horatii, qui in hoc genere totum ſe ad Lesbii vatis exemplar compoſuiſſet, eique ſeſe ſtuduiſſet eſſe quam ſimillimum. Quod quidem et ipſe plurimis locis declarat ac profitetur, magnificisque ſubinde Alcaeum ſuum verbis extollit, et comparando intelligitur, vel paucorum illorum, quae ex Alcaei operibus ſuperſunt, fragmentorum plurima aperte a Venuſino poëta imitando eſſe expreſſa. Sic equidem, per Horatium cum Alcaeo etiam contracta, vt ſic dicam, familiaritate, ita ſuſpicere hominem atque adamare coepi, vt tam, quae ad illius vitam, mores, ingenium, opera denique cognoſcenda pertinerent, ex antiquis denuo ſcriptoribus repetita colligere, quam carminum eius fragmenta nouis aliquando curis caſtigare atque illuſtrare ſtatuerem. Quamquam enim illa iam pridem ſunt a viris doctis ex Athenaeo, Heraclide Pont co, Stobaeo, aliisque excerpta: tamen eadem ita corrupta adhuc et mendoſa apparent, ita fere vel (cur enim eloqui dubitem?) inſcite ab his, qui edidere, tractata ſunt, vt operae ſit, ſtudii aliquid et ingenii ad ea emendanda et conſtituenda conferre. Itaque eius talis exercitationis leue aliquod ſpecimen (nam nihil videri aliud has pagellas cupimus) aequo et erudito lectori tradere viſum eſt.

Alcaeo patria fuit Mitylene, *a*) nobiliſſima Lesbi inſulae ciuitas, eademque litterarum fama clariſſima. *b*) Olympiade illum XLIV. floruiſſe, in chronico Euſebiano memo-

a) μεγίστην πόλιν vocat Strabo XIII. p. 617. *pulchram* Horat. Epiſt. I. 11. 17. Hinc Alcaeum Athenaeus deipnoſ. I. 19. πολι-τᾶν Μιτυληναίων, Sappho ap. Demetr. Phaler. (v. H. Steph. fragmm. lyrr. T. II. p. 38) ἀοιδὸν τὸν Λέσβιον, *Lesbium* ciuem Horatius cam I. 32. 5 dixere.

b) Multos ea in ſula viros praeclaros protulit, vt, praeter Alcaeum quidem, Pittacum, qui numeratur in ſeptem, Diophanem rhetorem, Lesbonactem philoſophum, Theophanem hiſtoricum, alios. Cf. Strab. l. l.

riae traditum eſt. Aequalis fuit Sapphus, quam etiam ipſam Mitylenaeam fuiſſe, atque ab Alcaeo amatam, *c*) conſtat.

Erat Mitylenarum reſpublica, more plurimarum Graeciae ciuitatum, ita conſtituta, vt libertate vteretur, ac tyrannidem, ſiue perpetuam, quae penes vnum eſſet, dominationem, repudiaret. Excitabat illa Graecorum libertas atque alebat magna ingenia, quae ſi ad poëſin facta eſſent, nullis conſtricta vinculis, ad ſummam eius artis virtutem igneo ferrentur impetu, immenſaque enthuſiaſmi vi (nam eſt libertas ſuapte natura ferocior) ad inſignem illam et ſenſuum et verborum ſublimitatem eniterentur, quam Romanorum aureae aetatis poëtae, cultiores illi quidem, verum moderatiores etiam, vt in oppreſſa libertate, aſſequi non potuerunt. Verum graecis ingeniis eadem illa libertas tribuit quoque audaciorem quamdam atque effrenatiorem cum morum, tum ſenſuum orationisque licentiam, vt in illorum fere carminibus impolitior quaedam ſimplicitas, aſperiorque ac rudior virtus ineſſet.

Alcaei ingenium, excellentiſſimum natura atque acerrimum, praeter communia iſta, alia quoque, quibus inflamamaretur, incitamenta habuit. Saeuam enim is a puero militiam, non ſolas litteras, ſecutus, tantam ſibi ex rebus bellicis fortitudinis gloriam comparauit, vt etiam inter claros Lesbiorum duces referretur *d*). Non dubito, quin bello, inter Lesbios et Athenienſes ob Sigeum occupatum geſto, ſi non praefuerit, certe praetor, id eſt, cum militari imperio, interfuerit exercitui ſuorum ciuium *e*). Quo in bello quanti huius virtus ab hoſtibus fieret, cognitum eſt proelio, quo ab Atheniesibus Lesbii ſuperati ſunt. Cum enim fortiſſime pugnaſſet, ſed cedere tandem fortunae coactus, vix, armis abiectis, ſeruaſſet vitam; arma illius capta in Mineruae ad Sigeum templo Athenienſes ſuſpenderunt: tantae ſibi duxerunt eam praedam gloriae *f*).

Incidit huius tanti viri aetas in ea tempora, quibus erat Mi-

c) Notum eſt Alcaei ad illam carmen Θέλω τί τ' εἰπῆν cet.

d) Igitur *ferox bello* ab Horatio, carm. I. 32. 6. *vir fortis* a Cicerone, Tuſcul. IV. 33. dicitur.

e) Terra ſcilicet; mari enim Pittacus ſummam imperii eo in bello tenebat.

f) Narrant rem Strabo XIII. p. 600. Herodot. V. 92. et Herodoti cenſor, Plutarch. περὶ Ἡροδότου κακοηθείας. Verſus Alcaei ſuper eo caſu referunt Strabo et Herod. ll. ll. Ceterum quomo-

Digitized by Google

Mitylenarum reſpublica, quod pluribus Graeciae ciuitatibus liberis accidiſſe videmus, domeſticis odiis ac diſſidiis perturbata. Vnde cum factiones atque inteſtina bella exarſiſſent, non defuerunt, qui tyrannidis cupiditate inducti, rerum potiundi opportunitatem amplecterentur. Quare multi ea tempeſtate Mitylenen tyranni tenuerunt, ex quibus memorantur Myrſilus, Megalagyrus, Cleanactidae, poſtremo Pittacus *g*); quos infeſtis et armis et carminibus *h*) acerrime Alcaeus, nouis rebus inimiciſſimus, inſectatus eſt. In quo fuere qui ſuſpicarentur, neque ipſum Alcaeum a rerum nouandarum ſtudio immunem fuiſſe *i*). Verum enimuero impotentem, qua Alcaeus flagraret, caritatem patriae, libertatisque ſeruandae cupiditatem, falſo, vt fit, crimine obterere voluiſſe inuidia mihi quidem videtur. Varia autem ille aduerſus tyrannos fortuna vſus, nunc hos, vt vrbe excederent, compulit, nunc ipſe ab iis eiectus eſt *l*). At eorum nullum magis implacabili odio perſecutus eſt, quam poſtremum, Pittacum. Cuius rei hic ipſe culpam ſuſtinuit. Cum enim, vt eſt ab Ariſtotele *m*) memoriae proditum, Alcaeus, cum fratre Antimenide, exercitui Lesbiorum dux praeeſſet, eumque nonnulli, odio haud dubie commoti, retuliſſent ſeſe elatius gerere, maioresque appetere res; en! ſubito, re incognita, auctore inprimis Pittaco, imperio ſe abdicare iubetur, ſummaque rerum eidem Pittaco traditur. Quam rem iniquo animo ferens Alcaeus, cum praeterea audiſſet, tyrannidem a ciuibus oblatam Pittacum eſſe adeptum, non dubitauit, quin ab iſto, ciuitatis opprimendae

do Horatius in hoc ipſo etiam ſimilem ſe eſſe Alcaeo voluerit, v. carm. II. 7. 10. et ibi not.

g) v. Strab. XIII. p. 617. Pittacus quidem ferebatur accepiſſe tyrannidem, quo a ceteris tyrannis liberaret rempubl. Certe poſtremo, pacatis rebus, ipſe ſe abdicauit imperio, libertatemque patriae reddidit.

i) Sic Strabo l. l. et ex eo Bailius in dictionn. hiſt. v. Alcée.

h) Carmina illa quae de bellis ciuilibus et in tyrannos fecit, διχοστασιαστικὰ dicta ſunt. Horatius carm. II. 13. 31 *pugnas et exactos tyrannos*, IV. 9. 7. *minaces Alcaei Camenas* vocat. In horum carminum multis allegoriam regnaſſe conſtat, cum non liceret ſemper aperte in tyrannos inuehi. Cf. Argum. carm. I. 14. Horatii.

l) Aliquando in Aegyptum adeo profugere coactum eſſe, conſtat e Strab. I. p. 37. vbi v. Xyland. Cf. Horat. carm. II. 13. 28. *dura nauis, dura fugae mala.*

m) de Republ. III. 10.

cupido, ita eſſent omnia ſapienter inſtituta atque machinata, vt, quoscumque ſuis aduerſari intelligeret conſiliis, e ciuitate tollerentur. Quare grauiſſimo in illum odio accenſus, non ſolum acerbiſſimis eum maledictis et conuiciis lacerauit *u*), et perpetuas cum eo geſſit inimicitias, ſed armis etiam inſtituit illatam ſibi et patriae vindicare iniuriam. At praeter opinionem hoſtis iudicatur, et in exilium eiicitur cum multis aliis. Proin dux proſcriptorum factus, bellum ingratae patriae intulit *o*). Contra eum miſſus a Lesbiis Pittacus, male rem geſſit, et pulſus aliquamdiu patria caruit. Mox reuerſus, Alcaeum victum cepit; ſed praeter exſpectationem, leniter admonitum dimiſit *p*). Qua ſola victoriae moderatione (niſi forte callida odii diſſimulatio et gloriolae philoſophicae aucupium fuit,) vt ſeptem ſapientium haberetur numero, multis videtur promeruiſſe.

De exitu Alcaei nihil conſtat. Epigramma enim de turpi Alcaei ſupplicio, quod laudat Voſſius ad Catull. p. 42. non ad noſtrum Alcaeum, ſed ad alium pertinere, idem iam Voſſius docuit.

Denique de duobus inprimis vitiis, quae obiici Alcaeo ſolent, dicendum videtur. Primum crimini datur vinolentia atque ebrioſitas; quod non ſolum Athenaeus *q*), eum ebrium feciſſe carmina ſua, et *κατὰ πᾶσαν ὥραν καὶ κατὰ πᾶσαν περίστασιν πίνοντα εὑρίσκεσθαι*, narret, ſed ipſorum etiam eius fragmentorum multa ad vinum et compotationem pertineant. Hoc vltimum quidem parum graeue videbitur his, morem qui norint poëtarum, quo ſolet ſaepenumero colori poëtico aut luſui veritas cedere. Potuit vel ipſum Athenaei iudicium ex male intellectis eius generis carminibus proficiſci. Verum nolumus nos ab Alcaeo crimen, quo accuſatur, ſic prorſus vniuerſum repellere. Facile poterat, in illa morum et ſimplicitate et licentia, inprimis qui variis iactatus caſibus, vel vino curas pellere, vel iucude eſſe cum amicis ſubinde cuperet, vt potui indulgeret, perduci. Deinde

n) Veluti, appellauit eum *σαράποδα, φύσκωνα, γάστρωνα*. Cf. Diogen. Laërt vit. Pittac. Vix modum ſeruat generoſior, idemque ferocior animus, cum ſibi iniuriam fieri putat. Accedebat aſperior illorum temporum ſimplicitas.

o) Dionyſ. Halicarn. antt. rom. V. 82.

p) v. Valer. Max. IV. 1. ext. 6. et Diog. Laërt. l. l.

q) deipnoſ. X. 7. et 8. Item ſaepius vocat *φιλοπότην, φίλοινον*.

Digitized by Google

inde, quod alterum infertur Alcaeo crimen, pueros illum amaſſe, Ciceronis *r*) id quidem et Horatii *s*) auctoritate confirmatur. Sed quid tandem cogit nos de turpi ac Venereo amore cogitare? inprimis, cum de vniuerſo puerorum apud Graecos amore tam praeclare ſentire nos doceat Potterus Archaeol. gr. lib. IV. c. IX.

De vita, varia fortuna et moribus Alcaei ſatis dictum *u*). Quibus omnibus quomodo formari fingique ipſius ingenium oportuerit, monere vix opus eſt. Neque enim iam obſcurum eſſe cuiquam poteſt, vnde vel ortum, vel vitam ac nutrimentum duxerit excelſa iſta grauitas, dignitas, maieſtas, igneum illud ac feruidum pathos, ferox ille et generoſus enthuſiasmi nifus, quas virtutes carminibus Alcaei lyricis tribui videmus ab his, quibus habere illa et legere contigiſſet. Audiamus Dionyſium Halicarn. antt. rom. V. 82. et grandes illas virtutes lyricas, et alias, quae proprie ſunt ingenio, dotes, de Alcaeo praedicantem. Ἀλκαίυ, inquit, σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς, καὶ βραχὺ, καὶ ἡδὺ, μετὰ δεινότητος, ἔτι δὲ καὶ τὺς σχηματισμὺς, μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ τι κεκάκωται καὶ πρὸ ἁπάντων τὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἦθος. *Alcaei vero contemplare quaeſo ingentem ſpiritum, breuitatem, dulcedinem, grauitatem; item orationem figuratam* (tropis figuriſque ſplendidam,) *denique perſpicuitatem, niſi quod haec ex dialecto* (ex idiomate Lesbio) *interdum detrimentum capit:* ANTE OMNIA *vero animum aduerte ad affectum, quo calent, quae ad rempublicam ſpectant poëmata.* Hoc vltimum eo pertinet, quod, cum Alcaeus plurima *x*) ſcripſiſſet carmina, tum principatum inter ea tenerent grauia illa in tyrannos, et de ſuis caſibus, ab eo confecta; quorum etiam cauſſa *aureum* ei *plectrum* tribuit Horatius *y*). Sed de vino quoque et amore verſus compoſuit, idque in medio bellorum ſtrepitu *z*); quo et ſummum ingenium, et inuicta conſtantia proditur. De vtroque genere Quinctilianus Inſtitutt. orat. XI. 1. vbi graecos poëtas percenſet, *Alcaeus*, inquit, *in parte operis aureo plectro merito donatur*;

r) de N. D. I. 27. s) Carm. I. 32. 11.

v) Plures, praeter noſtrum, Alcaei poëſeos olim laude inclaruerunt; de quibus nunc plura non vacat ſcribere. Vid. Bail. l. l.

x) Athenaeus XI. 8. *decimum* odarum librum commemorat.

y) Carm. II. 13. 26. vbi v. not.

z) v. Horat. carm. I. 32. 6. ſqq. ibique not.

tur, qua tyrannos inſectatur: multum etiam moribus confert. In eloquendo quoque breuis et magnificus, et diligens plerumque. Homero ſimilis: ſed in luſus et amores deſcendit: maioribus tamen aptior. Iam quis non doleat, haec talia tam primarii poëtae lyrici *aa*) carmina, praeter pauculas reliquias, quae in aliis reperiuntur ſcriptoribus, omnia periiſſe? quis non ſummo illorum deſiderio afficiatur? Nos vero iam ad Alcaei fragmenta *bb*) illuſtranda accedamus, primum illa, quae in Athenaei δειπνοσοφισαῖς leguntur, recenſuri.

I.

Νῦν χρὴ μεθύσκειν, καὶ χθόνα πρὸς βίαν
Παίειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μυρσίλος.


Seruauit hoc fragmentum Athen. X. 8. Eſt magnificum principium carminis in mortem Myrſili tyranni. Magna cum vi erumpit ſtatim enthuſiasmus gaudii. *Nunc oportet inebriari, et tellurem vi pulſare* (ſaltare): *nam mortuus eſt Myrſilus.* Imitatus eſt hoc principium, forte et reliqua, quae periere, Horatius carm. I. 37. pr. — μεθύσκειν) fortius haud dubie et acrius, quam Horatii *bibere.* — χθόνα) Editiones Athenaei exhibent τινά, et mox πονεῖν, pro quo poſuerunt viri docti πίνειν. Aliquanto melius hoc quidem, ſed poſt μεθύσκειν languidum ſane πίνειν, etiam πρὸς βίαν πίνειν, illudque, πρός τινα βίαν, prorſus frigidum. Praeclare emendat vir doctus ap. Aemilium Portum ad fragm. lyr. Commelin. p. 181. χθόνα et mox παίειν. Vnice vera haec lectio; nam ſic legiſſe Horatium, manifeſtum: apud quem quidem *pede libero*, venuſtius, contra apud Alcaeum πρὸς βίαν acrius eſt.

aa) Primum eum fuiſſe μελοποιόν, ſ. poëtam lyricum, perperam ex Horat. I. 32. 5. nonnulli collegerunt. v. ibi not.

bb) Adpono, tironum gratia, indices librorum, quibus Alcaei fragmenta collecta continentur. Carminum poëtarum nouem, lyricae poëſeos principum, fragmenta — graece et lat. Antwerp. 1567. 12. — Eadem, Heidelb. ap. Commelin. 1598. 8. — Poëtae graeci veteres, tragici, comici, lyrici — Tomi II. Colon. Allobr. 1614. Fol. Alcaei fragmenta in altero tomo ſunt. — Pindari Olympia cet. — Ceterorum octo lyricorum carmina, gr. et lat. cura H. Stephani. Pariſ. 1560. 12. et ſaepius. — Carmina nouem illuſtrium feminarum — et lyricorum — ex bibliotheca Fuluii Vrſini. Antwerp. 1568. 8.

Digitized by Google

TAB. III. ad Nov. Act. Erud. A. 1776. Menſ. Jun.



Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici, et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Fiſcheri (*Ioh. Frid.*) *Proluſiones quinque, ad varios locos vtriusque Teſtamenti.* 131

Milleri (*D. Ioh. Petri*) *Introductio plena in Theologiam moralem cet.* 193

Opuſcula Societatis, *cui Teſſera: Tendimus ad Idem.* 368

de Porta (*Petr. Dom. Roſ.*) *Hiſtoria Reformationis Eccleſiarum Rhaeticarum,* Tom. I. 35

Reiske (*Ioh. Iac.*) *Coniecturae in Iobum et Prouerbia Salomonis, cum eiusdem Oratione de ſtudio Arabicae linguae.* 155

Schier (*P. Xyſti*) *Buda Sacra ſub priſcis Regibus. Opus poſthumum.* 82

II. *Libri Juridici.*

Heineccii (*Io. Gottl.*) *Antiquitates Germanicae Iurisprudentiam illuſtrantes*, Tom. I. 228

Rauttenſtrauch (*P. Steph.*) *Inſtitutiones Iuris Eccleſiaſtici Germaniae adcommodatae*, Tom. I. 394

(Steckii) Verſuche über einige erhebliche Gegenſtände, welche auf den Dienſt des Staats Einfluſs haben: ſiue: *Commentarii de variis rebus grauioris momenti, quarum vſus eſt in republica adminiſtranda.* 250

Euſebii Verini *Commentatio iuridica critica, de hereditario iure domus Auſtriacae in Regnum Hungariae etc.* 171

Weſtphal (*Ern. Chriſt.*) *Interpretationes iuris ciuilis de libertate et ſeruitutibus praediorum.* 276

III. *Libri Medici et Phyſici.*

Leske (*Nath. God.*) von dem Drehen der Schaafe, und dem Blaſenbandwurme im Gehirne derſelben, als der Urſache dieſer Krankheit etc. i. e. *de Vertigine ouium atque taenia hydatigena in cerebro earum, vt cauſſa morbi.* 272

Index Linneanus in Leonardi Plukenetii *Opera botanica, auctore* Paul. Diet. Gieſeke. 267

IV. *Libri Mathematici.*

Bugge (*Thomae*) *Diſſ. de Mappis curuas declinationum magneticarum exhibentibus.* 97

Cor-

Corſonich (*Eugen. Innoc.*) *Quadratura Lunulae, Circuli et Segmenti, nec non curuaturae Sphaerae, ope IV. propoſitionum fundamentalium inuicte demonſtrata.* 108
Lambert (*Ioh. Henr.*) *Pyrometria.* 162
Simſon (*Roberti*) *Opera quaedam reliqua, cura* Iac. Clow. 49
de Tuſchis a Fagnano (*Io. Franc.*) *Demonſtratio Theorematis Studeniani pro reductione aequationum, quae radices habent aequales.* 1
— — *varia ad Ellipſim ſpectantia.* 201
— — *Obſeruatio aurorae borealis viſae nocte inſequenti d.* XXVIII. *Iunii* CIƆIƆCCLXXVIII. *habita Senogalliae.* 238
— — *Continuatio Schediasmatis, cui titulus: Problemata quaedam ad methodum maximorum et minimorum ſpectantia.* 447

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Adleri (*Georg. Chriſt.*) ausführliche Beſchreibung der Stadt Rom i. e. *accurata delineatio vrbis Romae.* 543
Benkö (*Ioſ.*) *Tranſſiluania, ſiue magnus Tranſſiluaniae Principatus, olim Dacia mediterranea dictus, illuſtratus.* Tom. I. II. 43
de Fridvald (*Io. Fridvaldſzki*) *Reges Vngariae Mariani, ex antiquiſſimis Diplomatis, aliisque MSS. conſcripti.* 84
Iablonouianae Societatis *Fundationis litterae.* 87
Kluit (*Adr.*) *Hiſtoriae criticae Comitatus Hollandiae et Zeelandiae,* Subſcriptio *propoſita* 182
Lambecii (*Petri*) *Commentariorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi* Liber ſecundus. *Editio altera, opera et ſtudio* Adami Franc. Kollarii. 241

Digitized by Google

Lambecii (*Petri*) *etc.* Liber tertius. 361
— — — Liber quartus. 551
Longolii (*Paul. Dan.*) *de Boiis Cornelianis Opinationes.* 577
Mahneri (*Io. Paul.*) *Commentatio de Marco Aurelio Antonino, Conſtitutionis de ciuitate vniuerſo orbi Romano data auctore.* 433
Martini (*Georg. Henr.*) das gleichſam auflebende Pompeji, i. e. *Pompeji quaſi rediuiuae, ſiue Conamen hiſtoriae huius vrbis* etc. 295
— — *Propempticon, quo de Pompejanis Inſcriptt. vnam interpretatur.* 280
Niebuhrs (*Carſten*) Reiſebeſchreibung i. e. *Deſcriptio itineris in Arabiam et vicinas terras ſuſcepti.* Tom. II. 399
Palma (*Franc. Car.*) *Notitia Rerum Hungaricarum.* Pars I. II. III. 68
Pelzelii (*Franc. Mart.*) Kaiſer Carl der Vierte, König in Boehmen, i. e. *Imperator Carolus IV. Rex Bohemiae.* Pars I. 495
Saxii (*Chriſtoph.*) *Onomaſticon literarium ſ. Nomenclator hiſtorico-criticus praeſtantiſſimorum omnis aetatis ſcriptorum.* Pars III. 557
Wieland (*Ern. Car.*) *de* Caſtrucio, *duce Lucenſi, S. R. I. Vexilliſero, Commentatio.* 524
de Zanthier (*Frid. Wilh.*) Feldzüge des Vicomte Türenne i. e. *Res geſtae Vicecomitis* Turennii, *exprobatiſſimis monumentis illuſtratae.* 391

IV.

Digitized by Google

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Auctores Claſſici, Philologici, Miſcellanei.*

Ariſtotelis *de Poetica Liber gr. et lat. per* Theoph. Chriſtoph. Harles. 480

Belius (*Car. Andr.*) *de ſubtilitate orationis philoſophicae.* 16

Bibliotheca Critica Amſtelodamenſis Pars I. II. 58

Boden (*Benj. Gottl. Laur.*) *de Daricis Periculum criticum.* 225

Bremer (*Ioh. Chriſtoph.*) *ſuper aliquot* Minucii *locis coniecturalis Commentat.* 570

C. Iulii Caeſaris *Commentarii de bello Gallico et ciuili, per* Sam. Frid. Nath. Morum. 305

Diſſertation ſur la force primitive. 341

Euripidis *Tragoediae et Epiſtolae, ex edit.* Ioſuae Barneſii *recuſae* Tom. II. 424

S. Iulii Frontini *Libri quatuor Strategematicon, cum notis variorum, per* Franc. Oudendorpium. Edit. altera. 426

Abu Naſri Ismaelis Ebn Hammad Al-Gieuhari *Farabienſis, Purioris ſermonis Arabici Theſaurus ſiue Lexicon Arabicum.* Particula I. *per* Euer. Scheidium. 325

Heynii (*Chriſt. Gottl.*) Sammlung antiquariſcher Auffätze, i. e. *Collectio Commentationum antiquarii argumenti.* Pars I. et II. 436

Hirſchfeldii (*C. C. L.*) Theorie der Gartenkunſt, i. e. *Hortorum ordinandorum Theoria.* 347

Homeri *Ilias, ex rec.* Sam. Clarkii, *per* Aug. Herm. Niemeyer. Vol. I. 177

— — *Hymnus in Cererem, nunc primum editus a* Davide Ruhnkenio. 299

Iani (*Chriſt. Dav.*) *de* Alcaeo, *poeta lyrico*, *eiusque fragmentis*, Commentatio. 584

Dionyſii Longini *quae ſuperſunt*, *gr. et lat. per* Io. Toupium, *cum emendatt.* Dav. Ruhnkenii. 145

Scriptores Phyſiognomoniae *veteres*, *per* Ioh. Georg. Frid. Franzium. 384

Pindars Pythiſche Siegshymnen, h. e. Pindari *Pythionicae*, *cum notis exegeticis et criticis in German. linguam verſae a* Frid. Gedike. 263

Platonis *Dialogi IV. Meno*, *Crito*, *Alcibiades vterque*, *cum notis Variorum*, *cur.* Bieſter. 380

C. Plinii *Secundi Hiſtoria naturalis c. n.* Io. Harduini *et aliorum*, *per* Ioh. Georg. Frid. Franzium. Vol. II. 317

— — — — Vol. III. 567

Rehberg (*Aug. Wilh.*) Abhandlung über das Weſen und die Einſchränkungen der Kräfte, i. e. *de natura virium*, *earumque finibus Diſſertatio.* 320

Schelleri (*Imman. Io. Gerh.*) *Praecepta Stili bene latini.* Pars poſterior. 255

— — *Compendium Praeceptorum Stili bene latini in vſum praelect.* 312

Teſſanck (*Ioann.*) *Philoſophiae naturalis Principia mathematica*, *auctore* Iſaaco Newtono, *Commentationibus illuſtrata*, Liber I. 351

C. Velleji *Paterculi quae ſuperſunt cum integris animaduerſionibus doctorum*, *cur.* Dav. Ruhnkenio. Tom. I. II. 74

Verpoortennii (*Phil. Theod.*) *Diſſertationes tres*, *per* Ioh. Frid. Fiſcherum. 125

Volborth (*Io. Carol.*) *de fructu*, *quem Homeri interpres ex lectione Virgilii capere poſſit*, *Commentat.* 232

Xenophontis *Cyropaedia per* Io. Car. Zeunium. 415

— — *Hiſtoria Graeca per* Sam. Frid. Nath. Morum. 11

Zeune

Zeune (*Io. Carol.*) *Varietas lectionis in tres* Aeſchyli *Tragoedias priores, ex Cod. Acad. Viteberg.* 506
— — *Varietas lectionis in Euripidis Hecubam, ex cod. Acad. Vit.* 489

INDEX
RERVM NOTABILIORVM.

A.

Acidalius *multa auſus eſt tentare in Vellejo* 76
Adleri *deſcriptio urbis Romae* 543
Aequationum *reductio* 1
Aeſchylus. *Variae lectiones in tres priores Tragoedias* 506
Aggerem agere 312
Alcaeus 584
— — *aetas* 587
— — *fragmenta* 590
— — *ingenium* 586
— — *vitia* 588
Amyclae *thronus* 439
Anderſonus Alex. *problemata* Apollonii *Pergaei ſolvit* 54
Ἀνταναπληροῦν 15
Apollonii Pergaei *de ſectione determinata Libri II.* 49 f.
— — *eius editiones* 51
Arabicae *linguae ſtudium commendat Reiskius* 160
Ara Coeli 548
Ariſtoteles *de Poetica per* Harles 481
Ἀξιοῦν *velle* 16

B.

B.

Bahrdtius Car. Frid. *not.* 132
Bayly Wilh. *Obſeruationes de declinat. acus magnet.* 104
Belius Car. Andr. *de ſubtilitate orationis philoſoph.* 16
Bellin *mappa declinatoria* 100
Benkö Ioſ. *Tranſſiluania illuſtrata* 43
Bibliotheca Critica 58
Bieſter *edit Platonis Dialogos* 380
Biſchoffius *de Quadratura Circuli* 113
Bodenus Benj. Gottlieb Laur. *de Daricis* 215
Βοᾷν ὑλακτεῖν 148
Boji Corneliani 576
Boſii Ern. Gottl. *Prol. de* θηλείᾳ νόσῳ 152
Bremer Ioh. Chph. *notae in Minucium Fel.* 570
Breue Apoſtolicum 45
Buda ſacra 82
Bugge Thom. *de mappis curuas declinationum magneticarum exhibent.* 97
Buxtorffianorum *et Capellianorum concertationes* 82

C.

Cabot Sebaſt. *primus perſpexit declinationem magnet.* 98
C. Iulius Caeſar *editus a* Moro 305
Camoenarum Pagus 546
Campellus Huldr. *primus ſcripſit de rebus Rhaeticis* 36
Caroli IV. *Hiſtor.* 495
Caſtrucius 524
in Cererem *Hymnus* 299
Ciceronis *eloquentia* 59
Cicero Orat. I, 43. 64
— — — 53. 65
— — — II, 38. —
— in Verr. II, 23. —
— — — 76. 66
κινῆσαι 67
Clow Iac. *edit* Simſoni *opera reliqua* 50
Kluit Adr. *edere vult Hiſtoriam criticam Comitatus Hollandiae et Zeelandiae* 582
Kollarius Ad. Franc. *edit* Lambecium 242. 361. 551
Com-

Digitized by Google

Commandinus Frid. *lemmata Pappi ab erroribus purgat* 56
Conſtitutio *de ciuitate* 433
Corſonich Eugen. Innoc. *Quadratura Circuli demonſtr.* 108
— — *iudicium de eo* 123
Cyclici poetae 235

D.

Darici 225
— — *duplicis erant formae* 226
— — *eorum valor* 227
Dioſcorides 244
Dodſon *Curtiae declinationum* 100
Doering Frid. Guil. *edit* Catulli *Epithalam.* 302
Drachma Hebraeorum 227
Dunn Sam. *Atlas magneticus* 101

E.

Eburnea opera 445
Eiſenhart Io. Frid. 433
Εἴϛεται 14
ad Ellipſim *ſpectantia* 201
Emolimentum 308
'Εμμέλεια 153
'Επιπροςθεῖν 152
'Επιπρόςθησις —
Epochae artificum 440
Euripides 424
— — *Hecuba* 489

F.

Farneſianus Taurus 446
Fiſcheri Erdm. Rud. *vita* Phil. Theod. Verpoortennii 125
Fiſcherus Io. Frid. *laceſſ.* 62
— — *def.* 63
— — *Proluſiones V. ad varia loca vtriusque Teſt.* 131
Franzius Io. Georg. Frid. *edit Scriptt. Phyſiognomonicos* 384
— — *edit Plinium* 384. 567
de Fogaras 342
Fremere 148
de Fridvaldſzki Fridvald *taxatus* 84
Frontinus *editus ab* Oudendorpio 426

G.

Gedicke Frid. *germanice vertit* Pindari *Pythionic.* 263
— — *notas ad* Platonis *dialogos* 380
Gellibrand Henr. *de inclinatione acus magneticae* 99
Gieuharius, *auctor lexici Arabici* 325
— — *eius partic. editur a* Scheidio *ibid.*
Gladiatores 416
Goldhagenii *verſio germ. hiſtor. graec. Xenophont.* 14
Golius *maximam partem Lexici ſui hauſit ex* Gieuhario 328
Gottleberi Ioh. Chph. *notae ad* Platonis Alcibiadem 380
Guyot, *poeta Gallus* 98
Grammatici *quidam Arabici* 330

H.

Halley Edm. *iter aſtronomicum et hydrographicum* 99
Harles Theoph. Chph. *edit* Ariſtotelis *Poeticam* 482
Heineccii Ioh. Gottl. *Antiquitates German.* 228
— — *fata huius libri* 229
Heynii Chr. Gottl. *Commentationes antiquariae* 436
Hirſchfeld C. C. L. *Theoria hortorum* 347
Horatius *perpetuus imitator* Alcaei 585
Homeri *Ilias cura* Niemeyeri 177
— — *editio* Hageri *vitioſa et ieiuna* 178
— — *verſio latina inutilis et noxia* 178

I.

Iablonouiana *Societas, et eius leges* 87
Iani Chr. Dav. *de* Alcaeo *Comment.* 584
Inſcriptio 280 f.
Iſis 587

L.

Lambecius Petr. 242. 361. 551

Digitized by Google

Lambert Ioh. Henr. *Pyrometria* 162
— — *laud.* 123
Leske Nath. God. *de vertigine ouium* 272
Linneanus *index* 266
Lipſii *merita in Velleium* 76
Locus Trucidatorum 546
de Logarithmis 49
Longinus *Toupii* 59. 145
Longolius Paul. Dan. *de Boiis Cornelianis* 576
Lucius Britannus 37
Lennep a Io. Dan. 59
Laocoon 442
Lapis manalis 546

M.

Mahnerus 433
Maffei Raffael 560
Manalis lapis 546
Mariani reges 84
Marklandus Ier. 306
Martini Georg. Henr. *Propempticon* 280
— — *Pompeii rediuiui* 295
de Martino Nic., *Demonſtratio Theorematis Stuidenioni* 1
Matthaei Chriſt. Frid. *laud.* 299
Meleager *in Epigr. em.* 61
Milkovienſis *Epiſcopatus* 45
Milleri Ioh. Petr. *Theologia moralis* 193
Minucius Felix 570
Moneta 547
Moeris *Attic.* 14
Morus Sam. Frid. Nath. *edit Hiſtoriam Graecam* Xenophontis 11
— — *edit Iulium* Caeſarem 305
Mouere 67
Mountain 100

N.

νάρδος πιστική 374
Newtoni Iſaac. *Philoſophiae naturalis principia mathematica* 351
Niebuhr Carſt. *Itinerarium Arabicum* 399
Normann Rob. 99

O.

Oudendorp Franc. *edit* Frontinum 426

P.

Palma Franc. Car. *Notitia Rerum Hungaricarum* 68
παρεκληφθεν 152
Pelzel Franc. Mart. *Hiſtor. Caroli IV. ſcribit* 495
Pemberton Henr. 57
Phalaridis *Epiſtolae* 59
Phyſiognomonici *Scriptores editi a* Franzio 384
Pindari *Pythionicas germ. reddit* Frid. Gedike 263
— — *expl.* 265
Platonis *Dialogi editi a* Bieſtero 380
Platonis *Sympoſium* 66
Plinii *Hiſt. nat edita a* Ioh. Georg. Frid. Franzio Vol. II. 317
— — Vol. III. 384
— — Vol. IV. 567
— — *em.* 294
πληροφορία 128
πληροφορεῖσθαι 128
Plukeneti Gerard. *vita* 269
Plutarchus *expl.* 226
ποιεῖσθαι 80
Pompeji *illuſtr. a* Georg. Henr. Martini 295
Poriſmatum *liber* 49
de Porta Petr. Dom. Roſ. *Hiſtor. Reformat. eccleſiar. Rhaetic.* 35
de Primatu Papae 395

Q.

Quadratura *Lunulae, Circuli, et Segmenti, demonſtrata ab* Eug. Innoc. Corſonich 108

R.

Ramſeius *vitam Turennii deſcribit* 394
Rauttenſtrauch P. Steph. *Inſtitutiones Iuris Eccleſiaſt. German. accommodatae* Tom. I. 394
Rehberg Aug. Wilh. *de natura virium, earumque finibus Diſſ.* 220
Reiskiae *merita* 155. 161

Reis-

Digitized by Google

Reiskii Ioh. Iac. *Coniecturae in Iobum et Prouerb. Salom.* 155
— — *Oratio de ſtudio Arabicae linguae* 160
Reyneau P. *Demonſtratio Theorematis Studeniani incompleta* 1
Ruhnkenius Dav. *edit* Velleium *Paterc.* 74
— — Homeri *Hymnum in Cererem* 299
— — *eius notae in* Longinum Toupii 145
— — *merita in edit. Frontini* 427
— — *diſſ. de Galla Placidia Auguſta* 247

S.

Salaminium *Regnum* 126
Sandalarius 547
Saxii Chriſtoph. *Onomaſtici literar. Pars* II. 558
Scheidius Ever. *edit* Gieuharium 326
Schelleri Imm. Io. Gerh. *Praecepta Stili bene latini* Pars poſterior 255
— — *eorum Compendium* 312
Schier P. Xyſt. *Buda ſacra* 82
Schneider Io. Gottl. *Notae in Platonis Dialogos* 380
Scripturae Sacrae *loca vindicata et illuſtrata*
Gen. 4, 25. 136
5, 22. 136
15, 12. 378
23, 13. 378
30, 2. 136
31, 1. 136
34, 29. 136
22, 18. 237
37, 26. 370
Exod. 19, 5. 133
Deut. 34, 6. 370
Ioſ. 1, 14. 137
5, 4. 138
Iud. 7, 11. 136
Ruth 3, 9. 138
3, 11. 137
4, 7. 138
1 Sam. 10, 24. 136
12, 14. 139
14, 52. 137
18, 17. 137
2 Sam. 24, 2. 137
1 Regg. 1, 8. 136
— 25. 136
— 52. 136 f.
— 53. 136

1 Regg. 2, 5. 7. 137
8, 9. 141
Eſth. 5, 5. 14. 138
Iob. 3, 3. 4. 5. 156
4, 5. 13. 14. 19. 157
5, 5. 10. 21. 157
15, 24. 157
16, 14. 15. 18. 24. 157
30, 3. 157
Pſalm. 51, 21. 133
57, 9. 373
108, 2. 373
Ier. 46, 21. 135
Dan. 3, 15. 139
1, 8. 133
Mal. 2, 2. 133
2, 3. 135
3, 20. 135
Matth. 1, 12. 142
3, 5. 134
— 17. 133
27, 43. 133
Marc. 14, 3. 140
Luc. 1, 1. 129
13, 9. 139
15, 2. 132
22, 42. 139
Ioh. 11, 1. 151
12, 3. 140
Act. 3, 12. 133
5, 4. 133
15, 38. 16
Rom. 4, 20. 128
8, 32. 133
1 Cor. 2, 2. 133
12, 15. 154
Epheſ. 1, 17. 139
2, 11. 127
3, 6. 127
Coloſſ. 1, 24. 15
1 Petr. 2, 9. 133
2 Petr. 1, 17. 133
2, 5. 133
Hebr. 4, 22. 128
9, 3. 140
Sileni, Satyri, Fauni 442
Simſon Rob. *Opera quaedam reliqua* 51
Snellius not. 52
Societas Iablonouiana 87
— — *cui teſſera: Tendimus ad idem* 369
— — *eius Opuſcula* 368
Stanhopii Phil. Comitis *merita in literas* 57
Steckii *Commentarii de variis rebus grauioris momenti* etc. 16
Subtilitas *orationis philoſophicae* 16
Suburra 547
de Suhm Petr. Frid. *merita in literas et inprimis in* Reiskiam 167

T.

Tengnagelius 354
Teſſanek Io. *Commentationibus illuſtrat* Iſaaci Newtoni

Digitized by Google

toni *Principia mathematica philoſophiae naturalis* 351
Theologiae moralis *fata* —
θηλεία νόσος 152
Timonis *Hiſtoria Hungarica* 69
τοι, *ſane, profecto* —
Toreutice 444
Toupius Ioann. *edit* Longinum 145
Treil Gul. 50
Turennii *vita* 391
de Tuſchis *a Fagnano* Io. Franç. *Demonſtratio Theorematis Studeniani* 1
— — *varia ad Ellipſim ſpectantia* 201
— — *obſeruatio aurorae Borealis* 238
— — *Continuatio problematum quorumdam ad Hiſtoriam maximorum et minimorum ſpectantium* 447

V.

De ו *paragogico* 372
Wagneri Io. Franc. *verſio Germ. Iulii* Caeſaris 307
Valeſius Henr. *edere vult* Xenophontis *Hiſtoriam Graec.* 12
Wales Wilh. *de declinationibus magneticis* 104
Velare 80
Velleius *Paterculus per* Dav. Ruhnkenium 74
— — *eius nullus* Codex *exſtat* 74
— — *Salluſtium imitatur* 78
Verinus Euſeb. *nomen fictum* 172
Verpoortenii *Diſſertatt. tres* 125
Veneris *imagines* 440
— — *varia cognom.* 440
Weſtphal Ern. Chriſt. *Interpretationes Iuris ciuilis de libertate et ſeruitutibus praediorum* 276
Victor Publ. *de regionibus vrbis Romae* 544
Wieland Ern. Carol. *de* Caſtrucio, *duce Lucenſi, Comment.* 524
Virgilii *lectio interpreti Homeri valde vtilis* 232
Vitriarius 546
Volborth Io. Car. *Comment. de fructu, quem Homeri interpres e lectione Virgilii capere poſſit* 232

Wright

Digitized by Google

Wright Eduard. *primus hydrographiae accuratioris ſtator* 99

X.

Xenophontis *Hiſtoria Graeca per* Sam. Frid. Nath. Morum 11
— — *lectiones Codicis Veneti* 14
— — *Cyropaedia per* Io. Carol. Zeunium 415
— — *editiones* 13


ξειαλεῖν 127
ξέιος 127
ξενοφωνία 127

Z.

de Zanthier Frid. Wilh. *deſcribit vitam et res geſtas* Turennii 391
Zeune Io. Carol. *edit* Xenophontis *Cyropaediam* 415
— — *edit varietatem lectionis in tres* Aeſchyli *Tragoedias priores* 506
— — *in* Euripidis *Hecubam* 489

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google